BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
40/A
39
Digitized by Google

V·4·4·
C.1.

FASCICULUS QUARTUS OPUSCULORUM

Quæ ad

HISTORIAM

Ac

PHILOLOGIAM SACRAM

Spectant.

IN QUO CONTINENTUR

XV. J. *Windet de vita functorum ſtatu.*
XVI. J. *Vorſtii Syntagma Diſſertationum.*
XVII. - - - *de Synedriis Hebræorum diſſertatio.*
XVIII. *Veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho modi tredecim.*
XIX. *A. Thyſii Exercitationes Miſcellaneæ.*

Omnia doctorum virorum judiciis recenſita, & concinnis indicibus aucta.

ROTTERODAMI,
Apud PETRUM VANDER SLAART.
M DC XCIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. JOANNI Vander SLAART,

Eccleſiæ, quæ in pago

NOVA VOSMARIA

eſt, Paſtori, Fratri ſuo germano unico

PETRUS vander SLAART

S. P. D.

Q*Uartam ſelectiſſimorum opuſculorum partem in lucem proditurus eam tuo nomini inſcribere volui, quo mutuus amor noſter non ſolum inter nos, verum & publico quodam indicio conſtet. Nec ignoro quantum hoc ſcriptionis genere delecteris, qui Theologica ſtudia abſque antiquitatum tum Ebræarum tum Græcarum cognitione recte coli non poſſe ſoles prædicare. Cumque ea de re nuper inter te & communem noſtrum amicum* Petrum Rabum *multus apud me eſſet ſermo, non ingratum tibi*

 fore

fore ſat ſcio hoc qualecumque voluntatis meæ in te documentum. Faxit Deus, ut hiſce meis curis Reipublicæ literariæ ac ſolidæ eruditionis amantibus porro queam prodeſſe. Tu velim pergas me diligere, neque enim mihi in omni vita (verba ſunt Ciceronis, quæ olim legere memini) res tam erit ulla propoſita, quam ut quotidie vehementius te de me optime meritum eſſe lætere. Vale. Rotterodami ipſis Calendis Auguſti CIƆIƆCXCIV.

IN-

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
quæ paſſim citantur & illuſtrantur.

GENESIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
2.	8.	106
	9.	314.317.320
	10.	327
	15.	106
3.	8.	471
	23.	314
	24.	142
4.	15.	327
	24.	428
13.	11.	329
14.	2.	317
15.	13.	269
22.	1.	447
25.	8.	13
	25.	468
28.	17.	60
35.	11.	259
46.	26.	259

EXODUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
3.	16.	369
12.	5.	385
	38.	204
15.	27.	352
18.	15.	365
20.	4.	195
	14.	447
21.	15.	385
	29.	407
22.	7.	429
	9.	436
	10.	430
	18.	440
23.	2.	342.378
24.	11.	114.370
35.	2.	441
40.	34.	448

LEVITICUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
1.	2.	435
4.	3.	385
	17.	432
6.	18.	431
7.	2.	445
13.	2. 4. 5. 10. 11. 18 29.	443
14.	13.	446
	34. 45.	447
19.	7.	431
20.	27.	440
24.	2.	433

NUMER.

Cap.	Verſ.	Pag.
5.	2.	433
7.	89.	448
11.	13.	365
	16.	341.360 361.369
12.	14.	428

* 3

13.

13. 23. 486
64. 27. 342. 378
21. 18. 258. 352
25. 7. 353
27. 18. 392
35. 24. 341. 378.

DEUTER.

1. 15. 373
14. 26. 437
16. 18. 372
17. 8. 381
19. 17. 407
24. 7. 447
28. 57. 258. 259
33. 21. 298

JOSUÆ.

15. 4. 466
24. 1. 373

JUDIC.

17. 6. } 392
18. 1. }
19. 1. }

RUTH.

3. 11. 353

I. SAMUEL.

2. 6. 100
8. 7. 363
12. 12. 363
25. 29. 85. 169. 171

II. SAMUEL.

2. 19. 385
7. 7. 248
23. 15. 23

I. REG.

6. 1. 391
8. 19. 259

II. REG.

2. 1. 110
3. 22. 467
4. 1. 105
23. 29. 276

I. PARAL.

11. 18. 13
13. 5. 466

II. PARAL.

19. 8. 397
30. 6. 239

ESR.

4. 3. 377
22. 280
6. 17. 240
7. 25. 231. 240

NEHEM.

2. 8. 105
9. 315
5. 15. 401
13. 6. 280

ESTH.

8. 17. 241

JOB.

3. 17. 181
17. 6. 166
23. 6. 23
26. 5. 195
28. 5. 176
30. 19. 82
39. 29. 377

PSAL.

15. 24. 429
36. 8. 195
39. 14. 24
45. 7. 216
49. 14. 24

INDEX LOCORUM.

58. 8. 23
68. 5. 127
32. 404
71. 20. 24
104. 3. 191
4. 207
115. 1. 101
116. 1. 171
140. 10. 353
143. 3. 24

PROVERB.

1. 11. 23
8. 15. 257
15. 11. 21
27. 22. 21
30. 8. 385
15. 92
16. 22

ECCLES.

1. 7. 192
2. 5. 105. 315
12. 12. 353

COHEL.

1. 6. 486
3. 5. 387
4. 12. 98. 105
13. 315

JESA.

1. 30. 314
10. 1. 257
12. 20. 259
13. 9. 14
14. 15. 60. 195
25. 6. 14
30. 31. 166
33. 14. 167
22. 258
38. 10. 59
40. 21. 191
51. 183. 328. 335

64. 4. 122
65. 6. 118
15. 118

JEREM.

1. 14. 77
2. 13. 183
3. 18. 219
7. 32. 167
12. 5. 429
22. 30. 229
29. 5. 314
31. 13. 24
51. 39. 318
57. 318

EZECH.

19. 11. 226. 247
21. 27. 219
26. 20. 60
28. 13. 183

DAN.

2. 39. 275
4. 23. 393
7. 6. 286
7. 293. 294
17. 273
23. 293. 294
8. 24. 106. 322
22. 286
11. 2. 281
12. 2. 100. 116
13. 322

AMOS.

1. 3. 82
5. 329

JON.

2. 3. 23

ZACHAR.

10. 12. 226. 254
13. 9. 106. 122. 168

MALEACH.

3. 21. 101

VI.

INDEX LOCORUM.

IV. ESDRÆ APOCR.		
3.	6.	9
4.	8.	131
	36.	112
5.	7.	177
SAPIENT.		
16.	13.	61
ECCLESIAS.		
24.	10.	15
46.	23.	23
I. MACCAB.		
1.	11.	289
II. MACCAB.		
7.	28.	25. 47
MATT.		
8.	29.	185
10.	15.	168
	28.	176
16.	8.	64
	18.	61
19.	28.	29
21.	33.	486
23.	16.	154
24.	35.	169
25.	33.	95
26.	59.	353
MARC.		
8.	15.	154
9.	44.	201
LUC.		
13.	33.	345
16.	22.	98
16.	17.	169
20.	35.	119
22	66.	354
23.	43.	105. 112. 138
JOHANN.		
18.	31.	265. 267
ACTOR.		
4.	15.	354
5.	21.	394
25.	19.	268

I. CORINTH.		
2.	9.	122
II. CORINTH.		
12.	3.	140
	4.	140. 105. 306
EPH.		
2.	2.	112
4.	10.	196
PHIL.		
1.	23.	52
I. TIMOTH.		
6.	16.	181
II. TIMOTH.		
4.	6.	52
HEBR.		
3.	20.	25
7.	5.	259
9.	3.	25
11.	3.	319
	5.	320
JACOB.		
3.	6.	28
I. PETR.		
2.	11.	33
II. PETR.		
2.	4.	177. 201
	5.	177
	6.	177
APOCAL.		
1.	18.	59
2.	2.	318
	7.	105. 307. 320
7.	17.	125
9.	1.	59
14.	11.	170
19.	3.	176
20.	6.	318
	14.	58. 318
21.	4.	125
	8.	318
	23.	124
22.	2.	321
	14.	321

X V.

מנחה בלולה

SIVE

ΣΤΡΩΜΑΤΕΥΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΙΚΟΣ

DE

Vita Functorum ſtatu:

EX

HEBRÆORUM

ET

GRÆCORUM

comparatis ſententiis concinnatus.

Cum Corollario

De TARTARO Apoſtoli *Petri*, in quem prævaricatores Angelos dejectos memorat.

Auctore

JA. WINDET, *M. D.*

Coll. Lond.

Digitized by Google

Viro Doctiſſimo

SAMUELI HALLO

S U O.

PRodeat ergo in publicum, quandoquidem ſic omnino vis, πραγματεία hæc noſtra, tibi privatim exarata, in argumento à ſtudiorum noſtrorum præcipua ratione tam longe poſito, ut ne reſcire quidem detur quantum ex iſtis, quæ proferimus, ſit jampridem ab aliis occupatum. Sed & hæc dudum ſcribenti egregiam ſecuritatem, ne dicam negligentiam, fecit amicitia, cui fidebam, tua: jamque edenti importuna ſatis negotia medica etiam ſtylum in loco vertendi copiam vix faciunt. Horas raro ſucciſivas impetro, ſed & illas fornax olim & culter habent. Tuo

ergo periculo in lucem veniat hæc Epiſtola; qui tamen, cum Theologus ſis, atque idem harum rerum ſcientiſſimus, debueras potius amori hic tuo in nos feciſſe modum; neque commiſiſſe, ut tuo ipſius hortatu, ac fidejuſſione, veſtræ literæ à ſemipagano temerarentur. Ego interim fidentius agam; ſi quid enim hic frugis inſit, (εὖγε τοῦτο καὶ εἶθε) *ipſi mihi pendetur gratia: ſin quid ſecus expetat, præſto eſt, qui mecum dividat quicquid in hac re vitio vertetur. Vides in quantum te diſcrimen perduxerit noſtri amor; quamque certo ſis non tua luiturus: quo ſatius fuiſſet noſtra ſuis tineis æternum permiſiſſe.*

Vale.

SECT.

SECT. I.

Occaſio hujus Epiſtolæ. Propoſitio dicendorum. Modus ac ratio tractandi.

Tartari *vox non habetur in* LXX *interpretum verſione. Occurrit in* N. T. *ſemel tantum*, Græci *ſua à* Judæis. *Qui veteres* Græci *de* Inferis *ſcripſerunt. Socrates ea de re nihil. Ritus* ſiccum cranium *conſulendi.* Paradiſus *&* Gehenna *quo modo ante mundum hunc facta.* Græci, *illorumque ſequaces, quo freti de iſtis meminerunt.* Cerberus *quis. Poetæ Theologiæ Ethnicæ conditores : Quo modo intelligendi.*

CUm Chariſſima Soror tua, quo corpori tum adfecto proſpiceret, ad ædes meas aliquandiu divertiſſet, factam inde mihi conſuetudinis etiam tuæ perquam jucundæ copiam valde lætabar. Beatum me ſi daretur te ſæpius convenire. At me quidem, uti ne pedem hinc, importunis fere negotiis Sparta quam ornare ſatago, diſtinere ſolet. Intererit tua, cui libero eſſe liceat, quando per majora non ſtabit, loci mihi hujuſce inficeti tædia gratiſſimo adſpectu tuo diluere.

Cum autem nobiſcum una eſſes, incidit ſermo de πολυθρυλλήτῳ illo λειποτακτῶν ἀγγέλων lapſu:

indidem & anſa tibi data ſciſcitandi à me, numquid veniret in mentem vocis iſtius Ταρταρώσας, ullibi alias lectæ, præterquam eo loci ubi S. *Petrus*, pœnas iſtorum angelorum deſcribens; eam uſurpat. Ego αὐτόθεν ὁρμηθεὶς, reſpondi, Tametſi vox Τάρταρος, aut inde derivatum verbum, apud Græcos Bibliorum Interpretes quos ex uſu Septuaginta indigitamus, nullibi quod ſcirem, nec in Novo Fœdere alibi prorſus occurrat: eſſe tamen iſtam vocem ſcriptoribus profanis tritam & paſſivam admodum. Atque oſtendi mox quæ notâram veterum loca in Adverſariis meis, unde de verbi ipſius ſatis frequenti uſu abunde conſtaret. Cum autem, mota iſtis aliquatenus ſaliva, *Tartari* genuinam ex veteribus notionem & *Status Vitâ Functorum* aliquale ſpecimen tibi à nobis exhiberi poſtulaveris, utrumque, quatenus curtæ à rebus medicis induciæ patientur, pro virili noſtra ὑπομνήσει προϊὼν ὁ λόγος.

Quandoquidem vero de *Tartaro*, ut dixi, nec Novum alibi Teſtamentum, nec LXX viri τὸ παράπαν οὐδὲ γρῦ meminerint, aliunde ex humanis quidem literis ſuppetias ſcribere vel inviti cogimur. *Ad quæſtionem* autem *magnam reſponſionem brevem valde oderat Nebridius*, *Auguſtini*, Epiſtola XXIII: cumque hæc *Petri* una ſit ex ſeptem illis Epiſtolis, quarum ſuccinctam ac myſticam obſcuritatem notavit Hieronymus, Epiſtola CIII. ad Paulinum; præfabor mihi veniam, ſi ſupparis argumenti nonnulla ἐπιλίσδην ἐν παρόδῳ attingens, dum res aliquas, ubi opus videbitur, fuſiuſcule diduco, pauxillum deflectere quandoque videar; omnia enim etiam iſta,

ſuopte

ſuopte modo, ab hac re haud ita multum abludere facile intelligas. Ego vero, qui culpam hanc deprecari quam culpa carere malim, hac fiducia oſtendo quantum amicitiæ tuæ imputare auſim.

Familiam autem in dicendis ducent *Hebræorum* decreta, quibus ὡς ἐξ ἀνθρωπογραφίας prælibatis, Græcorum ubique, quæ indidem manarunt, ἐκ παραλλήλου ſubjungentur. R. Shem Tobh in libro Fidei, porta III. cap. 4. הנה להם חכמה בדברים רבים והם פסולת מחכמת בני ישראל *Habebant illi* (*Græci*) *ſcientiam rerum multarum, quæ nihil aliud erat, præterquam fæx ſcientiæ filiorum Iſraelis.* Sed ne hoc Judaicæ futilitatis habeatur; receperunt etiam *Tertullianus*, libro de præſcriptione Hæreticorum; S. *Juſtinus Martyr*, Apologia pro Chriſtianis II; *Clemens Alexandrinus* centone V & VI; *Euſebius*, Præparationis Evangelicæ libro X; item *Tatianus*, *Theophilus*, & veterum alii, univerſum Græciſmum (quo nomine *Gentium* ſuperſtitiones cenſeri poſſint) nihil aliud multo maximam partem eſſe præter *Judaiſmum* depravatum; idque ex ſacra Cabala perperam intellecta. Atque hac ſaltem parte, ſi cui libeat *Judæorum* de *Vita Functorum Statu* cum *Græcorum* opinionibus componere, omnia quaſi normaliter convenire videbuntur. *Judæi* autem, alias haud nimium veraces, hiſce de rebus ſcribentes, extrema linea inſaniunt. Sed & *Græci* ſic omnia creperis nugis & fabulis permiſcent, ut inde τὰ ἐν ᾅδου adagii vice incinatur, quoties fabuloſi cujuſpiam ſermonis fidem elevare velimus. *Horatius* ea de re *Fabulas Manes* dixit;

quinimo *Inferorum* ſupplicia *Fabulis & ineptiis* accenſet etiam *Cicero Cluentianâ*; nec profuſius uſquam ridet naſutus ille ſcurra Samoſatenus, quam ubi *Infernam* rempublicam perſtringendam nactus. Libros utcunque περὶ τῶν ἐν ᾅδου ſcripſiſſe *Heraclidem Ponticum*, *Antiſthenem*, *Democritum* ejuſque diſcipulum *Protagoram*, memorant veteres. *Socrates*, *Plutarcho* teſte, ejeravit omnem *Inferni* notitiam; ſaltem, pro liberali qua fuit indole, faſſus eſt ſe οὐχ' ἱκανῶς εἰδέναι περὶ τῶν ἐν ᾅδου, ut *Plato* perhibet in Apologia, & credas licet vel injurato. Inde fit quod diſcipuli *Socratis* eum tam bibulas aures præbentem introducant præ ſe ferentibus iſtarum rerum notitiam, cum ipſe de ſe nihil tale polliceretur. *Palladius* Epiſcopus, libro ad *Lauſum Præpoſitum*, memorat quomodo S. *Macarius* πρὸς τὸ ξηρὸν κράνιον πυθόμενος περὶ τῶν κεκοιμημένων μεμάθηκεν ἅπαντα. Illumque morem inter *Hebræos* obtinuiſſe, liquet ex Talmudis Codice *Sanhedrin*, cap. VII. fol. 65. p. 1. & ex *Gemara* ſequente. Item ex *Majemonidæ Jad*, part. I. fol. 32. p. 1. *Divinationem* בגלגולת של מת *per cranium mortui* vocant. Nos talibus ſubſidiis deſtituti, ſeligemus utcunque ex veteribus quæ res noſtras maxime illuſtrare videbuntur.

Malorum enim poſt mortem *pœnas*, quarum metu contineantur homines in officio; & *Bonorum præmia*, quibus ad virtutem alliciantur; tanti referre ad communem vitam opinati ſunt *Judæi*, ut inde *Paradiſum* & *Gehennam* inter ſeptem illas res numerent, quas Deus ante mundum hunc conditum fecit, ut habet Talmud. Tract. *Nedarim*, c. IV. Et *Pirke* R. *Eleaſari*,

cap.

Digitized by Google

cap. III. Cui opinioni de Paradiſo patrocinantur Chaldæi Paraphraſtæ, *Onkelos* & *Jonathan*; hic diſertiſſime, in *Geneſeos* caput II. itidem *Theodotio*, *Aquila*, *Symmachus*, ut ex verſionum excerptis hodieque conſtat; *Hieronymus* quoque, ut ex ejus verſione, & Traditionibus Hebraicis (ſi ejus ſint) luculenter patet: illum tamen *Eugubinus*, *Mercerus* & *Sixtus Senenſis* excuſatum eunt. Itidem ſentit Eſdras Apocryphus, lib. IV. cap. 3. verſ. 6. Sed Cabalici hoc omne ἀπηγγελίας ἐλύπησα obnuptum de cœleſtibus gaudiis intelligunt, quæ Deum ſuis ab æterno deſtinaſſe N. Teſtamentum etiam perhibet. Conſule Tract. *Nedarim* loco memorato. *Peſachim* quoque cap. IV. ſed & idem de *Malorum* ſuppliciis dici poſſe plane liquet.

Græci pariter, abſque juſtitia foret, ſtabiliri rem publicam non poſſe; & juſtitiam ſine perſuaſione de ſtatu poſt hanc vitam, ubi aliter bonis, aliter malis comparatum erit, conſervari non poſſe, arbitrati: quamlibet de Animorum immortalitate alioquin inter capaces tam ſublimis argumenti conſtare videtur; non tamen deſtiterunt, quoad ea de re populari aliqua narratione etiam vulgo fidem feciſſent. *Platoni* ergo *Er*, *Pamphilus* miles, duodecim dies mortuus vitam recuperat, atque enarrat quid in vitarum intervallo de ſtatu hac vita functorum compererat. *Plutarcho Antyllus* reviviſcens, & *Timarchus* ex *Trophonii* antro emergens, eadem fere quæ miles, docent. A quibus non multum abludit noſter *Drithelmus Saxo* reviviſcens, apud *Bedam*. Hiſt. Eccleſ. lib. V. caput 13. Cumque (ut pridem *Hercules*, *Liber* Pater, *Orpheus*,

pheus, *Caſtor* & *Pollux*) etiam *Ulyſſes Homericus*

> Ζωὸς ἐὼν ἐνόησεν, ἃ μὴ θέμις ἐςὶν ἰδέσθαι,
> Νερτέριον κευθμῶνα ϗ ἄλγεα πικρὰ
>   θανόντων,
>
> *Vivus adhuc*, *novit*, (*quæ nec fas cernere cuiquam*,)
> Infernas ſedes, *& triſtia fata ſilentum*.

Inde & ſequioribus deinceps poetis uſu venit, accerſito aliquo diverticulo, Heroas etiam ſuos ad *Inferos* deducere; ne quà heroi *Homerico* herbam porrexiſſe videantur. Eſt qui cenſet Heroum notionem, Deum ac hominum miſto ſatu genitorum, à Cabala incarnationis; & à traditione deſcenſus Chriſti ad *Inferos*, etiam horum illuc deſcenſum dimanaſſe. Ipſe *Cerberus* (ὁ κρέως βόρος) mors eſt; triceps, quod cunctas mundi partes appetat; quadricipitem ſaltem finxiſſent, modo tot tunc orbis partes innotuiſſent: quo pacto *Heſiodus* πεντηκοντακέφαλον, *Horatius centicipitem* (numeris pro multitudine indefinita identidem uſurpatis) eum adpellant, quod undique graſſetur. Ultimus autem celeberrimi herois labor *Inferno* perrupto *Cerberum* in vincula petentis, ex interpolata poetico charactere Cabala vaticinii de Chriſto triumphum de morte acturo, & *captivitatem captivam* ducturo, manaſſe videatur. Utcunque hac occaſione quid illi de *Inferis* acceperant, diſertiſſime expoſuerunt. Ades ergo animo; Poetas enim ipſe *Plato* in *Lyſide* πατέρας τῆς σοφίας ϗ ἡγεμόνας adpellat. *Origeni* etiam

etiam dicuntur τῶν δογμάτων πατέρες καὶ ἀρχαῖοι θεολόγοι τῶν Ἑλλήνων, primo adverſus Celſum. Nec refugias Poetarum in tali argumento teſtimonium, quod *generoſioris Poetæ ſpiritum veritatem amare* neget Arbiter; ſoleantque vel γλώσσης χάριν mentiri, ne quid numeris & rotunditati carminum decederet: quiſquis enim *Inferorum* Geographus eſſe velit, ubi à ſacris literis abierit, utcunque perſonatus incedat, revera tamen Poeta erit; neceſſe habens è periculo omnia petere atque adamuſſim Σιβυλλιᾷν.

——— Vates
Sub terris nigros viderunt crimina manes,
Atque inter cineres Ditis *pallentia regna,*
Mentiti naves Stygias *undaſque caneſque.*
Hi Tityon *ſeptem ſtravere in jugera fuſum,*
Sollicitant magna te ſiccum, Tantale, *pœna,*
Sollicitantque Sirim. Minos, *tuaque,* Æace, *in umbris*
Jura canunt, iidemque rotant Ixionis *orbem:*
Quicquid & inferius falſi ſibi conſcia terra eſt.
Non eſt terra ſatis: ſpeculantur numina divum:
Nec metuunt oculos alieno admittere cœlo. &c.
Debita carminibus libertas iſta: &c.

Ut eleganter *Corn. Severus* in *Ætna*. Fatetur quippe *Simmias*, apud *Platonem* in *Phædone*, περὶ τούτων τὸ σαφὲς εἰδέναι ἐν τῷ νῦν βίῳ, ἢ ἀδύνατον εἶναι, ἢ παγχάλεπόν τι. *Iſta penitus cognoſcere in hac vita impoſſibile, ſaltem perquam difficile eſſe.* Quæcunque vero ſparſim in vetuſto illo *Orpheo*, in

in *Homero*, & Græcis Poetis, addo etiam Philoſophis; quæcunque apud *Platonem* in *Phædone*, Apologia *Socratis*, *Gorgia*, *Legibus*, ὑποβολιμαίῳ *Axiocho*, aut etiam alibi occurrerunt, ea ferunt omnia *Virgilium* ſexto *Æneidos* in unum *Cyceona* miſcuiſſe. Memineris tantum fabulæ genus, more Poetico, partim φυσικὸν, partim ψυχικὸν eſſe (uti nos monet *Salluſtius Cynicus*) in expedito erunt omnia; modo iſthoc, inquam, glomere fretus acceſſeris.

Cum autem Chriſtus *angelos* ac *homines bonos felicitatis*, ut & *malos miſeriæ* conſortes fore ſtatuerit: ipſaque ſacra pagina, *hominibus* perſcripta, de *hominum* conditione, quam de *angelorum* multo pluribus meminerit; nos ex *hominum* inprimis perluſtratâ, iſti *angelorum* lucem fœnerari volentes, inde quidem auſpicabimur.

SECT. II.

Quibus vocibus ac loquendi formulis *Hebræi*, & ab illis *Græci*, *Locum* ſive *ſtatum vita functorum* proprie aut figurate deſignent. Indeque τȣ̃ *Sheol* & Ἀΐδȣ notio vulgata paucis perſtricta.

VExatiſſima vox שאול Sheol *Hebræis*, prout de Corpore, Anima, vel Perſona dicitur, nonnunquam *Sepulchrum*, nonnunquam *Orcum*, *Infernum*, *Mortem*, *Statum Vitæ Functorum*, *Lo-*

Locumve (ut cum *Plauto* in prologo Caſinæ loquar) *communem* ſignificat. Cui affines ſunt voces שחת *corruptio*, דומת *ſilentium* & ſimiles; etiam באר vel בור *fovea*, quæ πολυωνυμοῦσιν ἐν ταυτότητι σημασίας, uti ex eo loco 2 *Samuelis* caput XXIII. ver. 15. collato cum 1 *Chron.* XI. v. 18. & ex tractatu *Joma* omninò conſtat; quamvis R. *Menaſſeh Ben Iſrael*, mecum diſſerens, aliter ſenſerit. *Jobus* Sheol circumloquitur ארץ חשך וצלמות *terram tenebrarum & umbræ mortis*. Pſaltes ארץ נשיה *terram oblivionis*. Sed & *Hugo Broughtonius*, *Rabbinicæ* pridem Theologiæ conſultiſſimus, עולם הבא *Ævum Futurum* aliquoties idem ſignificare, quod *Sheol*, recte advertit. Conſule Maimoniden in Yad, Halacah Teshubha, cap. VIII. §. VII & VIII. In Pirke Eleaſari cap. 33. R. Nathan Samuelis illud ad Saulum, *Cras tu & filii tui mecum*, de *Ævo futuro* quod Saulus ac filii morientes mox conſecuti ſunt, interpretatur. Perinde ac *Procopius*, *Sophiſta Gazæus*, τὸν μέλλοντα αἰῶνα pro *mundo animarum*, ut *Judæi* vocant, accepit, in illud *Geneſeos* XXV. v. 8. de *Abrahamo* moriente, προσετέθη πρὸς λαὸν αὐτοῦ, dictum ſimiliter de *Iſaaco* προσετίθη πρὸς τὸ γένος αὐτοῦ adhibens, inquit, καθ' ἑκάτερα φαίνεται, ὅτι Μωυσῆς οἶδε μάλιστα τὸν μέλλοντα αἰῶνα· οὐδεὶς γὰρ προστίθεται τοῖς μὴ οὖσι. *Utrinque liquet quod* Moſes *planiſſime cognovit mundum* Futurum, *nemo enim non exiſtentibus adponitur.*

Hebræorum autem *Sheol* *Græci* S. Bibliorum interpretes frequentiſſime Ἀΐδην verterunt, non tamen *ubique*, uti *Bellarminus* lib. VI. de Chriſto cap. 10. aſſerit, & congreges iſtarum partium

tium multo mallent. Ea vox è medio *Helleniſmi* ſumta, omnia quæ Sheol, *ſepulchrum*, *mortem* (quod memini me invito *Bellarmino* dicere) *orcum*, *locum fato functorum*, *ſtatumve)* ſignificat. Ἀΐδης ὁ τάφος *Heſychio*; &, ex eo, *Suidæ*; inde Ἀΐδων ſive Ἀϊδωνεὺς ἐνερτέρων ἄναξ *Homero*, *Sophocli*, & aliis. Sed & Ἀΐδης καὶ Πλούτων ὁ αὐτὸς λέγεται, teſte Scholiaſta in *Hecuben Euripidæ*; itidem *Plutonem*, *Orcum* vocat *Cicero*; quemadmodum & *Sheol Eſaiæ* cap. XIII. v. 9. perſonam induit, diciturque ſe penes Gigantes Regi *Babylonio* obviam feciſſe. Sed & Ἀϊδώνεια, θανάσιμα ſunt *Heſychio*. In *Anthologia* Epigrammatum *Græcorum*, p. 62. de juvenca, quam, cum fordam pro ara *Dianæ* ſtiterat æditimus, mactare non licebat, ne qua legem pariundi interrumpere videretur *Dea*, quæ partui præeſſe ſolet, ſic *Philippus*.

Ἧς ἀΐδην μέλλοντα προέφθασεν εὔστοχος ὠδίς. *Cujus mortem imminentem prævenit facile præceptus partus.* Ἀΐδην etiam νεκρῶν χωρίον exponunt *Græci*; quo pacto Styga πάγκοινον λίμνην appellat *Sophocles*. Sed & *corruptio*, *ſilentium*, *puteus*, *terra oblivionis*, *tenebrarum & umbræ mortis*, & ejuſmodi, quæ ab *Hebræis* figurate pro Sheol uſurpantur, paria invenerunt in *Helleniſmo*. *Corruptio*, hinc οἱ φθίμενοι τοὺς ἐν ᾅδου ſignificat, ut *Poetas* omittam, etiam *Xenophonti* pædias lib. VIII. *Silentium*, hinc mortuos ἀφραδέας dici à veteribus teſtis *Euſtathius* ad illa *Odyſſ.* λ'.

----- ἔνθα τε νεκροὶ
Ἀφραδέες ναίουσι βροτῶν εἴδωλα καμόντων.

Illic

Illic ſorte datum caſſos habitare ſilentes.

Paulo. Anthol. lib. III. mortuus dicitur σιγᾷν τὸ χάλκεον, quo ſenſu χάλκεον ὕπνον *Homerus*, *Ferreum ſoporem Virgilius*, pro Morte ponunt. Idem *Paulus Orcum* circumloquitur σκοτεινὰς ὁδούς. *Puteus* vel *foſſa*, hinc βέρεθρον, ſive βάραθρον, quod ὄρυγμα eſt *Harpocrationi*, *Heſychio*, *Suidæ*, *Favorino*, frequenter ᾅδην innuit. Habes, eo ſenſu, εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλεῖν apud Ariſtophanem (in Plut. Act. V. Scena 1.) ——— Πλουτῆος ὑποχθονίοιο βέρεθρα uſurpat *Orpheus* in *Argonauticis*, quo pacto βόθρον ᾅδου *Sirachides* cap. XXIV. ver. 10. *Plutarchus* in ſententiam λάθε βιώσας, βάραθρον itidem uſurpavit. *Statio*, *Tiſiphone* ——— *regina barathri* dicitur. Orcum *defoſſas domos* vocat Virgilius in *Culice*, utrique Græciſmo quam imbutiſſimi. *Terra tenebrarum & umbræ mortis*, hinc mortuos σκιὰς Græci, & ab illis *umbras* Latini vocitant. Ἀΐδην, ἀνηλίους δόμους appellat Græcus, quem imitatus *Virgilius* ——— *ſine ſole domos* dixit. Ἀΐδης βαθύσκιος & λιπαυγής *Orpheo* dicitur, ——— *inadſpectos cælo radiiſque penates* vocavit *Statius*; definiturque χωρίον ἀφεγγὲς καὶ σκότους αἰωνίου πεπληρωμένον *Favorino* veteres ſecuto. *Catullo* paſſer mortuus ——— *It per iter tenebricoſum.* Mortui *Lucianici* queruntur ob lucis penuriam unicolora eſſe in *Orco* omnia. *Terra oblivionis*, Hinc in orco ſtatuebant fluvium *Limiam* proprie dictum, quem & Ληθαῖον, vel λήθης caſu patrio, id eſt, *oblivionis*, καὶ ἔλλειψιν vocabant; non Lethes caſu recto, ut perperam *Appianus*; nec vero *Lethe*, ut *Bertio*

ad

ad *Ptolomæum* & vulgo perperam ſcribitur. Traducto forte à *Lud. Vivis* in *Auguſtinum* errore; quem tamen tacito nomine correxerat Doctiſſimus *Caſaubonus* in ſuis ad Geographum. *Mela* lib. II. cap. I. *Cui oblivionis nomen eſt Limia.* Plinius, lib. IV. cap. XXI. tradit *Limiam*, *Oblivionis antiquis dictum, multumque fabuloſum.* Lucanus lib. IX.

—— Lethes tacitus prælabitur amnis
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis.

Orcus λήθης λιμὴν dicitur in Epigrammate. *Apollonius Rhodius Mercurium* memorat *Æthalidæ* ſuo dediſſe μνῆστιν ἄφθιτον, *memoriam ita tenacem, ut oblivio animæ illius non obreperet, tametſi Acherontis vortices rapidos pertranſiret:* ſic illa ſonant,

---- οὐδ' ἔτι νῦν περ ἀποιχομένου Ἀχέροντος
Δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε λήθη.

Quibus verbis ſic pervertendis *Mercurio* ſuo belle litavit *Hoelzlinus* interpres, *ut ne quidem abſorpto nunc Acherontis indeprecabili ingluvie Letha incurſet animam*; ſed & in notis perperam adſeruit λήθην illic eſſe κύκλον· *Scholiaſtæ* λέγονται δὲ τεθνηκότες λήθην τῶν γεγονότων αὐτοῖς ἐν τῇ ζωῇ λαμβάνειν. nec opus δὲ ἐν ποσὶν ultra proſequi.

Bar Nachmoni in Breshith Rabba cap. 22. contendit, caveri prorſus necubi animæ ſeſe in Sheol

pene-

penetrent, quarum corpora nondum fuerint ſepulta; quod perhibent aliquoties etiam *Talmudici.* Tractatus *Sanhedrin*, capite quarto, in illo commate, *Vox ſanguinis fratris tui me de tellure inclamat*, propterea quod alibi dicatur נפשו דמו *Anima ejus ſanguis ejus*, ideo קול דמו *vocem ſanguinis*, de voce animæ Hebelis interpretantur, quam etiam dicunt על העצים ועל חאבנים *in ligna & lapides* jactitatam, nec acquieſſe quin huc illuc interim vagulatum itaret; idem ferunt *Medrashim* de animabus *Nadabi*, *Abihu*, *Nabothi*, & ſimilibus biæothanatis, atque aoris.

Cæterum, ut iſthic quoque *Hebræos* æmulentur *Græci*, animas, quarum corpora nondum ſepulta eſſent, non admiſit tranſvectandas ſequiſenex Inferni ponto; qua de re *Patrocli* anima, *Achillem* in ſomnis juſta popoſcit his verbis, *Iliade* ψ'.

Εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ,
Ἀχιλλεῦ,
Οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θανόντος,
Θάπτε με, ὅττι τάχιστα πύλας Ἀΐδαο περήσω.
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων,
Οὐδέ μέ πως μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
Ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Ergo mei dormis jampridem oblitus, Achille,
Quodque fuit vivi ſtadium deſeruit omne,
Pelle moram, ſepeli, quo fas ſit limina Ditis
Indugredi: manes me arcent animæque ſilentum.
Nec mihi concedunt ripa ulteriore reponi,
Verum hic ante fores Orci fruſtra erro patentes.

Inde & Virgilius dixit,

——— Hi quos vehit unda ſepulti;
Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta
Tranſportare, prius quam ſedibus oſſa quierunt.

De iſtis autem τȢ *Sheol*, & Ἀίδȣ ſignificationibus alii multis egerunt.

SECT. III.

τȢ *Sheol* & Ἀίδȣ notio non obſervata pridem: nempe iſtis vocibus *Materiam Primam*, id eſt *Naturam Corruptibilem*, deſignari.

Probatur ex Hebræorum *parte auctoribus R. Moſe f. Mayemonis, & R. Levi f. Gershomi.* Ægyptiis *&* Arabibus *eandem haberi* Materiæ *notionem.* τȢ Sheol *ſive* Materiæ *ſphæra. Locutiones inde natæ.* Græcorum *notio* τȢ ᾅδȣ

iſti

iſti Hebræorum *conſimilis.* Naturam *illis* Concretione *&* Ebullitione (*vel ut vulgo loquuntur* Fermentatione) *definiri. Nihil interire. Nullam dari mutationem in rebus præterquam loci.* Utrique principio, *tam* Paſſivo *quam* Activo, *tam* Materiæ *quam* Deo, *Æternitatem ab illis tribui.* Materia *Pythagoreis* Ἀνάγκη. *Valentianorum Duo Principia* Achamot *&* Ἀνάγκη. *Malum* Materiæ *aſſcriptum à* Græcis *&* Judæis. De Duabus *myſticis* Civitatibus *apud* Homerum. De Duobus *Chaldæorum* principiis Oromaſda *&* Arimanio. *Quid duobus principiis ſigillatim tribuatur à* Græcis *&* Ægyptiis. *Sacra gentium initia his dicata.* Duorum principiorum *error longe terrarum pervagatus.* Ἀνάγκην *in Simmia Alis* Materiam *ſive* Chaos *deſignare contra Salmaſium. Hieroclis locus expoſitus contra Morellum & Grotium. Falli Grotium in adſignanda Platonis opinione, & illa Judæorum & Chriſtianorum de rerum conditu. Perperam etiam ea in re trahi Galenum ad partes Chriſtianas. Omnia ex* Materia *profecta, eodem citra jacturam reverti, juxta veteres.* Solem Materiæ *diſpenſatorem eſſe. Scena* Materiæ *reciprocanda juxta* Græcos.

VErum eſt & alia adhuc utriuſque vocis notio quam noſtrorum nulli hactenus, quod

ſciam, adverterunt: quæ tamen Philoſophici commatis *Hebræis* & *Græcis* ſcriptoribus præcipua fit, & quaſi fundus reliquarum. Iſtius modi quippe *Hebræis*, Sheol *Naturam Subcœleſtem*, Generationis & corruptionis continentibus *Euripis* agitatam; atque adeo *Materiam Primam* ſignificat. Solent enim *Hebræi* ſummam rerum trifariam diſpertiri; in *Angelicam* partem, *Cœleſtem*, & *Subcœleſtem* quam & *Materiam Primam* vocant. Nec Angelicam tantum, verum etiam Cœleſtem partem (perinde ac *Peripatetici* Quinteſſentiam ſuam) omni labe alterationis eximunt: ut utri ab utris acceperint, haud facile internoſcere liceret, niſi vetuſtas nos plerumque à parte *Judæorum* iſtarum literarum clarde deſtituiſſet; qua *anno Chriſti* 1553 duodecies mille volumina *Hebraica* Cremonæ exuſta ſunt, pariterque per univerſam *Italiam* ſævitum eſt; ut omittam quæ alibi alias iiſdem acciderunt. Sic autem R. *Moſes* f. *Maymonis*, in Doctoris dubitantium libro ſecundo capite decimo, juxta expoſitionem R. *Samuelis Ebn. Tibbon.*

ואמנם אמרם שהמלאך שליש העולם והוא אמרם בבראשית רבה בזה הלשון שהמלאך שלישו של עולם הוא מבואר מאד וכבר בארנו זה בחבורנו הגדול בתלמוד כי הנבראות כלם שלשה חלקים השכלים הנפרדים הם המלאכים והשני גופות הגלגלים והשלישי החמר הראשון רוצה לומר הגופות המשתנות תמיד אשר תחת הגלגל כן יבין מי שירצה להבין חידות הנבואה ויעור משנת השכחה וינצם מים הסכלות ויעלה אל על יונים למעלה אמנם מי שייטב לו שישוט בימי סכלותו וירד מטה מטה לא יצטרך שיטריח גופו ולא לבו יניח התנועה והוא ירד למטה בטבע והבן קל מזה שנזכר והשתכל בו: *Dicunt utique, Angelus eſt tertius mun-*

mundus, quod etiam dicunt totidem verbis in Bereshith Rabba, quod Angelus ſit tertia pars *mundi* (locus eſt in סדר ויצא fol. 44. col. 1. edit. Bomberg.) *id plane liquet, eſtque nuper in hoc argumentum, in Diſquiſitionibus noſtris magnis in Talmudem, explicatum*; (locus eſt in Jad, tractatu de Fundamentis legis, capite ſecundo) inibi quippe docuimus; *Summam rerum in tres partes* diſtingui, *in Mentes ſeparatas, quæ Angeli dicuntur: Secundo in corpora cœlorum; Tertio, in Materiam Primam, id eſt, in corpora perpetuo mutabilia quæ ſub cœlo ſunt. Ita intelligit quicunque griphis propheticis intelligendis animum advertit, atque ex oblivionis veterno expergiſcitur, & excutit aquas ſtultitiæ, & aſcendit ad ſuperos in alto* agentes. *Sed cuicunque arridet in ſtultitiæ pelagus immergere ſeſe & inferius deſcendere, non* habebit *opus* ea de re *corpus animumve ſuum vexare; otioſe ſe habeat modo & ſponte ſua ad ima deſcendet. Tu vero memorata hæc omnia perpende.* Idem capite proximo כל נפרד תשפע ממנו גם כן המצאה אחת עד שיגיעו הגלגלים אל גלגל הירח ואחריו זה הגוף ההווה הנפסד רוצה לומר החמר הראשון ומה שהורכב ממנו : *Omnes Intelligentiæ de ſe influunt in rem aliam aliquam; quoad orbes cœleſtes pervadentes ad uſque orbem Lunæ pertigerint, & corpora ſubjecta (quæ corruptibilia ſunt) Materiam nempe Primam & quæ ex ea conſlantur.* Hoc pacto *Syneſius*, ex Platoniſtarum ſententia, *ſublunaria* ὕλαν πολυκύμονα vocat, Hymno II. Itidem R. *Levi Ben Gershom* in *Proverbiorum* cap. XV. v. 11. & XXVII. v. 22. per Sheol ההילי הראשון *Materiam Primam* intelligit: qua de re tametſi *Giggeius*,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

geius, qui mentem illius minime perſpexit, *mendacis philoſophaſtri* elogio eum ſugillet, nos conabimur iſtam *Inferni* notionem aliquatenus ſubinde illuſtriorem reddere. Idem *Gershomides* (in cujus præſertim ſcriptis plurima vetuſtiſſimæ *Philoſophiæ* veſtigia hodieque extant) in *Proverbiorum* caput XXX. v. 16. hæc habet, שאול והיא ההיולי הראשון ידמהו אל חמטרה המוחלט וגו *Sheol eſt Materia Prima, habetur vero pro penitus infimo: Propterea quod naturæ prorſus imperfectæ ſit, quod vel inde conſtat, quoniam illi non ſit ſatis unica forma veſtiri, niſi repente aliam & poſtea aliam induat.* Quamvis enim Angelicam, Cœleſtemque pariter naturam ſuis unis formis abunde completas cenſeant, Subcœleſtem interim *totius univerſi fæcem* vocitant; utpote quæ nullius formæ tenax, ad alias atque alias ſubinde inexplebili petacitate ſeſe comparet. Rerumque variis reciprocationibus, modo ad hujüs vitæ lucem, modo ad *Inferni*, id eſt *Materiæ*, tenebras, totius naturæ ſubcœleſtis curriculum abſolvi ſtatuunt.

Τῷ Sheol vero *Hebræorum*, reſpondet *Ægyptiorum* ⲁⲙⲉⲛϯ Unde & *Plutarchus* Ἀμένθην exponit, τὸν λαμβάνοντα καὶ διδόντα libro de *Iſide* & *Oſiride*. Perinde ac *Philoſophi* pro *materia* ſive *chao* uſurpant, *Arabes* اصول unde res, quæ abolitæ videntur, tanquam à radice regerminant. Sed & معاد *mahad* eſt *locus ad quem reverſio fit*, à radice عاد *rediit*, teſte *Ebn Sennæ* in libro ſic inſcripto. Nec operæ fuerit ad frigidum anagramma vocis *Adamah* confugere; quod nec rem conficiet niſi & gutturales gratis alter-

alternentur: neque enim crediderim *Sanfordium*, ſive *Parkerum*, iſtius notationis inſtitorem, vocem *mahad* Arabicè ſcriptam unquam vidiſſe. Iſtam autem vocem *Reſurrectionem*, ejuſque ſtatum frequenter *Arabibus* deſignare certum eſt. Iiſdem autem البرزخ *Alberzach* idem ac *Sheol* & Ἀίδης ſignificat.

R. *Abraham* f. *Eſdræ* in *Jonæ* caput II. v. 3. *Sheol* exponit מקום עמוק הפך שמים מרוא מרום *locum humilem, oppoſitum cœlo, quod imminet*, vel *quod eſt altum*. R. Levi. f. Gershomi in *Jobi* cap. XXIII. v. 6. *Sheol* exponit per טבור הארץ *centrum terræ*: quod per μνημονικὸν ἁμάρτημα ex *Ebn Eſdræ* citavit *Buxtorfius* in voce: שאול verba enim f. *Eſdræ* eo loci (quod ſciam) non ſunt: ille autem in eandem ſententiam ivit in *Proverbiorum* cap. I. v. 13. In terræ etiam meditullio *Infernum* ponit Rabbi D. *Kimchius* Judæorum eruditiſſimus, quem R. *Solomon Ben Melech*, nuper *Amſteldami* editus, ubique tranſcribit. Porro quoniam res integræ ex partium minimarum coalitu aptæ in ſubdivali tum comparentes *ſolem* vel *lucem adſpicere, inque ea verſari* ſancta dialecto perhibentur: (ut ex *Pſalmi* LVIII. v. 8.) Tanquam *intempeſtivus fructus mulieris ne adſpiciant ſolem*, & non paucis aliis S. Scripturæ locis plane patet; quo freti in illo Prophetæ de Reſurrectione כי טל אורת טלך *quia ros herbarum ros tuus*; Chaldæus טלך ארי טל נהור Syrus ܡܛܠ ܕܛܠܟ : ܛܠܐ ܗܘ ܕܢܘܗܪܐ & Hieronymus, *quia ros Luminum ros tuus*, (cum vox Hebræa anceps ſit) vertere maluerunt; propterea quod *vitæ* recuperatæ *lucis* denuo uſura obveniat. Inde & Reſurrectionem mortuorum

auroræ vocabulo venire legas, Pſal. XLIX. 14. (*Juſti dominabuntur illis in aurora.*) Ut, è regione, cum ſoluta compage avolant recidivæ particulæ, quælibet quo præſcribit naturæ ſuæ momentum, anima ac ſpiritu remeante ad fontem unde primitus manarat, quia res tunc ſunt ex oculis ſublatæ, antiquum obtinere deſinentes, לשאולה *in Infernum*, מתחת לארץ *ſubtus terram*, quia nuſquam comparet ſuperius, corpuſque eo redierit, ceſſiſſe dicitur. *Pſaltes* figurate locutus, eodem reſpexit, dicendo תשוב תחיינו ומתהומות הארץ תשוב תעלנו *Revivificabis me, & è voraginibus terræ readſcendere facies me*, Pſalmo LXXI. v. 20. *Habitare fecit me in tenebris uti qui longum mortui*, במחשכים כמתי עולם Pſal. CXLIII. v. 3. Ejuſmodi eſt *terra oblivionis*, & Jobi memorata *terra tenebrarum & umbræ mortis*, quibus verbis *Infernum* circumloquuntur. Sacris etiam literis mortui *ne eſſe quidem* dicuntur, Pſalmo XXXIX. 14. *ante quam diſcedo, & non ego.* Jacobus *de* Joſepho & Simeone, quos mortuos putabat, יוסף איננו ושמעון איננו *quod ad Joſephum attinet, ille non eſt; & quod ad Simeonem attinet, ille* etiam *non eſt.* Sic *Rachel deflens liberos ſuos, recuſavit conſolari, quia non ſunt;* Hieremiæ XXXI. v. 13. Sophocles, Homerum imitatus, *mortuos* οὐκ ἔτ' ὄντας appellat. Hinc in Comœdia, *perii, nullus ſum.* Plautus Perſa, Act. IV. ſc. 4. *Omne ego pro nihilo eſſe ducto quod fuit, quando fuit. Mortui ergo nulli* Tertulliano. Ciceroni *mortui ne ſunt quidem* Tuſc. quæſt. 1. Quæ enim non comparent, plebeiis ingeniis ægre quidem, eſſe, viceris; atque ad horum captum deſcendit ſacra dialectus; hinc ὄντα καὶ φαινόμενα aliquoties con-

confundi legas. Mater ſeptem juvenum *Macchab.* II. c. VII. v. 28. aſſerit Deum mundum creaſſe ἐξ οὐκ ὄντων, auctor ad *Hebræos* cap. XI. v. 3. μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα, id eſt, ἐξ οὐκ ὄντων ὄντα. *Sheol* autem ita circumlocuti, ciſiariis è trivio oculis naviter utentibus gratificantes, nihil aliud αὐτόχρημα volebant præter ſummotionem & ἀφανισμὸν rerum à priſtino ſtatu & vita disjectarum, dum ſingulæ interim micæ, compoſiti nexu ſolutæ, citra interitum, qui ſummæ rerum demeret, ad ſua principia revertuntur: id *Hebræis* eſt deſcendere in *Sheol*. Eſt qui Concionatricis illud, cap. III. v. 20. *omnia tendunt* אל מקום אחד *in locum unum*, eo ſenſu acceperit; nec abnuero. Atque hoc pacto Sheol Philoſophorum *Hebræorum*, revera idem eſt ac vetuſtiſſimæ Philoſophiæ *Chaos* ſive *Materia*; quam minus luculenter concinnavit *Ariſtoteles*, peſſime Interpretes.

Enimvero in *Græcorum* præceptis erat, ὡς οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ὑπάρχει, ὅτι εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεται; ita quidem ſummæ rerum conſultum voluerunt: ſin rebus quamlibet mutatis accideret interitus, ſequeretur univerſa tandem abolitum fore, nec ſuppetere unde res poſtliminio renaſcerentur. Naturam ergo Σχεδασμὸν & ἑνώσεις ἀτόμων definiunt. *Empedocles* apud *Plutarchum* ſcivit,

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' ἐς ἓν ἅπαντα.
Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

 Idem

Idem *Empedocles* primo Phyſico,

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, φύσις ὐδενός ἐστιν ἑκάστου
Θνητῶν, ὐδέ τις ὐλομένη θανάτοιο γενέθλη,
Ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων
Ἐστὶ, φύσις δ᾽ ἐπὶ τοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισι.

Tzetzes in Allegoriis de *Empedocle*,

Μίξιν γὰρ αὐτὸς καὶ διάλλαξιν λέγει
Φύσιν ------.

Διάλειξιν habent libri à *Morello* editi, perperam: hinc etiam Ἀΐδην ſive Orcum τὸν διαλλάκτην permutatorem vocarunt veteres, ut *Pharnuthus* notat capite ultimo, utpote quem penes rerum ſtatus ſolutus ſit, M. *Antoninus* quarto τῶν εἰς ἑαυτόν. Ὁ θάνατος τοιοῦτον οἷον γένεσις, φύσεως μυστήριον, σύγκρισις ἐκ τῶν αὐτῶν στοιχείων εἰς τὰ αὐτά. Hoc idem *Ægyptii Oſiridis* διασπασμοῖς καὶ ἀναβιώσεσι ſignificabant. Idem & *myſtica vannus Iacchi*, unde res excuſſæ perpetuo redituriunt, ſibi voluit. *Valentiniani* (apud *Irenæum*) naturam ἐκβρασμῷ *fermentatione* abſolvunt: quam notionem à veteribus mutuo ſumſerunt. *Pharnuthus* enim libri περὶ θεῶν φύσεως, cap. III. Naturam pariter σύγκρισιν καὶ βρασμὸν τῆς ὕλης

ὕλης (ut *Aldus* edidit) *Concretionem & Fermentationem materiæ* vocavit; vetus interpres Aldinam lectionem confirmat, qui *ebullitionis* voce hic uſurpata ſe βρασμὸν legiſſe planiſſime oſtendit. Valentiniani ζυμώσεως vocabulo ſimiliter utuntur, non procul initio Excerptorum quæ ſubjunguntur *Clementis Alexandrini* operibus. (*Phaſianus*, qui iſtum *Pharnuthi* librum *Latine* pervertit, legit κρασμὸν τῆς ὕλης, ſed invita ſententia loci, & reclamante *Helleniſmo*; κρασμὸς enim eſt verbum nulli, quod ſciam, rei.) Tantæ ſaltem antiquitatis eſt *Fermentationis* notio. Ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς ταὐτὸ ἀναλύεσθαι dixit *Muſæus*. Quo ſenſu *Carneades*, ἡ συστήσασα φύσις καὶ διαλύει. Et *Thales*, *Phyſicorum princeps Tertulliano*, οὐδὲν τὸν θάνατον διαφέρειν τοῦ ζῆν. Sed & anteſignanus noſter *Hippocrates*, primo de *Diæta*, Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται ὅ τι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν, ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διαλυόμενα ἀλλοιοῦται. Νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι· τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος ἐς ἅδην μειωθὲν, ἀπολέσθαι. *Ex rebus quidem univerſis perit nihil, neque naſcitur, quod non prius erat: commiſtæ vero ac ſeparatæ alterantur. Vulgò autem exiſtimatur illud quidem, quod ex orco in lucem crevit, naſci; id vero, quod è luce in orcum imminutum fuerit, perire.* Iſtæ phraſes ἐς φῶς αὔξεσθαι atque ἐς ἅδην μειοῦσθαι modum continent unde contingat rem natam in lucem emergere ac conſpici, atque viciſſim quo pacto eadem res denata vaneſcat è conſpectu. Naſcitur enim ac conſpicitur *creſcendo, molemque augendo; denaſcitur decreſcendo, ac mole ſic tandem minuta ac diſſipata, ut ne compareat* quidem. Πληρωθὲν μὲ ἐφάνη διὰ τὴν τοῦ

παχύ-

παχύτητ☉ ἀντιτυπίαν, ἀόρατοι δέ ἐςὶν ἐκκεναθὲν διὰ λεπτότητα, inquit *Apollonius* in Epiſtola ad *Valerium*, quæ extat inter *Græcas Cujacii* verſionem *Latinam* mentientes: ἅδης enim veteribus eſt ἀφανισμός. *Gobryas* in *Axiocho* pro κατελθεῖν εἰς ἅδε, εἰς ἄδηλον χωρεῖν τόπον dixit; hinc ἄϊδ☉ κυνῆ proverbialiter ſubmovet ex oculis atque inviſibile quid præſtat. Fruſtra ergo queritur *Lucretius*, quod

——— *Nuſquam apparent Acheruſia regna:* neque enim debent. Huc refer Poeticæ Theologiæ fabulam, quæ vult τὴν Κρόνου progeniem omnem quam ἐκ Ῥέας, id eſt, fluida natura ſuſceperat, devorare ac denuo removere. Iſta rerum viciſſitudo ἀνακύκλησις ſolenniter à *Plutarcho* in Conſolatorio ad *Apollonium* & alibi dicitur: ut & apud Nicomachum Geraſenum. Et ſimpliciter κύκλησις & εἰωθὼς δρόμ☉ à *Platone* in *Politico*. *Syneſius* Hymno II. ad Deum,

Ἐξολλυμένων	*Deperditorum*
Κύκλ☉ ἀΐδι☉,	*Circulus æternus,*
Ταῖς ζαῖς πνοίαις	*Tuo adflatu*
Ἀναθαλπόμεν☉,	*Refocillatus,*
Σοὶ διὰ πάντων	*Tibi per omnia*
Ἵςησι χορȣ́ς.	*Choros ſtatuit.*

וגלגל הוא החוזר בעולם *& rota hæc in æternum circumvolvitur*, ut loquitur R. *Jonas* in Porta Pœnitentiæ, fol. 42. pag. 2. Iſtam ἀνακύκλησιν S. *Jacobus* cap. III. v. 6. τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως vocat. γένεσις autem idem valet quod φύσις, ut docti

docti norunt: quemadmodum etiam idem ſanctus *Jacobus* πρόσωπον τῆς γενέσεως pro πρόσωπον τῆς φύσεως, id eſt, φυσικὸν poſuit.) Idem ſibi voluit Περιοδικὴ παλιγγενεσία *Pythagoræ*. (Quam παλιγγενεσίας vocem etiam Chriſtus uſurpavit, ad ſignificandam redintegrationem rerum olim futuram; Matthæi XIX. v. 28. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίζεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνων. Nimirum σικτέον poſt ἀκολουθήσαντές μοι, referendo ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ad ſequentia: quod Stephanus notat quinque MSS. confirmari.) Idem ſenſiſſe *Democritum*, *Diodorum*, *Leucippum*, & veteres pleroſque Phyſicos liquet. Iſtis adde *Epicurum* in Epiſtola ad *Herodotum*, quam nobis Epicuriſmi aſſecla *Laërtius* conſervavit. M. *Antoninus* libro V. καταταχθήσεται πᾶν μέρος ἐμὸν κατὰ μεταβολὴν, εἰς μέρος τι τοῦ κόσμου· καὶ πάλιν ἐκεῖνο εἰς ἕτερον μέρος τοῦ κόσμου μεταβαλεῖ, καὶ ἤδη εἰς ἄπειρον· κατὰ τοιαύτην δὲ μεταβολὴν κἀγὼ ὑπέστην, καὶ οἱ ἐμὲ γεννήσαντες, καὶ ἐπανιόντι εἰς ἄλλο ἄπειρον. Οὐδὲν γὰρ κωλύει οὕτως φάναι, κἂν κατὰ περιόδους πεπερασμένας ὁ κόσμος διοικῆται. *Referetur unaquæque mei pars per mutationem in aliquam mundi partem: Et hæc rurſus in aliam mundi partem tranſibit, idque ad infinitum uſque. In hac autem viciſſitudine & ipſe exſtiti, perque me parentes mei, idque in infinitum uſque retro eundo. Nihil enim vetat quin ſic loquamur, tametſi mundus per certas revolutiones diſponatur.* Eadem habes apud *Plutarchum* lib. de Conſol. ad *Apollonium*. *Apollonius Tyanenſis*, nuper laudatus, *Valerio* perſuaſurus Οὐ πενθητέον εἶναι τὸν θάνατον, iſtis conſentit, nullamque *mutationem* fieri poſſe pertendit, præterquam *loci* ſolius;

ſolius; (*χωρῶν διαμοιβὴν* adpellat *Plato*) mortem generationemque tantum ſpecie quadam tenus fieri, de rerum ſumma nihilo decedente, facta ſolummodo particularum ſegregatione. Ait etiam, Ἡ πρώτη οὐσία (quam alibi (cum *Plutarcho*, *Plotino*, *Pharnutho*, *Antonino*) veteres ſecutus, οὐσίαν ſimpliciter dixerat) μόνη ποιεῖ τε καὶ πάσχει, πᾶσι γινομένη πάντα, ΔΙΑ' ΠΑ'ΝΤΩΝ ΘΕΟ'Σ 'ΑΙ'ΔΙΟΣ. Quæ verba ob oculos habuit, credo, qui librum *De Admirandis Naturæ, Reginæ, Deæque mortalium* inſcripſit, *Vaninus*; iſtius Deæ infrunitus ſacerdos, idem & infame ſacrificium. Enimvero utrique Principio non Δημιουργοῦ tantum ſed etiam *Materiæ* ſive *Chao* æternitatem, deitatemque, cum *Apollonio* adſcripſerunt veteres *Græci*; ſibique ignoſci poſtulant, ſi ſummo illi opifici univerſitatem ex nihilo potuiſſe facere non concedant: rati ſe illi belle litaſſe, cui acceptum ferunt quicquid pulchritudinis atque ordinis, moli quæ pridem tumulti plurimum, ornati nihil habuit, acceſſerit. Inde univerſitati τοῦ κόσμου nomen *Pythagoras* primus fecit, memorante *Galeno*, *Achille in Aratum*, & Auctore libri de Placitis Philoſophorum. Regem & Reginam *Pſyches* parentes (apud *Apulejum*) *Deum & Materiam* recte expoſuit *Fulgentius*, tametſi cætera minus adſequatur ob *Platoniſmi* inſcitiam. *Timæus* autem Locrus ſic decrevit: Δύο αἰτίας εἶναι τῶν συμπάντων Νόον μὲν τῶν κατὰ λόγον, Ἀνάγκαν δὲ τῶν βίᾳ, κατὰ τὰς δυνάμεις τῶν σωμάτων· Τουτέων δὲ τὸν μὲν τᾶς ἀγαθῶ φύσιος εἶμεν θεόν τε ὀνυμαίνεσθαι, ἀρχάν τε τῶν ἀρίστων, τὰ δὲ ἑπόμενά τε καὶ συναίτια εἰς ἀνάγκαν ἀνάγεσθαι. *Binas omnium cauſas eſſe, Mentem horum quæ juxta rationem, Neceſſitatem vero illorum quæ*

vi fiunt ſecundum corporum facultates : Harum autem unam naturæ bonæ conditricem eſſe, Deique nomine gaudere, atque optimorum principium haberi; conſequentia vero ac concurrentia Neceſſitati accepta ferri. Qui noſſe velit quid τὰ ἑπόμενα τε καὶ ξυναίτια ſint, legat Maximum Tyrium Diſſertatione XXV. cap. primum φυσικῶν ἐκλογῶν Stobæi, & Proclum in hunc Timæi locum. Quam autem hic ἀνάγκην *neceſſitatem*, poſt paucula ὕλην *materiam* vocat. *Numenius* quoque ex *Pythagoræ* ſententia, *Sylvam* (id eſt ὕλην) *Neceſſitatem cognominat, ex qua & Deo, mundi machinam conſtitiſſe; Deo perſuadente; Neceſſitatem obſecundante*, cenſuit: referente *Chalcidio* in *Timæum*, pag. 399. Apud *Laërtium* in vita *Platonis*, Ἐπεὶ δ᾽ αἴτιαι εἰσὶ δύο, τὰ μὲν διὰ νοῦ εἶναι, τὰ δὲ ἐξ ἀναγκαίας αἰτίας (φησὶ Πλάτων) λεκτέον· pro διὰ νοῦ, διαμονὴν habent libri editi perperam, falſus & interpres, ſed & *Iſ. Caſaubono* aqua hæſit. Fallitur itaque *Tertullianus* in Apologetico, ubi Λόγον *Artificem univerſitatis, Neceſſitatem omnium rerum dici* perhibet: *Neceſſitas* enim eſt vocabulum *Materiæ* tantum. Plutarchus, libro de Facie in diſco Lunari; Duo hæc principia τὸ βέλτιον καὶ ἀναγκαῖον, M. Antonius libro quinto, αἰτιῶδες καὶ ὑλικὸν vocat. *Valentiniani* apud *Irenæum* ferunt *Achamoth* ἐν σκιᾶς καὶ κενώματος τόποις ἐκβεβράσθαι κατὰ ἀνάγκην. Achamoth eſt חכמות Chokmoth, id eſt, ὁ νοῦς, ἀνάγκη eſt *materia*, ἐκβρασμὸς *fermentatio* quæ interceſſit. Hæreticos autem iſtos *Barbaris* vocabulis uſos fuiſſe, εἰς κατάπληξιν τῶν τὰ τοιαῦτα τεθηπότων, teſtis Euſebius, Hiſtoriæ quarto. חכמה Chokmah autem, vel *Ægyptiaca* terminatione Valentinianorum Chokmoth, ſecun-

cundas obtinet in Triade Cabalica : cui Λόγος ſive νοῦς reſpondet in Triade Pythagorica. Ut ergo hi *Menti*, ita illi ſuæ Chokmoth, i. e. *Sapientiæ*, mundi opificium tribuebant: quocirca illud Moſis *In principio creavit*, *In ſapientia creavit*, בחוכמא vertere maluit, interpres Hieroſolymitanus, qui Cabaliſmis ubique ſcatere ſolet. Iſtæ nugæ Valentinianorum ἀντὶ τῆς παραλλήλου πραγματείας Cabalicorum exponi non poſſunt. In Reſurrectione Generatio ceſſabit (inquit ſuppoſititius *Joſephus* in fragmento quod edidit D. *Hæſchelius* in Notis ad *Photium* pag. 9.) οὐ θηρίων γονὰς πάλιν, οὐ δὲ τῶν λοιπῶν ζώων ἐκβρασσομένη οὐσία. *Materia non bulliet denuo in ferarum ac reliquorum animalium generationem. Materia* etiam dicitur ἀνάγκη ἄμορφος in vita *Platonis* apud *Laërtium*: ſed interpretes locum non intellectum corrupere. Quorſum vero *Materiam Neceſſitatem* vocet, ex dictis *Timæi* liquet; nempe quia opinabatur mentem prava *materiæ* conditione, quæ non quita eſt corrigi, impeditam; quicquam melius quam præſtiterit, nequiſſe extundere. *Plato Locrenſis Philoſophi* interpres, Βουληθεὶς ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ τὴν δύναμιν· οὕτω δὴ πᾶν ἔσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον. Cicero vertit, *Quum conſtituiſſet Deus bonis omnium explere mundum, Mali nihil admiſcere quoad natura pateretur; quicquid erat, quod in cernendi ſenſum caderet, id ſibi adſumſit, non tranquillum & quietum ſed immoderate agitatum & fluctuans: idque ex inordinato in ordinem adduxit, hoc enim judicabat eſſe præſtantius.*

Hanc

Hanc *materiam* æternam ſtatuendo, non tantum Divino opifici provinciam quam ornaret, ſuffecerunt; verum etiam quæſtionem ἀμήχανον ſolutum ibant, de *Mali origine*; quod περιπολεῖν θρυλητὴν πάντων φωνὴν ex *Academicorum* ſententia aſſerit *Plotinus*. *Malum* quippe, generis utriuſque, *Materiæ indomabilitati* imputabant: eaque de re agit *Plotinus* toto *Enneadis* primæ libro octavo. Ibi hæc habet, Μεμιγμένη γὰρ οὖν δὴ ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου φύσις ἔκ τε Νοῦ καὶ Ἀνάγκης· καὶ ὅσα παρὰ Θεοῦ εἰς αὐτὸν ἥκει, ἀγαθά· τὰ δὲ κακὰ ἐκ τῆς ἀρχαίας φύσεως, τὴν ὕλην λέγων τὴν ὑποκειμένην οὔπω κοσμηθεῖσαν εἴωθε [Πλάτων.] *Hujuſce ergo mundi natura miſta exiſtit ex Mente & Neceſſitate: & quæ à Deo in illum proficiſcuntur, Bona ſunt; Mala vero oriuntur ab antiquâ illa natura, quam Materiam ſubjectam nondum ornatam vocare (Plato) conſuevit.* Juxta Platonem *mundo bona ſua Dei tanquam patris liberalitate collata ſunt: mala vero matris Sylvæ vitio cohæſerunt*, inquit Chalcidius pag. 396. quem inſpicias, ſi plura hac de re velis, & *Maximum Tyrium* Diſſertat. XXV. *Porphyrius*, referente incerto auctore apud *Photium* (pag. 1315.) inquit ἐξ ἀνάγκης δὲ ἐστι καὶ ἡ κακία εἰς τὸν περὶ γῆν τόπον. Hinc vitia *corporeas peſtes* adpellat *Virgilius*, ὑλικὰς ὀρέξεις *Irenæus*, *Syrus* 1 *Petri* cap. II. v. 11. ܪ̈ܓܝܓܬܐ ܦܓܪ̈ܢܝܬܐ ſic תאוה גופיית *appetitus corporeus* pro vitioſo paſſim occurrit apud *Rabbinos*; ὑληγενὴς οἶστρος Syneſio dicitur;

——— Pulſus
Materiæ, ———

Prudentio, in Hamartigenia. Inde & κακία ἔνυλος

λος Academicis identidem. Hinc apud *Orpheum* legas,

---Ἀρχαίȣ χάεος ἀμέγαρτον ἀνάγκην.

ἀμέγαρτος autem eſt πολλὴ, exponente Etymologo. *Chaos inſuperabile* dicitur *Paulino* Poetæ. Hinc illud *Arnobii* πύσμα, lib. primo, *Quid ſi prima Materies, quæ in rerum quatuor elementa digeſta eſt, Malorum omnium cauſas ſuis continet in rotationibus involutas?* Judæi itidem ſentiunt. הרעית כלם העדרום וגו *Mala omnia* utpote *privationes, materiæ accepta ferri debent*, inquit *Mayemonides*, Doctoris part. III. cap. VIII. & alibi. Auctor libelli de morte *Moſis*, non procul initio, exponens illud, *Non eſt juſtus in terra qui faciat bonum & non peccet*, inquit, טעם בארץ מפני רוב נסות החומר העב הגורם לחטא *Dixit* in terra *propter magnam denſæ materiæ craſſitiem, quæ mali cauſa eſt.*

Græcis Deus opifex Ζεὺς dicitur, *Æthiopibus* እግዚአ፡ሰማይ *Ygzia Smai*, id eſt *Dominus cœli*, (iſtud nomen corrupte ſcribitur apud *Leonem Afrum* p. 22.) peneſque illum vita; Materia ᾅδης penes quem mors ſive diſſolutio. Sic omnia ſunt aut ἐν Διὸς, aut ἐν Ἀΐδȣ. Ζεὺς, cui lux & dies in ditionem cedit, φιλίαν ſive ἔρωτα miniſtrum habet: hinc in collo ſcarabæi, per quem *Generationem* (Oro teſte) Φϒλ∇Ζ ſcribebant, innuebant *Ægyptii*, quæ vox φιλίαν ſignificat: Ἀΐδης νεῖκος ὑπȣργὸν habet, cujus vires tenebris atque ἀφανισμῷ obvolvuntur; ᾅδης enim eſt lucis privatio Etymologo, *Plutarcho*, *Platoni*, &c. Inter hæc duo principia, mun-

mundus ſenſibilis perpetuis ἀμοιβαῖς ac reciprocationibus agitatur. Hæc duo principia, duabus iſtis civitatibus *Vulcani* cœlo in *Achillis* clypeo deſcriptis, adumbravit princeps Poëtarum, indeque traxit *Empedocles*. Μεταβέβηκεν οὖν (Ὅμηρος) ἀλληγορικῶς ἐπὶ τὰς δύο πόλεις, τὴν μὲν εἰρήνης, τὴν δὲ πολέμου παρεισάγων ἵνα μὴ δὴ Ἐμπεδοκλῆς ὁ Ἀκραγαντῖνος ἀπ' ἄλλου τινὸς, ἢ παρ' Ὁμήρου τὴν Σικελικὴν ἀρύσηται δόξαν· ἅμα γὰρ τοῖς τέσσαρσι στοιχείοις, κατὰ τὴν φυσικὴν θεωρίαν, παρέδωκε τὸ νεῖκος καὶ τὴν φιλίαν. Τούτων δὲ ἑκάτερον Ὅμηρος ὑποσημαίνων, πόλεις ἐχάλκευσε τῇ ἀσπίδι, τὴν μὲν Εἰρήνης τουτέστι φιλίας, τὴν δὲ Πολέμου τουτέστι Νείκους. *Homerus ergo allegorice tranſiit ad duas civitates, hanc Pacis, illam vero Belli introducens: ita ut Empedocles Agragantinus à nullo alio præterquam ab Homero Siculam opinionem traxerit. Simul enim cum quatuor Elementis, quæ in Philoſophia naturali celebrantur, etiam Litem & Amicitiam conjunxit: quorum utrumque Homerus innuens, Civitates ſcuto incudit; hanc Pacis id eſt Amicitiæ, illam vero Belli id eſt Litis*, inquit *Heraclides Ponticus* in Allegoriis. (Qui, pace *Geſneri*, *Ariſtoteli* coætaneus eſſe non poteſt; cum *Aratum* & *Eratoſthenem* citet, quorum hic ſeſquiſeculo, ille ſeculo circiter, *Ariſtotele* junior fuit.) Eadem ſenſere *Chaldæi*, quibus Boni omnis, Lucis & Vitæ præſes Ὡρομάσδης *Perſis* اورمزذ & corrupte هرمزذ *Hormizd*: Mali autem tenebrarum & Mortis Ἀρειμάνιος audit. Ὀρμισδάτης atque Ἀριμάνης apud Agathiam, hiſtoriæ ſuæ ſecundo, dicuntur.) Hiſce duobus Principiis ſeorſim famulati ſunt duæ iſtæ Chaldæorum nobiles ſectæ, Ὀρχηνοὶ ac Βορσιππηνοί. De quibus Strabo, Arria-

nus, Plinius, Ptolomæus, Theodorus, Meliteniota, aliique meminerunt. Oromaſdes autem dictus videtur ab אור *ur, lux, ignis*; & מצר *matzad, muniit, cuſtodiit:* erat hoc *Solis* indigitamentum, quod eſſet *Lucis penus*; *arx*, ſive *promptuarium*; quo ſenſu eum Διὸς φυλακὴν vocavit Pythagoras, ab his forſan edoctus. Hunc *vitæ principem* habebant, cui ſeſe addixerunt Orcheni, ipſi ab urbe Orchoe, vel Orcha, (multifariam quippe ſcribitur) quæ אור Ur Chaldæorum, Abrahami patria perperam habetur, nomen ſortiti. Salmaſius, in Præfatione ad Annos Climactericos, terminationis ratione minime animadverſa, Orchenos dictos exiſtimat, quod *eſſent ſacerdotes ignis*, אור כהניא *Ur cohania* enim tantundem Chaldaice ſignificat. Sed omnino conſtat nomen illud ab urbe memorata inditum, terminatione gentili addita. Ab Ὄρχη Ὀρχηνοί: Sicuti à Βόρσιππα vel Βορσίππη, Βορσιππηνοί, uti dicti ſunt alterius ſectæ proceres, qui Arimanio præcipue litabant. Dictus autem videtur Arimanius ab ערם *aram*, quod *coacervare* & Hebraica & Chaldaica lingua ſignificat, ut poſſem multis exemplis docere; tametſi id Lexica pleraque præterierint. Arimanius ergo *materia*, ſive *Chaos* eſt, immanis ille acervus ad quem ſoluta omnia redeunt ἀφανισθέντα denique ac tenebris obvoluta. Ut autem urbs illa, quam Orcheni, *lucis antiſtites*, tenebant, nomen à *Luce* ſumſit: itidem ab ejus contrario factum eſt Urbi nomen, quam contrarii principii ſacerdotes incolebant. Borſippa enim à בור ספן *Bor*, & *ſaphan*, *honorare*, quod *Bor* illic in ſummò *honore* eſſet, dici videtur.

Bor

Bor autem *ſepulchrum*, ᾅδην, ἀφανισμὸν, *Statum rerum tenebroſum* atque *inviſibilem*, omnia quæ *Sheol*, ſignificare, pridem notavimus. Sciſcunt autem cum illis Veteres Græci *Superiorem* univerſi partem ὑπὸ Ζηνὸς *ſub* Jove *vitæ præſide* ſtabili ac luculenta tranquillitate ac perpetuo Bono frui, rebus Adminiſtra Amicitia procuratis; è regione, *Infimam* univerſi partem ὑπὸ Πλούτωνος ἢ Ἅιδου, *ſub Mortis Arbitro Summano*, dira caligine obnuptam, impotente diſſidentium principiorum Lite, ac pugnæ nunquam diremtæ Malis exerceri. Regio itaque Infima, ἀνάγκης θρόνος dicitur Oraculo *Chaldæo*. *In media* vero univerſi parte, ut loquitur Euripides,

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακὰ
Ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις.

Bonum Malumque mutuo ſeſe premunt,
Diremta nuſquam.———

Alternis quippe *Jovem* & *Vejovem*, Vitam & Mortem, Lucem & Tenebras, Bonum & Malum obtinere. Ἀπὸ δυεῖν ἐναντίων ἀρχῶν, καὶ δυεῖν ἀντιπάλων δυνάμεων, τῆς μὲν ἐπὶ τὰ δεξιὰ καὶ κατ' εὐθεῖαν ὑφηγουμένης, τῆς δὲ ἔμπαλιν ἀναστρεφούσης καὶ ἀνακλώσης, ὅ, τε βίος μικτὸς, ὅ, τε κόσμος, εἰ μὴ πᾶς, ἀλλ' ὁ περίγειος οὗτος, καὶ μετὰ Σελήνην, ἀνώμαλος καὶ ποικίλος γέγονε καὶ μεταβολὰς πάσας δεχόμενος. *A duobus contrariis principiis, atque poteſtatibus duabus adverſis; hac ad dextram recta ducente, illa viciſſim obvertente & repellente; vita miſta fit, ut & mundus, ſi non omnis, ſaltem hic in terræ confinio ac ſublunaris,*

inæqualis ac varius ſit, omnibuſque mutationibus obnoxius, inquit Plutarchus libro de *Iſide* & *Oſiride*. Ab iſtis reciprocationibus, quibus Materia perpetuo ſubjacet; Ἀνάγκη παλινδίνητος eleganter dicitur à Chriſtiano poëta, cujus carmen Εἰς τὸν Σωτῆρα operibus Claudiani inſeritur. Sic Cereri (quæ Naturam ſignificat) ἐγκυκλίους δίνας tribuit Orpheus, *Amfractus circaneos* Scaliger vertit. Hinc *Ægyptii Iſidem*, quæ etiam illis eſt *Natura*,) multifariæ tincturæ veſtes induebant. Στολαὶ δὲ αἱ μὲν Ἴσιδος ποικίλαι ταῖς βαφαῖς· περὶ γὰρ ὕλην ἡ δύναμις αὐτῆς, πάντα γινομένην καὶ δεχομένην, φῶς, σκότος· ἡμέραν, νύκτα· πῦρ, ὕδωρ. ζωήν, θάνατον· ἀρχήν, τελευτήν. Sed de his pluribus, in noſtris ad illum *Plutarchi* librum, adverſus *Athanaſium Kircherum*, qui ſeſe *Oedipi* titulo in iſtis venditat, in quibus ne *Davum* quidem præſtat. Horum duum deorum honôri præſertim litaſſe initia *Perſica*, *Ægyptiaca*, *Eleuſinia Græcorum*, *Romana*, alibi opportunius oſtendam. Imo pleraque omnia ſacra *Græcorum* ac *Romanorum* hiſce duobus impendebantur. Ut enim Vitæ Præſidem luce exorta ſacrificiis ac feſtiva vitulatione exceperunt; ita enim veſperi ſolebant τὰ κοιταῖα ἐπιτελεῖν τοῖς νυχίοις, *cubalia facere Diis nocturnis*; *Plutoni*, nempe, ac *Cereri*, *Proſerpinæ*, *Morpheo*, *Lemuribus* cum cætera farragine. Iſtas Gentium ſuperſtitiones in Ὀλυμπίων καὶ Φθιμένων τιμὰς diſtinguit *Clemens* centonum V. Quin & ludi utriuſque gentis partim *Sacri* erant, dicati *Superis*, partim *Funebres* quæ *Inferis* vovebantur. De *Eleuſiniis Pindarus* apud *Clementem Centonum* III. pag. 433.

Ὄλβιος

Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα
Κοινὰ, εἶσ' ὑπὸ χθόνα·
Οἶδε μὲν βίου τελευτὰν,
Οἶδεν δὲ Διόσδοτον ἀρχάν.

Quo loco deliram admodum *Gentiani Herveti* verſionem non caſtigavit *Heinſius*, qui recenſuit. Sic igitur verto verbatim,

Beatus, qui, poſtquam iſta viderit
Communia, it ſub terram:
Novit quidem vitæ finem,
Novit & ab Jove *datum initium.*

Iſta *Pindari* αὐτολεξεὶ expreſſit *Sophocles*, dicendo,

- - - - Ὦ τρισόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, οἱ ταῦτα δερχθέντες τέλη
Μολῶσ' ἐς ἄδου.

Δερχθέντες *Sophoclis* reſpondet *Pindarico* ἰδὼν atque ita corrigenda nihili vox διερχθέντες in *Grotii* Annotationibus in Evangelia Edit. *Batavæ* pag. 764. quam *Londinenſis* editio etiam male retinuit. Qui plura volet ad faciendam fidem, quod *Eleuſinia* exhibendo vitæ Initium, *Jovem Superum*; Finem, *Jovem Inferum* reſpexerint, adeat *Apuleium*, qui diſerte dicit. Hujuſmodi deliriis Chriſtianiſmo vitiando ſategit, ſub imperio *Au-*

reliani, *Manes Perſa* : nec ulla unquam hæreſis tantopere graſſata الثنوية Attanawiat legitur : nempe iſta *Dualitas* principiorum (ut *Arabes* vocant) per totum Orientem aduſque *Indiam* & *Sinam* ex non obſcuris veſtigiis hodieque recognoſci poſſit. Γεννησιεργὸς autem Amor, *Mentis* (*Timæi*, *Anaxagoræ*, ac *Pythagoræ*) miniſter, qui litem *Chaus* diremit, πρεσβύτατος *Orpheo* dicitur,

> Ὅστις ἔφυσεν ἅπαντα, διέκρινε δ' ἄλλον
> ἀπ' ἄλλου.

> *Omnia qui genuit, diſcrevitque iſtud ab illo.*

Crantori θεῶν πρῶτος dicitur. Hinc *Parmenidæ* illud in Platonis convivio,

> Πρώτιστον μὲν Ἔρωτα Θεῶν μητίσατο πάντων.

Hic ergo Amor promiſſe barbatus à Veteribus pingebatur, in provectiſſimæ ætatis ſymbolum : dictuſque eſt *Phaethon*, in ſarcaſtico Epigrammate *Cæſaris Adriani* : vel item *Phanes*, quod poſt longam noctem, qua Chaos olim obſeſſum fuiſſet, primus emerſerit ; de quo *Orpheus*,

> - - - - Ὃν ῥα Φάνητα
> Ὁπλότεροι καλέουσι βροτοὶ, πρῶτος
> γὰρ ἐφάνθη.

- - - *quem*

—— quem nempe Phanetem,
Quod primo es viſus, ſeri dixere nepotes.

Hunc amorem omnium oculos invitantem ſic introducit *Simmias Rhodius*, Ἐν πτέρυξιν,

> Λεύσσετε τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ',
> Ἀκμονίδαντ' ἄλλυδις ἑδράσαντα.
> Μηδὲ τρέσητ', εἰ, τόσος ὤν, δάσκια
> βέβριθα λάχνᾳ γένεια.
> Τᾶμος ἐγὼ γὰρ γενόμαν ἀνίκ' ἔκραιν·
> Ἀνάγκα,
> Πάντα δὲ ταῖς εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς.
> Καὶ ἑξῆς.

In primo verſiculo lego Λεύσσετε plurium numero, ſecutus *Hephæſtionem*; ex quo etiam ἄλλυδις recte ſuffecit *Salmaſius*: ſed *H. Stephanus* ſic multo ante ediderat in *Græcorum* Poëtarum edit. in folio. Hæ alæ attritæ prius & inidoneæ *Salmaſium* reformatorem tandem invenerunt. Veruntamen in quarto verſiculo, dum ad *acutiores* provocat, ipſe ſibi minus ſatisfeciſſe jure videatur. Et quanquam præ tanto viro acuminis mihi quicquam diſſentiendo minime arrogem; quorſum vero ſic fecerim, rationem more majorum ingenue proferre non gravabor. *Salmaſius* legit Πάντα δὲ γᾶς εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς. Et exponit, *Amorem tunc natum fuiſſe, cum Neceſſitas imperaret,*

& omnia duris Terræ juſſibus cederent. Neceſſitatem (Ἀνάγκην) cum Terra confundens; eo fretus quod quidam ex veteribus τὴν ἀνάγκην πάντων αἰτίαν εἶναι ſanxere: quod quorſum fecerint, abunde oſtendi ex *Timæo*, *Platone*, *Plotino*, &c. Laudavit *Salmaſius*, (conſule pagg. 189, 190. & deinceps) *Democritum* & *Pythagoram*, quorum tamen ſententiæ nihil prorſus huc faciunt. *Pythagoras* quippe dixit (fateor) τὴν ἀνάγκην τῷ κόσμῳ περικεῖσθαι, id eſt, (meo periculo) prava natura primæ materiæ in qua νεῖκος viguit, etiam mundum jam ornatum urgeri undique, ita ut ſtabili pulchritudine diu gaudere nequeat. *Democritus* autem veterum opinionem interpolare ſua volens, ἀνάγκην τὴν δίνην τῶν ἀτόμων σωμάτων vocavit: Statuit enim πάντα κατ᾽ ἀνάγκην γίνεσθαι, τῆς δίνης τῆς αἰτίας οὔσης τῆς γενέσεως πάντων, ἣν ἀνάγκην λέγει, teſtibus *Laërtio* & *Suida*. *Pythagoram* teſtatur *Ariſtoteles* πρῶτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν, κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν, ἄλλοτε ἄλλοις ἐν δεῖσθαι ζώοις· Κύκλος ἀνάγκης hîc pro omnibus forſan *materiæ* hoſpitiis ſumitur, quibus anima inter tranſmigrandum adpellit. Utcunque hæc *Salmaſio* minime favent. Dicerem ergo Amorem *Simmiæ tunc natum fuiſſe, cum regnaret* Ἀνάγκη, id eſt, *indigeſta materia, ſive chaos, Et omnia ejus duris juſſibus parerent.* Πάντα δὲ ταῖς δ᾽ (vel ταῖς) εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς. Et ſic etiam legiſſe *Græcum* interpretem, qui ſic hunc locum (fatente *Salmaſio*) ἐκφράζει Τότε γὰρ ἐγενόμην, ὅτι ἡ ἀνάγκη ἦρχε, καὶ πάντα ὑπεῖκε ταῖς αὐτῆς γνώμαις. Obtendat itaque *Salmaſius* ſe aliter ſcriptum reperiſſe in veteri libro; id, librario imputandum, nobis fraudi eſſe minime debet: nullibi enim veterum Phyſicorum legas τὴν γῆν, τὴν ἀνάγ-

ἀϊδίζης, indigitamento inſigniri, aut omnia unquam ſub Terræ imperio fuiſſe.

> *Heſiodus memorat divos, divumque parentes,*
> *Et Chaos enixum Terras, orbemque ſub illo*
> *Infantem* ———.

Inquit Manilius ſub initium libri ſecundi. Nec vero Terram omnium primam ex illa confuſa indigeſtaque mole prodiiſſe conſentiunt veteres Phyſici, ut pertendit *Salmaſius*; nec ſi conſentirent, quidquam inde præſidii cauſæ *Salmaſianæ* redundaret. Natum ergo ſe jactat hic Amor, cum ὕλη ſive ἀνάγκη ſive Chaos omnibus imperitaret, Terra ne exiſtente quidem; nondum diſcretis indidem elementis. Statuebant etiam *Ægyptii* (& ab illis *Græci* acceperunt) Ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι· inde *Epicharmus* dixit,

> Ἀλλὰ λέγεται μὰν χάος πρᾶτον γενέσθαι
> τῶν θεῶν,

Nempe ἰσηγόρμιον, inter quos *Cœlum*, *Terra*, *&c.* ut recte exponit *Salluſtius Cynicus*. *Heſiodus Theogonia.*

> Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ
> ἔπειτα
> Γαῖ' εὐρύστερνος. - - - -

Orpheus in *Argonauticis*,

Πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελιήφατον
ὕμνον,
Ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὥς τ' οὐρανὸς ἐς πέ-
ρας ἦλθε,
Γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν.

Apud *Ariſtophanem* in Avium Comœdia, Chorus Avium ſic diſertiſſime philoſophatur,

Χάος ἦν καὶ νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον,
καὶ Τάρταρος εὐρὺς,
Γῆ δ', οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους
δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτε-
ρος ὠὸν,
Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἐβλάστησεν
Ἔρως ὁ ποθεινὸς,
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς
ἀνεμώδεσι δίναις·
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι μιχθεὶς νυχίῳ κατὰ
Τάρταρον εὐρὺν,
Ἐνεόττευσεν γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον
ἀνήγαγεν ἐς φῶς.

Πρό-

Πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν
Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα.
Συμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' οὐρα-
νὸς, ὠκεανός τε,
Καὶ γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος
ἄφθιτον. Ὧδε μὲν ἐσμὲν
Πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μακάρων, ἡμεῖς
δ' ὡς ἐσμὲν Ἔρωτος
Πολλοῖς δῆλον.----

*Chaos & nox primum erat, atque Erebus nigri-
cans & Tartarus ingens,*
*Nec humus, nec cœlum erat aut aër, tunc ceu
vi flaminis ovum.*
*Gremium ſuper infinitum Erebi peperit nox de-
color alis,*
*Ex quo bonus inde emerſit Amor circumvolventi-
bus horis,*
*Radians tergum aureolis pennis, par magni tur-
binis aura;*
*Qui deinde volans miſtuſque chao, ſtabat qua
Tartarus, atro,*
*Noſtrum genus edit, & in dias producit luminis
oras.*
*Neque enim Divum genus ante fuit, quam jun-
xit cuncta Cupido:*
*Simul atque hæc ſunt aliis commiſta alia, Æther
prodit & Æquor,*

Et

Et Terra, Beatorumque Deûm genus immortale.
Sumus nos
Multo ita ſeniores Diis reliquis: Prolemque Cupidinis eſſe
Nos plane liquet.

Iſtis nihil pote luculentius; habes hic nimirum primo Chaos ſive indigeſtam Materiam, nondum exiſtente Cœlo, Mari vel Terra, cum cæteris Diis mundanis: quos poſtea Amor ſupervolitans, temperatis debito modo particulis Materiæ, produxit. Allegoria vero, quæ in iſtis vocibus ſtetit, εἰκὼς ἀνεμώδεσι δίναις, πτερύγοιν χρυσαῖν, πτερόων, ἐνεόττευσεν, &c. manavit à *Moſaico* incubatu Spiritus Divini ſuper primigeniam voraginem. Inde & Alas Amoris effinxit *Simmias*. Ipſum autem S. Spiritum Amorem vocant Patres, & ab illis *Petrus Lombardus*. Sed & Deus Amor eſt S. *Joanni*. Aves autem *Ariſtophanicæ* ſe Diis omnibus antiquiores ferentes, gloriantur ab Amore illo alato genus ducere: qui Amor, cum omnes Deos, Cœlum, Mare, Terram, & cæteros, ex Chao produceret, fuit certe illis omnibus antiquior. Ergo ſumma rerum non fuit penes Terram, illa quippe nondum extitit, cum naſceretur Amor; ſed ἀνάγκη, quæ tunc rerum potiebatur, Chaos erat ſive Materia, quod contra *Salmaſium* abunde probaſſe videamur.

Hanc, inquam, Materiam Divino opifici coæternam faciunt *Græci* veteres, ut ſuperius diximus: ex quorum mente Materiam Dei Sororem adpellat *Hierocles*; Uxorem etiam Poëtæ.

tæ. Illorum ſententiam plene porro extulit, & caſtigavit idem *Hierocles* libro de Fato, pag. 6. edit. *Lond.* Οὐ γὰρ ἱκανὸν αὐτὸν [δημιουργὸν] εἶναι ᾠήθησαν αὐτοτελῶς ὑποστῆσαι δυνάμει κόσμον οἰκείᾳ δυνάμει καὶ σοφίᾳ ἐξ ἀϊδίου ἐνεργοῦντα, ἀλλὰ γενητοῦ [lege ἀλλ᾽ ἀγενήτου] ὕλης συνεργίᾳ. Sine hac correctione eſſet, quam proxima illic verba & explicant & plane probant, nec *Græciſmus*, nec ſenſus conſtaret. Mendi vero manifeſtus locus utrique interpreti & *Morello* pridem, & *Grotio* demum in verſione ſua ſententiarum *De fato*, impoſuit; ſed & utroſque male habuit vox ὑποστῆσαι, quæ *producere* illic ſignificat: quam illi *conſervare* male reddiderunt, injuria ſententiæ; Quæ ſic vertenda, *Non enim cenſebant ipſum (opificem) idoneis viribus inſtructum, ad producendum mundum omnibus numeris abſolutum, propria ſolum ſapientia & virtute ab æterno operatum; ſed ope materiæ non genitæ.*

Nec *Grotio* temere adſentiendum dicenti, (in notis pag. 13. ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ in fol.) *Sume de* Platone *mundi initium fuiſſe aliquod, ab* Ariſtotele *non eſſe genitum, & habebis ipſam Judæorum Chriſtianorumque ſententiam.* Judæorum Chriſtianorumque ſententia eſt, Deum mundum condidiſſe ἐξ οὐκ ὄντων, ut loquitur mater ſeptem juvenum, *Machabæorum* lib. II. cap. VII. v. 28. Loco ſuperius etiam laudato. R. *Eleaſarus* in Pirke. cap. III. עד שלא נברא עולם היה הקבה ושמו בלבד *Mundo nondum condito, Deus erat & nomen ejus tantummodo.* Si autem *Judæi* Cabalici quidam minuſque vetuſti ſecus ſenſerint, à *Græcis*, quos legerant, tranſver-

ſum

ſum actos credibile ſit. Sacræ alibi literæ utriuſque codicis ac patres Eccleſiæ Chriſtianæ, matri ſeptem juvenum adſtipulantur. *Tertullianum* audiamus in Apologetico; *Quod colimus Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo, quo juſſit, ratione, qua diſpoſuit, virtute, qua potuit, de NIHILO expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ.* Et alibi eidem hoc divinæ virtutis elogium medium ſit probandi Reſurrectionem itidem præſtabilem. *Origenes* ſub initium libri περὶ ἀρχῶν, *Quod Deus ex NULLIS fecit eſſe univerſa, per prædicationem Apoſtolicam manifeſte traditum eſt.* Idem ait, *Ipſam materiam tantam à Deo eſſe creatam credendum eſt, quantam ſibi ſciret ad ornamentum mundi poſſe ſufficere:* περὶ ἀρχ. lib. II. cap. 8. Gregorius Nazianzenus de *Baptiſmo* oratione XL. Ὁ Θεὸς ὑπέστησε τὰ πάντα ἐξ οὐκ ὄντων. *Patriarcha Conſtantinopolitanus Gregorius Cyprius* in Maris encomio; τὸ πᾶν τόδε, μὴ ὂν πρότερον οὐδαμῶς, ἀρχὴν ἐλάμβανεν εἶναι, ut de cæteris taceam. Cerebroſus tamen ὁ δεῖνα *Teutoniſmi* toxicum *Academiarum* noſtrarum alteri, (ut tunc erant tempora) propinare geſtiens, operæ putavit (*Manuductionis ſuæ* pag. 19.) Scholaſticos inſimulare; quaſi illi principes *creationem ex nihilo*, ex male capta ſignificatione vocis *Bara* confinxiſſent. Antiquiſſimus ſcriptor *Ocellus Lucanus* Mundum ſpeciebus ſuis ornatum æternum cenſet. Ἀνθρώπου δὲ ἀρχὴ γενέσεως πρώτη οὐ γέγονεν ἐκ γῆς, οὐδὲ τῶν ἄλλων ζώων, οὔτε φυτῶν· ἀλλ' ἀεὶ τῆς διακοσμήσεως οὔσης, ἀνάγκη καὶ τὰ ἐνυπάρχοντα καὶ ἐν διακεκοσμημένα συνυπεῖναι, cap. III. Idem alibi, Δοκεῖ γάρ μοι τὸ πᾶν ἀνώλεθρον εἶναι,

ναι, καὶ ἀγένητον, ἀεί τε ἦν καὶ ἔσται. Ariſtoteles iiſdem rationibus adductus itidem ſtatuit, eaque de re ipſe *Plato* ἀμφοτερίζει. *Legum* enim ſexto non procul fine, de Hominibus (quod etiam de aliis pari jure dici poſſit) hæc habet. Ἡ τῶν ἀνθρώπων γένεσις ἢ τὸ παράπαν ἀρχὴν οὐδεμίαν εἴληχεν, οὐδ' ἕξει ποτὲ τελευτὴν, ἀλλ' ἦν τε ἀεὶ καὶ ἔσται πάντως· ἢ μῆκός τι τῆς ἀρχῆς ἀφ' οὗ γέγονεν, ἀμήχανον ἂν χρόνον ὅσον γεγονὸς ἂν εἴη. At in *Timæo* ſuo, *Locrenſi* Philoſopho plane ſuffragatur; ut ſuperius vidimus. Ejus ſententiam diſertiſſime enarravit *Plutarchus*, libro περὶ τῆς ἐν τῷ Τιμαίῳ ψυχογονίας, prope initium, Βέλτιον οὖν, Πλάτωνι πειθομένους, τὸν μὲν κόσμον ὑπὸ Θεοῦ γεγονέναι λέγειν καὶ ᾄδειν· ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων, ὁ δὲ ἄριστος τῶν αἰτίων. Τὴν δὲ οὐσίαν καὶ ὕλην ἐξ ἧς γέγονεν, οὐ γενομένην, ἀλλ' ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ εἰς διάθεσιν καὶ τάξιν αὐτῆς, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομοίωσιν, (ὡς δυνατὸν ἦν παρασχεῖν) οὐ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἡ γένεσις ἀλλ' ἐκ τοῦ μὴ καλῶς μηδ' ἱκανῶς ἔχοντος. *Præſtat ergo Platoni adſentientes Mundum à Deo factum fuiſſe dicere ac canere: quandoquidem hic ſit factorum pulcherrimus, ille vero inter cauſſas optimus. Subſtantiam vero ſive Materiam, ex qua conſtabat, minime factam; ſed opifici ſemper præſto fuiſſe ut ei diſpoſituram atque ordinem, ſuamque ipſius ſimilitudinem, quoad ejus fieri poſſet, impertiret. Generatio enim ex non ente non fit, ſed ex non bene neque commode ſe habente.* Itidem libro primo Συμποσιακῶν προβλημάτων Problemate II. *Plutarchi* pater de Academiæ ſequacibus, Καὶ τὸν μέγαν Θεὸν ὑμεῖς φατε τὴν ἀκοσμίαν δι' ἀξίαν μεταβαλεῖν εἰς κόσμον, οὔτε ἀφελόντα τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε προσθέντα, τῷ δὲ ἕκαστον ἐπὶ τὴν προσήκουσαν χώραν καταστῆσαι, τὸ κάλλιστον ἐξ ἀμορφοτάτου σχῆμα περὶ τὴν φύσιν ἀπεργασά-

ρον. *Sed & magnum illum Deum etiam vos alicubi dicitis Immunditiem in Mundum, ſcito demum ordine adhibito, convertiſſe, nulla re aut ablata aut addita; ſed ſingulis in locum commodum deductis de informi pulcherrimam formam rerum naturæ conciliaſſe.* Socrates (Platonis Phædone) Mentem Materiæ ornatum conciliantem dixit ἕκαστον τεθῆναι ταύτῃ ὅπῃ ἂν βέλτιστα ἔχῃ. *Omnia poſuiſſe quo loco ſe commodiſſime haberent.* Moſes autem, vir minime omnium vulgaris, *Longino* teſte, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ Θεός, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. De *Moſe* autem aliter cenſuit *Galenus*; quem tametſi Epicuro anteponat, ideo quod *Moſes* rebus creandis utcunque Ephorum præfecerit; quem inconſultiſſime omiſerat *Epicurus*; opinatus materiam ſortito ſeſe adminiſtrandam ſeminio conceſſiſſe: minime tamen *Moſi*, ejuſve adſertori *Longino* concedit, divino quamſibet juſſu quidlibet ex quolibet nedum ex nihilo fieri poſſe: atque ea in re dicit ſententiam, *Moſis* à ſua & *Platonis* atque τῶν ἄλλων τῶν παρ' Ἕλλησιν ὀρθῶς μεταχειρισαμένων τοὺς περὶ φύσεως λόγους, διαφέρειν. Vide ſis cap. XIII. Orationis IX. De partium in Corpore humano uſu. Quando igitur *Plato* τὸν Κόσμον Dei opus vocat, ne cui fraudi ſit vox ὁμωνύμως accepta: per κόσμον enim nihil intelligit præter *ornatum cultumque Materiæ*, quæ prius ab æterno rudis indigeſtaque jacuerat; at omnia, quæ nunc exiſtunt, modo quamlibet incompoſito ac perturbato, con inuit: ita ut Divinus opifex ne hilum quidem reculæ addiderit, ut fuſe jam probavi. *Ebn Roſhdi* (quem

Aver-

Averroem vulgo dicimus) etiam hac in re *Platonis* & *Peripateticorum* cauſam redintegrantem, caſtigavit Chriſtianis æquior *Mohammed Algazalius*. *Mundi ergo originem fuiſſe aliquam*, ſenſu quo Judæi & Chriſtiani credunt, *ſumi de Platone* non poteſt, quod *Grotius* voluit. Revera meis admodum ingratiis video *Platonem* ut & *Galenum*, ad partes hic Chriſtianas fruſtra cogi.

Hanc *Materiam*, omnium ſenſibilium *Matrem* vocat *Plato*; quod omnia ex ea facta ſint: ſed & *Susceptricem*, quod omnia diſſoluta ad eam redeant. *Τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντως αἰσθητοῦ Μητέρα καὶ Ὑποδοχὴν, ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον πανδεχὲς λέγωμεν.* Recte ergo advertit *Heſiodi* Scholiaſtes ad *Theogoniam*, *χάος*, *πανδεχὲς* à *Platone* dici. Sed *Ocellus Lucanus*, de quo *Plato* honeſte meminit, itidem multo ante vocarat. *Lycophroni*, *Caſſandræ* verſ. 655. *ᾅδης πανδοχεὺς* (vel *πανδοκεὺς Ionice*) dicitur. Cum ergo Divina Mens, in Timæo, *Materiam* in Cœlum Terram & cætera elementa digeſſerat, illis ita præcepit, *Ἀπεργάζεσθε ζῷα, καὶ γεννᾶτε, τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε, καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε.* Res ergo genitæ *Platoni* dicuntur, *ἀπὸ τοῦ κόσμου δανειζόμενοι μόρια, ὡς ἀποδοθησόμενα πάλιν*, itidem dici poteſt, reddi viciſſim particulas tanquam repoſcendas. *Intra mundum vero regeſtis omnibus, nihil certe extra mundi ambitum eſt; ita quod ſecundum naturam corporis fluit, quo effluat non habet: influit ergo, non effluit, & ad ſummam univerſitatis jactura demum recurrens, fatigatarum diuturnitate partium recreatio eſt*, ut egregie *Chalcidius* in *Timæum*, p. 96. *Seneca* Epiſtola LXXI. ad

cilium, *Nobis ſolvi, perire eſt, proxima enim intuemur; ad ulteriora non proſpicit mens hebes, & quæ ſe corpori addixerit: alioqui fortius finem ſui ſuorumque pateretur; ſi ſperaret omnia illa ſic in vitam mortemque per vices ire, & compoſita diſſolvi, diſſoluta componi, in hoc opere æternam artem cuncta temperantis Dei verti.* Hinc *mors* ἀνάλυσις dicitur philoſophis, ipſique S. *Paulo* ad *Philippenſes* cap. I. v. 23. & ad *Timotheum* Epiſt. II. cap. IV. v. 6. quo pacto inprimis *Hebræi* ejuſdem ſignificationis vocem פטירה pro *morte* ponunt. Inde eſt quod *Amphiaraus Statii*, *Plutonem*, Dominum *Chaos* ſive *Materiæ*, ſic compellet, VIII. *Thebaidos*,

——— O cunctis Finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam cauſas elementaque noram,
Et Sator ———

Claudianus de eodem,

—— Qui Finem cunctis & Semina præbes,
Naſcendique vices alterna Morte rependis,
Qui vitam Lethumque regis; nam quicquid ubique
Gignit Materies, hoc te donante Creatur,
Debeturque tibi ———

Hinc *Proſerpina*, à *Plutone* rapta, *Poſſedit dotale Chaos.* ——— Hinc & τὸ χάος χαρίκλειας, de *Chariclea*, quam mortuam putabat, uſurpare non

non dubitavit *Theagenes Heliodori*, ſcriptoris venuſtiſſimi: χάος ὑπεδέξατο de re decedente itidem uſurpavit *Q. Calaber*, lib. XIV.

——— Quicquid ab imo
Natum hominum extinctumque chao eſt,

dixit *Silius Italicus*, libro XIII. etiam ἡ εἰς τὰ ϛοιχεῖα διάκρισις καὶ διαχώρησις, χάος dicitur, *Scholiaſtæ Heſiodi. Manlius* lib. I.

Sive individuis, in idem reditura, ſoluta
Principiis natura manet poſt ſecula mille,
Et pene ex nihilo ſumtum eſt, nihilumque futurum,
Cœcaque Materies cœlum perfecit & orbem.

Atomos hic *individua vertit*, ſicuti etiam facit Arnobius libro II. *Lucretius* de rebus diſſolutis,

Haud igitur redit ad nihilum res ulla, ſed omnes
Diſſidio redeunt in corpora Materiai,

Materiæ huic *Generalitatis* nomen dat *Servius*, quod omnium rerum ſemina in ſe contineat, in *Æneid.* III. p. 267. Πλοῦτος enim, unde Πλούτωνι nomen, πανσπερμίαν ſignificat, ut Heſychius etiam advertit. R. Saadias Gaon *Materiam* כללות היסודות *generalia principia* hoc ſenſu dixerit. Segregationem particularum fieri ſtatuunt ὑπὸ πυρὸς ἱστάντος καὶ διακρίνοντος, ut loquitur

 Pla-

Plato; cujus *Timæus* Πυθαγορείων δογμάτων ἀκριβὴς διδάσκαλος ab *Hierocle* dicitur. Sed & hic ſegregando, congregandis alibi particulis miniſtrans, totius naturæ rotam circumagit. Ariſtotelis eſt ὅτι προσιόντος μὲν τοῦ ἡλίου, γένεσίς ἐστιν· ἀπιόντος δὲ φθίσις· de Gen. & Corrupt. lib. II. cap. 10. Valentianorum, Τοῖς δεκαδύο ζωδίοις ἡ φύσις διοικεῖται, id eſt, *curſu ſolari per ſigniferum, rerum natura adminiſtratur. Syneſius* ergo Hymno IV. Solem appellat.

Τᾶς γινομένας *Genitæ*
Καὶ φθειρομένας *Ac corruptæ*
Ταμίαν ὕλας. *Diſpenſatorem Materiæ.*

Arcades Solem etiam Κύριον ὕλης *materiæ Dominum*, teſte Macrobio, vocabant. Ἀφκίνητα δὲ διαμένει πάντα καὶ ἀεὶ ζῶν, διότι οὐδέ ποτε ἵσταται ὁ τοῦ Ἡλίου δρόμος, inquit *Jamblichus*, in excerptis *Caſaubonianis* ex codice *Cæſariano*. Solem ergo, Univerſitatis hujus promicondum, *Itali* olim Philoſophi in ipſo noſtri vorticis centro collocarunt, vocaruntque Ζηνὸς πύργον, ut refert *Ariſtoteles* libro de *Pythagoreis*: Διὸς φυλακὴν (quod active exponit *Simplicius*) ut idem teſtatur libro II. De cœlo: Διὸς θρόνον ut alii perhibent. Simplicius in Ariſtotelis II. de cœlo, folio 124 p. 2. de illis qui mentem *Pythagoreorum* optime perſpexerunt: Τὸ μὲν πῦρ ἐν μέσῳ φασὶ, τὴν δημιουργικὴν δύναμιν ἐκ τοῦ μέσου ὅλην τὴν γῆν ζωογονοῦσαν καὶ τὸ ἀπεψυγμένον αὐτῆς ἀναθερμαίνουσαν. *Ignem in medio poſitum eſſe dicunt, quippe qui ſit ipſa vis effectrix quæ de medio totam terram vegetat, quodque in ea torpeſcit* refo-

refocillat. (Solem autem familiariter τὸ πῦρ, Chaldæis præeuntibus, etiam Græcos vetuſtiſſimos (Pythagoreos præſertim) vocaſſe, docti norunt.) Eadem habes apud *Chalcidium Timæi* veterem interpretem Latinum, pag. 214. Heraclitus apud Laertium ſtatuit, Πῦρ εἶναι στοιχεῖον· καὶ πυρὸς ἀμοιβὴν τὰ πάντα ἀραιώσει καὶ πυκνώσει τὰ γινόμενα. libri omnes editi habent ἀραιώσει τε πυκνώσει, perperam: Menagio, ac reliquis criticis æquo animo ferentibus. Vertendum, *Ignem elementum eſſe: ejuſque viciſſitudinem omnia rarefacere ac denſare.* Ignis hic Sol eſt, cujus acceſſu & receſſu quin *rarefactio* & *denſatio* fiant in rebus nemo ambigit. Ut autem Ζεὺς (φύσεως ἀρχηγὸς *Cleanthi* apud *Stobæum*) Solium in Igne, id eſt, in Sole habuit; propterea quod Sol Lucis, Caloris, atque ipſius adeo Vitæ fons habeatur: Contra Ἀΐδης in Terra ſuum habuit, utpote quæ opacitate ſua Lucem & Calorem intercipiat. Unde & in ea ἀνάγκης θρόνον ſtatui pridem meminimus.

Scenam autem in qua Materiam hujuſmodi mutationibus agitari volunt, nonnulli ultra Atmoſphærii noſtri ἀψίδα, qua pluitur & ningitur, non extendunt. *Itali*, *Pythagoræ* alumni, mundanæ machinæ conſultores, Corruptionis & Generations imperium aduſque extremos fines, qua late patet natura, proferunt. *Peripateticis* religio eſt Cœleſtem *quinteſſentiam* ullam ſublunarium contagione coinquinare. Sed & iſtis vetuſtior eſt ea ſententia. *Ocellus* quippe *Lucanus* ſublunarem regionem φύσεως καὶ γενέσεως δυναστείαν facit: ᾅδου βασίλειον appellat *Solomon Apocryphus*, cap. I. 5. Alibi idem *Ocellus*,

Αἱ δὲ μοῖραι αὗται διορίζουσι καὶ τέμνουσι τό τε ἀειπαθὲς μέρος τοῦ κόσμου καὶ ἀεικίνητον· ἰσθμὸς γάρ ἐστιν ἀθανασίας καὶ γενέσεως ὁ περὶ τὴν Σελήνην δρόμος. τὸ μὲν ἄνωθεν καὶ ὑπὲρ ταύτης πᾶν καὶ τὸ ἐπ' αὐτὴν Θεῶν ἔχει γένος· τὸ δὲ ὑποκάτω τῆς Σελήνης, νείκους καὶ φύσεως. (Regio Cœleſtis ἀεικίνητος etiam diſerte dicitur in Vita *Pythagoræ* apud *Laertium*, pag. 583. in octavo.) Iſte locus *Ocelli* (cap. II. pag. 23.) ab interprete non admodum intellectus, ita verti debere videatur. *Hi vero limites ſeparant ac ſecernunt ſemper patientem mundi partem atque ſempermotam; Lunaris quippe curſus iſthmus eſt immortalitatem & generationem inter: ac omne quod ſupra Lunam eſt, uſque ad eam, Deorum genus incolit; quod vero ſubter Lunam eſt litis & naturæ eſt.* (Mihi non fit probabile μοῖραι hic pro *Fatis* accipi, quod interpres voluit.) Lecto capite undecimo libri primi *Macrobii* in Somnium *Scipionis*, non alium ad *Ocelli* hunc locum commentarium deſiderabis. Ob hanc rationem Luna *Proſerpinæ limen* dicitur *Apuleio*. *Claudiani* ſecundo, Pluto Raptæ Proſerpinæ *Infernum* oſtentans, inquit,

Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis
Lunari ſubjecta globo, qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.

Nimirum *cælo* incorruptibilitatem tribuebant, quo Diis immortalibus ſedes non inidonea haberetur. Hoc ſenſu Euripidæ Ἀΐδης χωρὶς ὤκισται θεῶν. *Orcus ſeorſim à Diis locatur.* Nempe quidem *Sub Luna uſque ad nos omne genus motuum*; *omno*

omne etiam mutationum, prorſus ut eſt in vetere verſu Nævii,

Exuviis rabies furiarum examina mille.

Nam generatio & item mors in iſto loco, incrementa quoque & imminutiones, & omnifaria commutatio, tranſitioque ex locis ad loca, inquit *Chalcidius* in *Timæum*, pag. 159. *Syneſius* Hymno II,

Πολυκύμονος μὲν ὕλας
Ἐκάλυψε νῶτον αἰθὴρ
Πυρὸς ἐμβεβὰς ἀώτῳ,
Ἵνα κύδιμα Σελάνα,
Πυμάταν ἄντυγα τέμνει.

Fluctuoſæ quidem materiæ
Texit dorſum Æther
Ignis inſidens ſummitati,
Ubi clara Luna
Imum orbem ſecat.

Vides hunc doctiſſimum ſcriptorem (ut prius notavi) cum *Mayemonide* pridem citato, totam Regionem Sublunarem *Materiam* vocare.

Hæc autem opinio ſtatuentium horizontem Generationis & Corruptionis ad citima tantummodo Lunæ pertingere, vulgo etiamnum ſic inolevit, ut *Tycho*, aliique Aſtronomi, qui Cometarum παραλλάξεις ſolerter inveſtigarunt,

 tamet-

tametſi calculo ſuo freti cometas in interſtellaribus ſpatiis ſupra Saturnum oſtendere potuiſſent; putarint palmario ſe facinore defunctos, quod ſupra Lunam, verſus Mercurii aut Veneris curſum auſi ſint advertere. Utcunque vides τ ᾅδην, *infimam materiam* Græcis, pariter ac Sheol *Hebræis*, eſſe: ejuſque regionem per ſpatia longe ampliſſima extendi; quacunque ſe protendit Sphæra Generationis & Corruptionis. Ut fruſtra ſint qui τ ᾅδην in Terra, quod quidam; vel in Aere, quod alii, ſategerint concludere. Quando ergo Apocalypſios XX. v. 14. legis, Καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης, *Et Mors & Infernus jaciebantur in lacum ignis*, detracta larva, qua perſonari veniunt, rem ipſam de tota hac *mortali regione*, fatali demum conflagratione abſorbenda intelligas. Nec ſugillanda fuerit vetus inſcriptio Tabulæ Cebetis, quæ ſic ſe habuit,

Πίναξ. Ἔςι δὲ τῶν ἐν ᾅδου διήγησις.

cum enim ᾅδης ſphæram hanc corruptionis & generationis ſignificet; Tabula præ ſe fert exhibere ſpecimen eorum, quæ in hac mortali regione geruntur, quod & præſtat.

S E C T. IV.

Sheol & *Hades*, figurate deſcribuntur uti *Domus*, cum ſuis *portis* & *Clavibus*.

Tantundem oſtenditur ex multis Hebræorum *& ſubinde* Græcorum *locis.* Πύλαι ᾅδου *quid.*

HEbræi autem *Sheol* figurare uti *Locum ſepimento vallatum, Domumve cum ſuis januis & clavibus* deſcribunt. Hinc illa *Jobi* שאול ביתי *sheol domus mea.* Et poſt duo commata, בדי שאול *fulcra sheol*, metaphora à domo ſumpta; hinc & שערי מות *portæ mortis*, id eſt *portæ domus mortis*, quæ eſt Sheol, apud *Jobum* & *Pſalten.* שערי שאול *portæ orci* Eſaiæ cap. XXXVIII. v. 10. *Apocalyptes* habet κλεῖς τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου, cap. I. v. 18. ubi *Syrus*, ܩܠܝܕܐ ܕܡܘܬܐ ܘܕܫܝܘܠ *claves mortis & sheol.* Æthiops, *me penes eſt clavis mortis* ወሲኦል *& sheol*, eandem vocem retinentes. Apud eundem *Apocalypten* c. IX. v. 1. legitur κλεὶς τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου: ubi *Syrus* ܩܠܝܕܐ ܕܒܐܪܐ ܕܬܗܘܡܐ diximus autem באר quicum *Syra* hic vox eadem eſt, eandem ſignificationem ac *sheol obtinere*. Itidem בית אבדנא *domus perditionis* legitur in Para-

Paraphraſi *Chaldæa* in *Eſaiæ* XIV. v. 15. & *Ezechielis* XXVI. v. 20. פתחה של גי הנם *janua Gehennæ*, In *Talmude*, Tract. *Eruvin* fol. 19. pag. 1. ſub finem. תרעא דגיהנום *porta Gehennæ*, *in Zohar* in Paraſham. מעלנא דגהנם וירא אלין porta Gehennæ in Targum Jobi cap. V. Etiam שערי גן עדן *portæ Paradiſi* occurrunt libro *Hammuſſar* cap. IV. fol. 42. & in *Pirke Eleaſari* cap. XX. שערי הרקיע libro de Obitu *Moſis*. שער שמים *porta cœli* Gen. XXVIII. v. 17. Cœlum autem ſive Paradiſum Beatorum & Gehennam, partes eſſe τοῦ *Sheol* inferius oſtendam.

Itidem *Græci* τῷ ᾅδῃ id eſt *corruptibilis naturæ promptuario*, tanquam *domui*, *ſeu loco munito*, *portas & claves* tribuunt. Hinc ὑπῆλθετε δῶμ' ἀΐδαο Odyſſ. μ'. εἰν ἀΐδαο δόμοισιν Odyſſ. δ'. δῶμ' ἀΐδαο, Iliade ο'. Ἀΐδαο πύλας Odyſſ. ξ'. εὐρυπυλὲς ἄϊδος δῶ & πύλας ἀΐδαο habuimus prius ex eodem *Homero*.

--- τὰν ἀΐδαο πύλαν καὶ μοίρας ἀράξει.

apud *Theocritum* Idyllio I. Pariter habent *Euripides*, *Alceſtide*; *Æſchylus*, *Agamemnone*; *Sophocles* item, & quis non? Hinc πυλάρτην τὸν ᾅδην vocat *Homerus*, ἀντὶ τοῦ ἀδιεξοδεύτου, παρὰ τὸ τὰς πύλας ἀραρυίας εἶναι αὐτοῦ, τουτέστιν ἐπικεκλεισμένας, ut exponit *Euſtathius* ad Iliadem θ'. Hinc *Pluto* clave inſigniri ſolet, memorante *Pauſania* *Eliacorum* quinto. Ἔχει δὲ ὁ Πλούτων κλεῖν, καὶ λέγουσιν ἐπ' αὐτῇ τὸν καλούμενον ᾅδην, κεκλεῖσθαί τι ὑπὸ

Πλού-

Πλούτωνος, καὶ ὡς ἐπάνεισιν οὐδεὶς αὖθις ἐξ αὐτοῦ. Mortuos ergo *orcinum theſaurum* vocat Nævius. Habes *lethi portas* apud Lucretium, *januam Ditis* apud Virgilium; id eſt, domûs Lethi & ditis. Ennius in Epitaphio *Africani Scipionis*,

Si fas endo plagas cæleſtum ſcandere quoiquam,
Mi ſolei cælei maxuma porta patet.

Eccleſiæ ſuper Petram fundatæ ſpondet Chriſtus immunitatem ab interitu, in iſtis *Matthæi* XVI. v. 18. πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, *i. e.* quamvis alia pleraque omnia corruptioni obnoxia ſint, ac per portas in domum orcinam intrent, Eccleſiæ tamen melius comparatum fore promittit, ea quippe nunquam intercidet aut abolebitur; quod de univerſa Eccleſia dictum intelligis. Ea eſt vis vocum iſtarum juxta ſacros quos memoravi, & profanos auctores. Nihil aliud ſibi vult *Ezechias* à morbo graviſſimo convaleſcens, dicendo, *Cogitavi ætate mihi præciſa intrandum eſſe* בשערי שאול *in portas orci.* LXX. verterunt ἐν πύλαις ᾅδου. Scholiaſta illud *Theocriti*

--- τὰν ἀΐδαο πύλαν ναὶ μοίρας ἀραξεῖ.

recte exponit νὴ τὰς μοίρας τὴν τοῦ ᾅδου κρούσει πύλην, τουτέστιν, ἀποθανεῖται. *Per fata, orci januam pulſabit; id eſt, morietur.* Sapientiæ XVI. v. 13. Σὺ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις· καὶ κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου.

ᾅδου καὶ ἀνάγεις. *Penes te eſt vita ac mors: & deducis ad portas orci & reducis*; quæ duæ ſententiæ, tritiſſimo more *Hebraico*, ἓν διὰ δυοῖν exhibent. Sunt, qui plura hic obtendunt de Urbium Portis, loco munitiſſimo & habendis conciliis uſitato; ac proinde hæc verba Chriſti ad Petrum, de Diabolo Eccleſiam nec *vi* nec *aſtutia* expugnaturo intelligunt. Quod quidem utut veriſſimum ſit, non eſt tamen directe hujuſce loci. Nullibi enim ſacrarum literarum, nedum alibi; oſtendent πύλας ᾅδου alias, quam in periphraſi, pro interitu, uſurpari. Nunquam vero pro vi aut aſtutia, cujuſvis licet figuræ adminiculo, capitur iſta phraſis.

SECT. V.

De abſtinentia Pythagoreorum à Fabis, quod eſſent πύλαις ᾅδου ſimiles, utpote ſine geniculis.

Vox ἀγόνατος ab Ambroſio Laertii interprete, item à Lilio Gyraldo & Grotio male exponitur. Abſtinuiſſe Pythagoreos à Fabis *proprie ſic dictis. Pythagoras Ægypti inſtitutus.* Fabis *abſtinuiſſe Ægyptios.* Faba *non in ſeminibus Cerealibus. Abſtinentia à* Fabis *ſubfuiſſe rationes ſacras. In ſacris Eleuſiniis à* Fabis *abſtinebant. Moſen vulgarem* Fabarum *eſum non vetaſſe. Pythagoras ejuſque diſ-*

diſcipuli per Fabetum *eundo vitæ conſulere noluerunt.* Noluerunt *cauſſas prodere quorſum abſtinuerint.* Cauſſas *iſtius abſtinentiæ idoneas vulgo adſignatas non eſſe.* Non *ſufficere quam aſſignavit* D. *Mer. Caſaubonus: Solebant veteres* κυρίας δόξας *de rerum natura in operto ſervari; Pythagorei præſertim ab Ægyptiis edocti. Heſſenorum & Pythagoræ diſcipulos ad ſilentium jurejurando aſtrictos fuiſſe. Pythagoræ philoſophiam adusque Philolai tempora incognitam extraneis fuiſſe. Numa Flaminem Dialem* Fabis *interdixit.* Faba *in Lemuralibus & Parentalibus appoſita. Judæi in luctu leguminibus veſcuntur.* Numa *Tacitam adorabat.* Idem *Pythagoræ diſcipulus. Veteres Allegoriis philoſophiam obumbrabant. Quid Pythagorici & Cabalici de animarum deſcenſu atque adſcenſu ſenſerunt. Quid item de animarum tranſmigratione. Origenem Tranſmigrationem Fabulam, &c. appellaſſe. In vice Terna ſiſti tranſmigrationem. Quot annorum ſit Tranſmigrationis curriculum. Tranſmigratio Allegorice expoſita. Animas ad regionem hanc corruptibilem in exilium mitti. Mori cum huc deſcendant, vivere denuo cum hinc aſcendant. Impendi debere ſummam operam ut quam primum hinc emergant, redeantque ad priſtinam*

ſtimam patriam. Fabam, *plantam ſemini apprime conferentem, ſcapo nullis geniculis interciſo eſſe, indidemque aptari in generationis continuæ ac perpetuæ ſymbolum. Abſtinentia à* Fabis *Allegoricè cautum ne quis ultro animam dedat, generationis vicibus in hoc mortali orbe perpetuo reciprocandam.*

ATque hujuſce locutionis expoſitio facit mihi ſymboli *Pythagorici* venire in mentem: ex *Ariſtotele* enim memorat *Laertius Pythagoram Eſum Fabæ vetuiſſe, quod inferni portis ſimilis eſſet, (ᾅδου πύλαις· ἀγόνατον γὰρ μόνον,) ſola enim Faba geniculorum expers eſt*; id ſibi vult vox ἀγόνατον, quam nec *Ambroſius Laertii* interpres, nec *Lilius Gyraldus* (in hoc ſymbolo) nec *Grotius* (in *Matthæi* cap. XVI. v. 8.) recte expoſuerunt: Sarmentorum ac ſegetum articulos γόνατα dici, non opinor opus eſſe ut pluribus moneam. Non ignoro itum eſſe in partes de ſignificatione vocis κύαμος hoc in loco: alii enim propriam vocis ſignificationem, alii figuratam hic malunt. Eſt qui nixus parum firmo tibicine, *De papillis muliebribus* intellexit; alii *teſtes* operte ſignificari volunt; alii, alia, quæ parumper attinet diſpicere: veteres enim uno ore omnes (præter *Ariſtoxenum Gellii*) (*Ariſtoteles*, *Plutarchus*, *Sextus*, *Lucianus*, *Porphyrius*, *Jamblichus*) de ipſo hic legumine fabaceo intellexerunt. Cujus rei ipſa *Pythagoræ* inſtitutio, ac philoſophandi ratio fidem faciunt. Ipſe enim *Pythagoras Luciani* (in Vitarum Auctione) quærenti ποῦ ἐπαιδεύθης; reſpondet, ἐν

Αἰγύπτῳ,

Αἰγύπτῳ, παρὰ τοῖς ἐκεῖ σοφοῖς neque eſt quiſquam, qui res *Pythagoræ* ſcripſit, quin *Ægypti* inſtitutum meminerit. *Clemens* etiam ab *Ægyptiis* circumciſum memorat, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ᾽ Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν, *Strom.* 1. Quinimo primus Ἑλλήνων ἐπέμιξεν Αἰγυπτίοις, *Græcorum ſcita Ægyptiacis miſcuit*, ut *Philoſtratus* memorat, lib. VIII. in vitam *Apollonii*, & *Plutarchus* etiam obſervavit libro de *Iſide* & *Oſiride*. De *Ægyptiis* autem *Herodotus* (*Euterpes* cap. XXXVII.) Κυάμους δὲ οὔτε μάλα σπείρουσιν Αἰγύπτιοι ἐν τῇ χώρῃ, τούς τε γινομένους οὔτε τρώγουσιν, οὔτε ἕψοντες πατέονται· οἱ δὲ δὴ ἱρέες οὐδὲ ὁρέοντες ἀνέχονται, νομίζοντες οὐ καθαρόν μιν εἶναι ὄσπριον. (Ut habet MS. codex meus; Libri editi legunt Κυάμους δὲ οὔτε τι μάλα ——— ſed eſt ea vox irreptitia) *Fabas Ægyptii in terra ſua nec omnino ſerunt, nec ſponte provenientes comedunt, aut coctas in eſcam diſtribuunt: quinimo ſacerdotes ne adſpicere quidem eas ſuſtinent, arbitrantes haud mundum illud legumen eſſe. Plutarchus* lib. de *Iſide* & *Oſiride*, teſtatur Sacerdotes *Iſidis* περιττώματα caventes παραιτεῖσθαι τῶν ὀσπρίων τὰ πολλά. Sextus Philoſophus tertio Pyrronicarum Hypotypoſeων, pag. 156. de Sapientibus *Ægyptiis*, θᾶττον ἂν τὰς κεφαλὰς φαγεῖν φασὶ τῶν πατέρων ἢ κυάμους. *Dicunt ſe parentum capita citius eſuros quam* Fabas. Nec hi tantum, ſive ſapientes ſive ſacerdotes, ex *Iſidis* famulatu *Fabis* abſtinuerunt: verum & ipſa *Ceres* (quæ eadem ac *Iſis*) Pheneatis, qui palabundæ hoſpitium præbuerant, cum cæteris frugibus *Fabam* non eſt largita; arcana ſuppetente ratione propter quam *Fabam* immundam cenſeant: ſic enim *Pauſanias* Arcadicorum pag. 480.

480. Ὅσοι Φενεατῶν οἴκῳ τε καὶ ξενίοις ἐδέξαντο αὐτὴν, τούτοις τὰ ὄσπρια ἡ θεὸς τὰ ἄλλα, κύαμον δὲ οὐκ ἔδωκε σφίσι. κύαμον μὲν οὖν ἐφ' ὅτῳ μὴ καθαρὸν εἶναι νομίζουσιν ὄσπριον, ἔστιν ἱερὸς ἐπ' αὐτῷ λόγος. *Galenus* ergo, Commentario in *Hippocratem de victu in morbis acutis*, minus accurate *Fabam* inter (Δημήτρια σπέρματα) *Semina Cerealia* repoſuiſſe videatur. Vetus ergo ille πλειστόγραφος, (ſive Orpheus, ſive Cercops, ſive Onomacritus) Pythagoræ diſcipulus, in Telluris ſuffimine *Omnia ſemina* admittens, *Fabam* recte excepit. Nimis autem populariter dictum eſt *Ægyptios* & *Pheneatas* ipſumque *Pythagoram*, *Fabas* utpote *immundas* adſpernatos; cum revera non ob *immunditiem* ſed *ob ſacras rationes* abſtinuerint: quod ultima illa *Pauſaniæ*, modo memorata, innuunt; & de ſeipſo *Pythagoras Luciani* teſtatur: mercatori enim quærenti τίνος ἕνεκα μυσάττῃ τοὺς κυάμους; reſpondet *Pythagoras*, οὐκ, ἀλλ' ἱεροί εἰσι, καὶ θαυμαστὴ αὐτῶν ἡ φύσις, πρῶτον μὲν γὰρ τὸ πᾶν γονή εἰσι —— in qua ultima periodo fateor nullo negotio perſuaſum iri mihi, ut, juxta *Ariſtotelem*, legam, πρῶτον μὲν γὰρ ἀγόνατοί εἰσι, cum excuſa illa quid ſibi mentis habeant, plane neſciam. Legimus apud *Porphyrium* (libro IV. De Abſtinentia ab eſu animalium) Cereris myſtas *Fabis* abſtinuiſſe, παραγγέλλεται γὰρ καὶ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσθαι καὶ κατοικιδίων ὀρνίθων, καὶ ἰχθύων καὶ κυάμων. *Nam etiam præcipitur in Eleuſiniis ut à domeſticis avibus & piſcibus & Fabis abſtineant*: ut habet optima *Bernardi Feliciani* verſio. Cantabrigienſis interpres κατοικιδίους ὄρνιθας *chortales aves* vertit, nimis anguſte; cum non tantum à ſaginatis in chorte, ſed ab omnibus plane domeſticis avibus abſtinendum

fuerit. Pythagoram autem eundem docendi morem, ac Præceptores Judæi ſolent, ſervaſſe liquet: utrique enim nudo dicto ſuo diſcipulorum fidem obſtringebant. Hebræi ea de re אמוראים *Dicentes* in Talmude vocantur, ad ſingulas enim illorum ſententias ſolenni ritu præponitur אמר *dixit* ὁ δεῖνα ſic vel ſic. Et in Pythagorica diſciplina quid celebrius quam αὐτὸς ἔφα; *Ipſe dixit?* Pythagoras etiam teſte Hermippo apud Joſephum ſecundo adverſus Appionem, Πολλὰ τῶν παρ' Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὐτοῦ μετήνεγκε φιλοσοφίαν· *Non pauca de quibus Judæis lata lex eſt, in philoſophiam ſuam tranſtulit.* Imo ipſam philoſophiam ſuam non ab Ægyptiis, ut auctores ſuperius laudati volunt, ſed à Judæis ad Græcos tranſtulit. Τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἐνηνοχέναι, ut ex ejuſdem Hermippi primo περὶ νομοθετῶν citat Origenes. Vel, (quod hæc veriſimiliter conciliat) Philoſophia Pythagorica à Judæis primum oriunda, mediantibus Ægyptiis ab illo demum percepta eſt. Suſpicabar ergo pridem etiam hanc ipſam à *Fabis* abſtinentiam à *Judaicis* Heſſenis primum increbuiſſe; quorum victus, teſte *Euſebio*, non tantum καθαρὸς ſed & ἁγνὸς fuit: veruntamen ea de re nondum comperi quidquam diſerte traditum. *Judæis* certe פולים *Fabas* conſtat jure *Moſaico* vetitas non fuiſſe: nec vero iis penitus abſtinuerunt; ut ex eorum commentariis in Danielis caput primum, ex Talmudicis, ex Nachmanidæ Epiſtola Sancta & aliunde patet. Siqui vero abſtinuerint, id quidem, quantum mihi obſervare licuit, ſalutis præcipue cauſa feciſſe videantur. Quo pa-

cto Mayemonides in *Jad Chaſaka* tomo primo, הלכות דיעות cap. IV. Sect. IX. fol. 13. p. 2. הפול והערשים בלבד אין ראוי לאוכלן לא בימות החמה ולא בימות הגשמים *Faba & lentes tantum inutiles ſunt fructus, nec æſtivo, nec biberno tempore comedendi.* בימות הגשמים *tempore pluvio* circumlocutio *brumæ* fit, quod in iſtis regionibus pluvia raro extra brumam contingat. גשם etiam ſimpliciter, *brumam* ſignificare, ponendum in præteritis Lexicorum. Ipſum autem *Pythagoram* ferunt ſe vita potius ſpoliandum perſequentibus ultro ſtitiſſe, quam per *Fabetum* fuga ſibi conſulere voluiſſe. *Jamblichus* decem, *Suidas* quinquaginta *Pythagoreis* itidem factum memorat. *Myllias Crotoniata* mori maluit, quam *Dionyſio* cauſas exponere propter quas *Pythagorei Fabis* abſtinerent. Perinde etiam eſt quod de ipſo *Pythagora* refert *Suidas*. *Mylliæ* uxor *Timycha*, in ſimilem quæſtionem veniens, ſuam ſibi linguam præmordit, ne, tormentis victa, cogeretur τῶν ἐχεμυθουμένων τι ἀνακαλύψαι, *arcanorum quidpiam detegere*, referente *Jamblicho*. Quæ cum ita ſint, exquirendæ prorſus ſunt cauſæ idoneæ, quæ tam prudentes eo obſtinationis impulerint. Qua in re minime ſatisfaciunt qui *Fabas*, cum *Plutarcho* & *Nonno Scholiaſta Nazianzeni*, & (ab his) *Reuchlino*, de *ſuffragiis*, quæ *Fabis* ferebant Athenienſes, interpretantur: quorum ſordida venditione nequiſſimi quidam tolerare vitam & rem facere non erubuerunt; Cleonis inſtar, qui κυαμοτρὼξ propterea audivit apud Comicum, ἐπ πόδσι Quid autem

Py-

Pythagoricis Italiæ agentibus, cum moribus Athenienſium commune? nec ſatisfaciunt *Cicero* & *Symeon Sethi*, qui hac abſtinentia divinationi per ſomnia *Pythagoreos* caviſſe volunt. Quo nomine primum Amphiaraum *Fabis* abſtinuiſſe refert γεωπόνος *Didymus*, lib. II. pag. 70. Multo minus, qui pueriliter πένθιμα γράμματα in flore *Fabaceo* & ſimilia cauſantur. Nullum enim horum, (ne ſi addas illud *Gellii* de re Venerea operte prohibita) cauſæ ſatis erit propter quam quis vitam malit amittere, potius quam iſtiuſmodi quicquam palam faciat. Et enimvero *Ariſtotelis* auctoritas me plurimum movet; is autem, ut in lemmate poſui, dixit *Pythagoram Faba abſtinuiſſe quod ſimilis eſſet* ᾅδου πύλαις, *atque* ᾅδου πύλαις *Fabam ſimilem eſſe* διὰ τὸ ἀγόνατον εἶναι. Cujus rei rationem prorſus novam odoratus *V. Cl.* D. *Mericus Caſaubonus*, amicus ſummus meus, pertendit in notis in Laertium, *inclementiam* ſub hoc involucro vetari. Supplices quippe *genua* ejus cui ſupplicatum prenſabant; *genibus* autem carentes *Fabas*, (parte cui advolvere ſe poſſent ſupplices) quaſi miſericordiæ ac clementiæ ſpe præcluſa, eo nomine portis *Inferni* ſimiles evadere, ideoque illis *Pythagoram* abſtinuiſſe contendit; atque omnes qui penitiora hic myſteria aucupantur amandans, ſuas ſibi res habere jubet. At eſto quod *portæ Inferni* nulla prece flecti queant; eſt hoc illis cum aliis rebus ſive fatali ſive naturali neceſſitate evenientibus commune: cur igitur eo nomine *Faba portis Inferni ſimilis* potius dicatur, quam rei alii inexorabili? niſi enim eximio aliquo atque ſingulari nitatur hæc ſimilitudo, re-

tundetur acumen illud, quod ſolet in hujuſmodi primas tenere. Quod etiam ad *inexorabilitatem* attinet, cur *Faba* diceretur *Portis Inferni* ſimilis, potius quam *Inferno* ſimpliciter; cum nulla vox in hujuſmodi otioſe redundare debeat? Nec cauſæ ſatis erit propter quam plantam *articulorum* ſive *genuum expertem* ad *inclementiam* deſignandam aptaret, niſi *genua tantum* tetigiſſent ſupplices: at id non eſt verum; *Pedes* enim etiam tangebant: Græci quippe ſupplicantis eſt τῶν ποδῶν ἅπτομαι *Supplex ad pedes jacui*, inquit, eundem morem imitatus, *Cicero*. Vel ſi pedum vox ambigua ſit, *barbam tangere* olim ſolebant (quod in Oriente etiamnum obtinet) & *manum*. Ἀνθερεῶνος ἢ γενειάδος ἢ χειρὸς ἥπτοντο ἱκέται ἱκετευόμενοι, ut ex *Euripide* probat *Euſtathius* ad *Homeri* Iliadem primam p. 129. Veniam denique præfatus, fateor me credere non poſſe *Pythagoram* ipſum cum totidem ſuis maluiſſe ultima perpeti, quam uti rem tam vilis momenti, quam hæc expoſitio præfert, eloquerentur. In rebus inſuper ad mores & communem vitam ſpectantibus, etiam vulgo invidere ſalubre conſilium & monita humaniora, à *Pythagorica* virtute alienum merito videatur. Et vero quæſtione capitali, cui ſubjiciebantur, nulla opportunior occaſio illud ſymbolum explicandi occurrere poſſe videatur, ſi tale quidpiam continuiſſet. Κυρίας interim δόξας, de Rerum præſertim Natura, ἐν ἀπορρήτοις φυλάσσειν ἢ σιωπᾶν ad quas vulgi captus tantum obbrutuiſſe videatur, ut *Ariſtoteles* ἀκροαματικὰ ſua ἐκδεδομένα καὶ μὴ ἐκδεδομένα pronuntiare potuerit. Honeſtati autem ipſius naturæ tantiſper con-

conſulendum videbatur; ne ſi gregi ſciolorum nuda proſtitueretur, illam impuræ animæ ſequius concinnarent. Fabulas itaque & Ænigmata τῆς φιλοσοφίας κόσμον *Philoſophiæ ornamentum* vocat Maximus Tyrius, diſſertatione XXIX. De *Pythagoricis* igitur *Clemens* Centonum quinto, Τοῖς τυχοῦσιν οὐκ ἤθελον ὑπαιδίῳ ἐκκεῖσθαι πάντα, οὐδὲ κοινὰ ποιεῖσθαι τὰ τῆς σοφίας ἀγαθὰ τοῖς μηδ' ὄναρ τὰς ψυχὰς κεκαθαρμένοις· οὐ γὰρ θεμιτὸν ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα, οὐδὲ γὰρ βεβήλοις τὰ τῶν Ἐλευσινίων θεῶν μυστήρια διηγεῖσθαι ἐξῆν. *Noluerunt obviis quibuſque omnia inverecunde exponi, neque communicari ſapientiæ bona eis qui de animabus ſuis repurgandis ne in ſomniis quidem cogitaſſent: nec enim fas eſt vulgari cuique porrigere quæ tantis laboribus conſtant, nec profanis Dearum Eleuſiniarum myſteria enarrare.* Extat inter *Græcorum* Epiſtolas *Lyſidis* illa lectu digniſſima, qua *Hipparchum*, poſt ſcholæ *Pythagoricæ* diſperſionem, publice docentem, graviter violatæ fidei incuſat; inde hæc tranſtulit *Clemens*, & nos inde etiam correximus iſ locis. *Ægyptii* ergo prope ſimulachrum *Iſidis* (qua rerum Naturam adumbrabant) *Harpocratem* ponere ſoliti, qui labiis manu compreſſis ſilentium imperitaret. (Quod etiam *Auguſtinus* advertit, de Civitate Dei libro XVIII c. 5. tametſi ejus rei cauſam minime genuinam adſignaverit.) De *Iſide* ergo *Saitica* inſcriptio, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, ΚΑΙ ΤΟΝ ἘΜΟΝ ΠΕΠΛΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΠΩ ΘΝΗΤΟΣ ἈΠΕΚΑΛΥΨΕΝ. *Iamblichus* farraginem minarum pertexens quibus θεουργοὶ inferiores quaſdam Poteſtates adigere ſolebant, [illegible]

recenſuit: in excerptis ex codice Cæſariano: Quaſi iſtarum Poteſtatum interſit nihil iſtiuſmodi palam fieri. Et certe naturæ vi legitime cognita, vili mox penderentur iſtorum dæmonum ementita miracula. Itidem *Græcæ* Δήμητρος & *Romanæ Cereris* (quæ φυσικῶς eædem ac *Iſis*) ſacra, quæ Rerum Naturæ myſteria continebant, tanto cum ſilentio percepta legimus. Nihil ergo mirum ſi *Pythagoras* utrique, & *Iſidi* & *Cereri*, initiatus, (πάσας γὰρ ἐμυήθη τάς τε Ἑλληνικάς καὶ βαρβαρικὰς τελετὰς ut Laertius refert. Auctor θεολογυμένων τῆς ἀριθμητικῆς itidem βαρβαρικαῖς τελεταῖς μυηθῆναι memorat: p. 41. (excuſa habent πλά-ταῖς, perperam) utpote cujus domum Metapontini Δήμητρος ἱερὸν ἐκάλουν, quod ſacris *rerum naturæ* tam aſſidue operaretur: nihil inquam mirum ſi in ejuſmodi, Taciturnitatem & didicerit & docuerit. In more enim poſitum fuit præceptoribus Orientalibus (quos *Pythagoras* imitatus eſt) à diſcipulis ſuis jurandum exigere *Fidei*, ne quid ſecus tradant ſuis; & *Taciturnitatis*, ne quid ſinant emanare in vulgus. Hoc σεμνὸν ὅρκον τῶν Πυθαγορείων adpellat *Olympiodorus* in vita *Platonis*, quæ cum Diogene Laertio nuper Londini prodiit. *Joſephus* (de *Bello Judaico* libro II. c. 7. p. 786.) *Heſſenos*, quos *Pythagoras* præcipue imitatus eſt, refert neminem ad convictum admiſiſſe niſi prius perſancte juraverit (inter cætera) μήτε κρύψειν τι τοὺς αἱρετιστὰς, μήτε ἑτέροις αὐτῶν τι μηνύσειν, κἂν μέχρι θανάτου τις βιάζηται. *Neque aliquid de myſteriis confectaneos celare, neque profanis eorum quippiam publicare, etiamſi intentata quiſpiam morte compellat*, ut *Rufinus* vertit. Pergit ibidem *Joſephus*, πρὸς τούτοις

ὄμνυσι

ὄμνυσι μηδενὶ μὴ μεταδοῦναι τῶν δογμάτων, ἑτέρως ἢ ὡς αὐτὸς μετέλαβεν. *Jurat inſuper ſe nemini traditurum decreta, ſecus quam ipſe acceperit.* Atque hunc morem in ſchola *Pythagoræ* obtinuiſſe docti norunt. Plerique autem *Pythagoram* ipſum nihil prorſus literis mandaſſe volunt: & quæ ſub illius nomine hodieque circumferuntur Carmina Aurea, *Phocylidæ* eſſe videntur: ex eo enim Πῆ παρέβην — *&c.* verſiculum, laudat *Nicææ* archiepiſcopus, *Euſtratius*, in *Ethica Nicomachia*, pag. I. Notum etiam eſt quam diuturno ſilentio *Pythagoras* philoſophiæ ſuæ candidatos præparare ſolitus ſit: & ſaltem ex pertinace hujus ſectæ taciturnitate, aduſque *Philolai* tempora οὐκ ἦν τινὰ γνῶναι Πυθαγόρειον δόγμα· οὗτος δὲ μόνος ἐξήνεγκε τὰ διαβόητα τρία βιβλία ἃ Πλάτων ἐπέστειλεν ἑκατὸν μνῶν ὠνηθῆναι· teſtibus *Laertio* & *Jamblicho.* At enimvero *Plato* ſe muricibus *Sillographi* minime objeciſſet tantas haſce impenſas prodigendo, niſi ſapientiam *Pythagoreorum* vel quantivis feciſſet: nec vero fuiſſet opus tam chara redemptione, niſi per egregiam iſtius ſectæ Taciturnitatem ſtetiſſet. Nec *Pythagoras* tantum ejuſque præceptores myſtæ *Ægyptii*, verum & diſcipulus *Numa*, cultus *Romani* inſtitutor, Sacerdotes *Fabæ eſum* vetavit. *Fabamque nec tangere nec nominare Diali Flamini licebat*, quod is τῷ Διὶ (vitali Præſidi) famularetur: *Faba autem putabatur ad mortuos pertinere: nam & noctu Lemuralibus jaciebatur larvis & Parentalibus adhibebatur ſacrificiis*, ut *Varro* & *Feſtus* referunt: nec *Ovidius* omiſit in *Faſtis*, lib. V. ſect. *Hinc ubi*, &c. Sic enim de celebrante *Lemuria*,

Cumque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore Fabas;
Averſuſque jacit ſed dum jacit, Hæc ego mitto,
His inquam redimo meque meoſque Fabis.
Hæc novies dicit nec reſpicit; umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.

Sed & Hebræos *Legumen*, *lugentium cibum* vocare, conſtat ex *R. Eleaſaro* in Pirke cap. XXXV. ſect. אמר ר אליעזר Ubi hæc habes העדשים מאכל צרה הם ואבל וגו *legumen cibus luctus ac doloris eſt*, &c. Pergitque memorare, ut *Patres* in *Morte Hebelis*, in *Vivicomburio Haranis*, in *Morte Abrahami*, in *Captivitate*, *legumina comederint*. Sed & apud *Danielem* Tres Pueri Captivi, Aulicorum Principem *legumina* propterea forte poſcebant. Ita enim voces זרענים & זרעים vertit vetus interpres *Latinus*, aſtipulantibus Syro atque Arabe. R. Saadias Gaon ad locum, *Omne genus Fabas adhibitas fuiſſe memorat*, פול העם *Fabam craſſam* id eſt vulgarem, פול מצרי *Fabam Ægyptiam*, & פול לבן *Phaſeolum*. Atque hoc nomine *legumine* abſtinuiſſe Summum Judæorum Sacerdotem, cui inter *lugentes* verſari nefas erat, credibile eſt. Atque inde fortaſſis ad Gentes tranſiit mos iſte *Silicernia legumine* (*fabaceo* præſertim) inſtituendi; à quo tamen eorum quoque (ut vidimus) *Summus Pontifex*

tifex abſtinebat, ne funeſtaretur. Obſervavimus autem prius *Fabas* omnibus aliis ſacris, exceptis hiſce τῶν νεκύων, arceri: quod etiam *Artemidorus Onirocritorum* lib. I. cap. 70. adſerit; [κύαμος] πάσης τελετῆς καὶ παντὸς ἱεροῦ ἀπελήλαται· φακὴ δὲ πένθος προαγορεύει. *Lens luctum præſagit.* Quod *lenti* hic tribuit, *Fabis* etiam tribui debere certum eſt: quorum floribus πένθιμα γράμματα inſcripta eſſe, pridem ex Didymo Agricola meminimus, & *Parentalibus* etiam adhibitas oſtendimus. Qui vero *Pythagoricam* de iſtis ἐχεμυθίαν animadverterit, quali ſilentio πέπλον Ἴσιδος Ægyptii, Δήμητρος Græci, *Mundum Cereris* Romani venerati ſint; ut ſit juxta *Iſidem* ſtatutus *Harpocrates*; ut Numa *Tacitam* ſive Muſam ſive Deam adoraverit: non dubitabit hæc omnia eodem fonte derivata, eaſdem ſilentii cauſas habuiſſe. *Pythagoram* quippe ab *Heſſenis* & Ægyptiis inſtitutum accepimus. Sed & Numam à *Pythagora* inſtitutum fuiſſe, conſtans fama; referente *Plutarcho*, (in Numa) increbuerat; ejuſque *Decreta* (ut & *Heſſenorum*) *Pythagoricis* παντάπασιν ἀδελφά, qui comparationem inire velit, plane fatebitur. Etiam Caſſius Hemina, & C. Piſo Cenſorius memorant libros in Numæ ſepulchro repertos philoſophiam Pythagoricam continuiſſe: teſte Plinio. lib. XIII. cap. 13. Fuit autem in more poſitum Ægyptiis, & ab illis, veteribus Græcis, velo parum nobilis argumenti præcipua philoſophiæ ſuæ obnubere (ὑπὸ προσχήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα) Sæpe vero ſi perfracto cortice epopta fias non multum lætere repertis; theſaurus quippe car-

bones.

bones. Sed qui rationem inierit *Pythagoræ*, viri extra omnem ſapientiæ aleam poſiti (utpote qui in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Muſica, Morum ac Naturæ ſcientia, omnibus iſtius ævi palmam præripuerit; quique in Theologia, primus Græcorum, nobile illud ſcitum de Animorum Immortalitate tradiderit, ut cætera prætercam) opinetur neceſſe eſt momenti quidem maximi fuiſſe, quæ arcano hoc tradendi modo initiatis tantum ſuis permitteret. Et qui hoc unicum ſymbolum *de abſtinentia à Fabis*, ſuæ ac diſcipulorum vitæ diſpendio clam profanis ſervatum adverterit, deſinat magni alicujus myſterii rationem nobis invidere. Oſtendam enim *Hanc Fabarum prohibitionem ob ſimilitudinem quam habent cum Inferni portis, quod ſolæ ſint genuum expertes*, totius philoſophiæ *Pythagoricæ* ſummam atque apicem fuiſſe: ne cui mirum ſit maluiſſe *Pythagoreos* capita potius ſua devovere, quam committere ut tam grande arcanum in vulgus exiret.

Scivit ergo *Pythagoras* (ut & magnam partem *Cabalici* & Ægyptii) Divinum Opificem in erciſcunda univerſitatis familia ψυχὰς ἰσαρίθμους τοῖς ἄςροις, *animas ſtellis numero pares* ſingulis, ſingulas inſeviſſe: ævum ergo omnes pridem animæ agebant ἐν τῷ ἀπλανεῖ; puro æthere veſcentes, utenteſque αὔλοις καὶ καθαροῖς καὶ ἀςροειδέσιν ὀργάνοις, καὶ συμπεριπολοῦσαι μετὰ τῶν θεῶν καὶ συνδιοικοῦσαι τὸν ὅλον κόσμον, ut loquitur *Proclus* libro V. in Timæum, pag. 326. Celſus ergo apud Origenem dixit animas cecidiſſe ἀπὸ τῶν ἀψίδων τοῦ οὐρανοῦ· factum enim ut ἐνζεῖ τινι φυσικῇ χαλαστωμέναι
in

in ſequiorem naturam propenſæ *Lethæum* fluvium corruptibilis regionis ad ebrietatem uſque potantes, ſuique mox oblitæ ac paſſæ πλεοῤῥύνησιν, per Foramen Septentrionale, qua circulus lacteus ad Tropicum Cancri Signifero committitur, in orbem inferiorem delaberentur. R. *Eleaſarus* in *Pirke*, caput III. ait, רוח פנת צפון ברא ולא גמרה לפי שאמר כלמי שיאמר שהוא אלוה יבא ויגמור את הפנה הזאת שהנחתי וידעו הכל שהוא אלוה *Cardinem plagæ ſeptentrionalis creavit* Deus O. M. (δὸτὶ πάντα) *nec tamen conſummavit eum. Dixit enim quicunque ſe Deum eſſe dixerit, eat & conſummet iſtam plagam, quam imperfectam reliqui, & ſcient omnes eum eſſe Deum.* Septentrio autem *Mali regio* habebatur Cabalicis. Sequitur enim apud R. *Eleaſarum* ושם הוא מדור למזיקים ולזועות לרוחות ילשדים לברקים ילרעמים ומשם רעה יוצאה לעולם שנ מצפון תפתח הרעה *Et illic eſt ſedes nocivorum, & terribilium, ſpirituum immundorum, fulgurum & tonitruum, & illinc malum in mundum pervenit, uti dicitur, A Septentrione proruet malum,* Jerem. I. 14. Neque tantum Cabalicis ſed & *Ægyptiis* & *Græcis* à quibus & *Etruſcis* in Templo Augurali diſpertiundo. Lacuna ergo hac Septentrionali operte innuunt *Deum in rerum conditu poſſibilitatem mali præſtare ac penitus excludere noluiſſe; quo Meſſiæ futuro daretur anſa divinitatis ſuæ ſpecimen edendi:* is enim lapſis per foramen Septentrionale ani-

animabus (id eſt, *mali olim poſſibilis admiſſione*) ſuccurrens, ac labiles alioqui ſpiritus (ut Schola Chiſtiana perhibet) confirmans, *lacunam hanc Septentrionalem complevit & penitus obturavit*; ut ænigma veterum Cabalicorum ad partes Chriſtianas aſſeram. Mali itidem contagio *Pythagorici* animas à priſtino ſtatu dejectas exiſtimantes, tantundem Aquilonari hoc deſcenſu ſignificatum ibant. Eo ſenſu à Cabalicis dictum צפון גדול מבוע הנשמות *Magnus Aquilo ſcaturigo animarum.* Antrum etiam Nympharum, quod *Homerus* in Corruptibilis hujuſce Regionis ſymbolum plane effinxit, Januam Septentrionalem habet *animabus in humana corpora deſcendentibus*; Januam vero Auſtralem *ad ſuperos remeantibus.*

--- Δύο δὲ τέ οἱ θύραι εἰσὶν,
Αἱ μὲν πρὸς Βορέαο καταιβαταὶ ἀνθρώ-
ποισιν·
Αἱ δ' αὖ πρὸς νότου εἰσὶ θεώτεραι, οὐδέ τι
κείνη
Ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός
ἐστιν.

——— *Janna duplex:*
Hæc boream ſpectans homines demittit: at illa
Reſpiciens auſtrum divinior, invia prorſus
Eſt homini, præbetque viam immortalibus u-
nis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc *Homerus Ægypti* inſtitutus (ut *Clemens Alexandrinus*, *Heliodorus* & alii non pauci aſſerunt) ex eodem fonte ac ipſe *Pythagoras* hauſiſſe videatur. Quicunque autem corruptibilis iſtius vitæ curriculum honeſte confecerit, πάλιν εἰς τὴν τοῦ συννόμου πορευθεὶς οἴκησιν ἄστρου βίον εὐδαίμονα ἕξειν, *ad comparis ſtellæ contubernium* (ut eleganter *Chalcidius*) *denuo redit, vita beata fruiturus*: Qui prave, ſecunda generatione ſexum mutat, tertia hominem penitus exuens pro ſcelerum indole bruteſcit. Animæ (inquit *Plato* pag. 81. in *Phædone*) ἐνδοῦνται, ὥσπερ εἰκὸς, εἰς τὰ τοιαῦτα ἤθη, ὁποῖα ἄττ' ἂν καὶ μεμελετηκυῖαι τύχωσιν ἐν τῷ βίῳ. *Jechiel Mile* cap. de Timore citat. Doctiſſimo *Gaulmino* in Notis ad Vitam *Moſis* p. 327. יש שהוא דומה לי לארי ויש לנחש וישלחמור לכל הבריאת היא משתנה כפי מעשיהם וכפי השעה כה אשרי איש השולט ורוכב עליו כמו שרוכב על סום או על חמור ואוי לו למו שיצרו שולט עליו זה נקרא רשע גמור *Eſt qui Leoni, eſt qui ſerpenti & aſino ſimilis evadit, inque omnes ſecundum opera ſua mutatur beſtias. Beatus qui* (paſſionibus ſuis) *imperat, easque velut equum ſeſſor domat, aut aſinum. Væ illi vero cujus germen malum* (id eſt fomes peccati) *prævalet, quoniam ille prorſus impius dicitur*, ut vertit *Gaulminus*. A malo autem ad pejus pronus lapſus eſt, quoad in ultimam vitæ ὑπόπολιν impingatur. Degenerari itaque poſſe exiſtimant hinc ad plantam uſque deterrimam, inde autem

(ἀπηλ-

(ἀπηλλαγμένοις τῆς γενέσεως) reditum aduſque Deos patere. Heracliti ὁδὸν ἄνω καὶ κάτω illo ſenſu libenter acceperit Plotinus, Enneadis quartæ libro octavo. Iſtam *viam ſurſum & deorſum* non tantum de Animæ, ſed & de univerſis rerum naturæ viciſſitudinibus intelligunt Laertius & Maximus Tyrius. Laertius extulit ſciviſſe Heraclitum μεταβολὴν ὁδὸν ἄνω καὶ κάτω· Maximus ἀλλαγὴν ὁδῶν ἄνω καὶ κάτω. Diſſert. XXV. tametſi non ignorem qua lectio Laertii defendi poſſit: non dubito tamen quin & illic ὁδῶν quoque legi debuerit. *Surſum* autem tendentes animæ recta tandem ad Deum recellunt: *Deorſum* tendentes recta εἰς βόθρον καὶ εἰς κακίας βαπτισμὸν feruntur, ut loquitur Nicomachus Geraſenus in Quinario. Metas ergo hujuſce curriculi ἀποθέωσιν & ἀποκολοκυντωσιν fingas licet: Bonis propriæ virtutes veram; Magnis, Regibus, Imperatoribus & ejuſmodi, popelli adſentatio ſaltem fictam ἀποθέωσιν conciliabat: quam accuratiſſime deſcripſit *Herodianus* ſub initium libri quarti. Utcunque *Seneca Claudium*, Imperatorum inſulſiſſimum, ἀποκολοκυντωθῆναι perſtringere maluit; quaſi anima ejus in cucurbitam migrante. *Talmudici* de גלגול הנשמות *animarum tranſmigratione* aliquoties agunt. Item R. *Simeon* in *Zohar* loco mox producendo. *Menaſſeh* B. *Iſrael* in *Niſmat Chajim*, *Tranſmigrationis opinionem Abrahamo Patriarchæ* adſcribit. Et alii quos tranſcribere longum foret. Fruſtra ergo eſt R. *Benjamin Tudelenſis* qui *Dogziin* populo *Sidoniis* finitimo ob hanc opinionem *Paganitatis* & *Atheiſmi* notam inurit, ſedulo interim ſuis cavens, dicendo ואין ביניהם יהודי *at nulli inter*

ter eos Judæi. Conſule Itinerarii pag. 9. edit. *Briſgoienſis. Mayemonides* & cum eo non pauci cenſent animas malorum ; quæ corrigi non poſſunt, poſt varias viciſſitudines è rerum naturæ finibus ejici atque aboleri penitus in nihilum. *Cabalici* tribus minimum corporibus alternis ſingulas conjungi animas ſtatuunt : ne commiſſorum peractæ coram ſupremo Judice, corpus ſuum minus ad virtutem idoneum contigiſſe cauſari poſſent. Hinc eandem animam viciſſim *Adamum*, *Davidem*, & *Meſſiam* animare volunt; ſingulis literis nominis אדם totidem illas manſiones initiali conſignantibus. Hujus opinionis affinem ipſum *Origenem* faciunt, nempe εἶναι μετενσωμάτωσιν, καὶ ὅτι ἡ τοῦ Σωτῆρος ψυχὴ ἡ τοῦ Ἀδὰμ ἦν, ut *Photius* perhibet cap. CXVII. Verum iſtam μετενσωματώσεως opinionem per calumniam *Origeni* tributam eſſe plane liquet : libro enim III. adverſus *Celſum* dicit, Ἀλλὰ τοὺς πεπονθότας τὴν περὶ τῆς μετενσωματώσεως ἄνοιαν, ἀπὸ ἰατρῶν, τῶν καταβιβαζόντων τὴν λογικὴν φύσιν, ὅτε μὲν ἐπὶ τὴν ἄλογον πᾶσαν, ὅτε δὲ καὶ ἐπὶ τὴν ἀφάνταστον, θεραπεύομεν. *Quinetiam illis qui dementia Tranſcorporationis laborant, ex imbibito priſtinorum Medicorum decreto (deprimentium naturam rationalem nonnunquam in omne genus irrationalem, nonnunquam etiam in perceptionis expertem (i. e. vegetabilem) medemur.* Animam definit Origenes. Οὐσίαν φανταστικὴν καὶ ὁρμητικήν· *Subſtantiam perceptionis & appetitus compotem* περὶ ἀρχῶν lib. II. cap. VIII. ἀφάνταστα ergo illi inanimata habentur, utpote quæ vegetatione tantummodo gaudent. Hunc locum delumbavit V. interpres, ſed & egregie pervertit *Gele-*

nius, nec emendavit recognitor *Cantabrigienſis*. Iſtam opinionem hic ἄνοιαν· & libro primo μυθικῶν μετενσωματώσεων· V. etiam μῦθον vocat. Et ne quis illum, utcunque abnuentem Tranſcorporationem in bruta & vegetabilia, etiamnum ſuſpicetur intra orbem rationalem ſtatuere poſſe; legat III. Homiliam in *Matthæum*: ubi in illa, *Helias venit*, &c. inquit, *Helias jam venit*, *non Anima Heliæ eſt intelligenda*, *ut ne incidamus in dogma Tranſcorporationis*, *quod alienum eſt ab Eccleſiaſtica veritate*, p. II. Tom. II. Quæ autem diſcutienda de Tranſcorporatione propoſuit in libris περὶ ἀρχῶν, non ſunt pro decretis & ratis ſententiis habenda; id enim ne fieret non uno in loco cavet Origenes, omnium philoſophorum modeſtiſſimus. R. *Simeon* in *Zohar* (initio paginæ centeſimæ quinquageſimæ) aſſerit *Animam Hebelis primo tranſmigraſſe in Seth*, *ſecundo in Shem*, *tertio in Moſem*, id ſibi volunt iſta משה זה שת ואיהו שם ואיהו הבל hoc dicit fretus verbis *Jobi* cap. XXX. v. 19. *Omnia hæc operatur Deus Bis Terve cum homine*. Verum in vice Terna ſiſti Tranſmigrationem ſtatuit; nec ad Quaternam pertingere poſſe, quod dicat *Amos* c. I. v. 3. ועל ארבעה לא אשיבנו *& ſuper quatuor non faciam reverti eum*, quæ verba ille futiliter exponit לא אשיבנו בגלגולא יתיר *non faciam reverti in tranſmigrationem denuo*, &c. de Terna tranſmigratione etiam *Pindarus*, *Olympicis*, *Ode* II. inquit,

Ὅσοι

Ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἘΣ ΤΡΙ`Σ
Ἑκατέρωθι μείναντες,
Ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
Ψυχὰν, ἔτειλαν Διὸς
Ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρσιν.

Qui valuerunt ad Tertiam uſque vicem,
Utrobique manentes, animam
Ab injuſtis omnino abſtinere,
Perrexerunt Jovis viam
Ad Saturni urbem.

(Τολμᾷν ſignificat *valere*, *poſſe*, *ſuſtinere*, *durare*, apud vetuſtiſſimos Græcos, Hippocratem ſæpe.) Summam nempe felicitatem illorum prædicat qui Ter per metenſomatoſin probati ſeſe à vitiis immunes uſque præſtiterunt. De *Cabalicorum* ſententia de Tranſmigratione conſule *Menaſſeh B. Iſrael* in Conciliatore quæſt. XLIII. præſertim vero legas tria ultima cap. libri de Animæ immortalitate. Andocides, Eubulides, Ariſtoxenus, Hippobatus, & Neanthes, quinque rerum Pythagoricarum Scriptores, Διακοσίοις δ' οὖν ἓξ ἔτεσι τὰς μετεμψυχώσεις τὰς αὐτῷ συμβεβηκυίας ἔφασαν γεγονέναι· μετὰ τοσαῦτα γοῦν ἔτη εἰς παλιγγενεσίαν ἐλθεῖν Πυθαγόραν, καὶ ἀναζητῆσαι (lege ἀναζῆσαι) ὡσανεὶ μετὰ τὴν πρώτην ἀνακύκλωσιν καὶ ἐπάνοδον τοῦ ἀπὸ ἓξ ψυχογονικοῦ κύβου· καὶ ἑξῆς. *Ducentis ſedecim annis tranſanimationes, quæ Pythagoræ contigerunt, eveniſſe memorabant: cumque poſt*

totidem annos renatum in vitam rediiſſe; nempe poſt primum circuitum reditumque à Senario cubo animarum productore. Nimirum numero Senario τὸ ψυχογονίας inſignem quandam facultatem tribuentes, eidem κυβικῶς multiplicato, tranſanimationes curriculum tribuebant: nempe Sexies ſex, ſexies, facit ducenta ſedecim: Ducenteſimo decimo ſexto autem anno revixiſſe aliquoties Pythagoram, ad hiſtorias provocatum, tanquam res eſſet ſeria: lege Anatolium in Senario, θεολογουμένων ἀριθμητικῆς p. 41. *Abu Ali* ſtatuens dari التناسخ *tranſmigrationem animarum*, hominum in bruta, & vice verſa, totam rem in Allegoriam vertit; quo pacto *Philo* lib. De Legibus ſpecialibus p. 792. Πᾶς ὁ ἐρημωθεὶς λογισμοῦ (τοῦ κρείττονος μέρους ψυχῆς) μεταβέβηκεν εἰς θηριώδη φύσιν, κἂν ἔτι μένωσιν οἱ τοῦ σώματος χαρακτῆρες ἀνθρωπόμορφοι. *Unuſquiſque, rationis, potioris animæ partis, expers, in brutam naturam migravit: tametſi corporea figura humanam adhuc ſpeciem retinere videatur.* Sed Philoſophi *Judaici*, *Perſæ*, *Indi*, *Arabes*, *Ægyptii*, *Pythagorici*, *Academici* craſſioris opinionis affines videntur: ut noſtris in *Plutarchi* libros de *Iſide* & *Oſiride* fuſius oſtendetur. Quid etiam hac de re *Pythagoras* atque *Origenes*, in libro noſtro de illorum vitis & decretorum παραλληλισμοῦ, & quo freti, revera ſenſerint, accuratius demonſtrabitur: hæc utcunque hoc in loco ſat erunt. Cum autem ᾅδης (*localiter*) *ſit regio naturæ corruptibilis*, hinc *Pythagoricis* animæ cœleſte ſolum vertentes atque ἰέναι εἰς γένεσιν, dicuntur etiam κατελθεῖν εἰς ᾅδου. Sed & ab *Arabe* aliquo, opinor, edoctus *Paracelſus* dixit *In*
in-

inferno eſſe, in tranſibili degere morarique, lib. de Præſagiis. Abu Ali Ebn Sennæ enim capite ſecundo libri المعاد *Almahad* memorat Arabes quoſdam Magorum ſententiæ ſubſcribentes, ſtatuere, *pœnam & cruciatum ineſſe ipſi animæ ex retentione ipſius vel ejus incarceratione in mundo elementari.* Cl. *Pocockius* citat R. *Tanchum* ad 1 *Sam.* cap. XXV. v. 29. dicentem *De improbis, Perpetua viciſſitudine* تلعب فيها امواج الطبيعة *ludere illos fluctus naturæ.* De iiſdem Carminum Aureorum auctor.

----- οἷα κυλίνδροις
Ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα φέρονται, ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες.

——— *Volumine rapti*
Huc illuc, pœnas expendunt tempus in omne.

Empedocles de ſe,

Δὴν καὶ ἔγω νῦν εἶμι φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης.

Jampridem ſed & ipſe vagor divinitus exſul.

Pro Δὴν vulgo legitur τὴν, pro εἶμι *eo*, εἰμὶ *ſum*, perperam.

Pythagorici enim tunc exſulare ac *mori animam* ferunt, cum vitam illam vitalem qua in cœlo fruebatur deſerit atque amittit, volupta-

tis corporeæ illecebris ineſcata: ac tunc deſcendere eam in regionem hanc corruptibilem atque infimam; Heraclitus etiam hoc ſenſu dixit *Mori nos Animarum vitam, ac vivere illarum mortem*; interprete Porphyrio. Hinc Diis Inferis melle, voluptatis iſtius indice litatum: mortem vero Animalis, Animæ purgatæ vitam ſciſcunt; hinc Superis fuſo ad mortem uſque ſanguine litatum. (Nec poterit mirum illis videri, qui obſervarunt quantus πλειτῶν inſtitutor *Pythagoras* extiterit, ſi iſtæ *Pythagoriſmi* odorem præferant.) Opinabantur enim Bonorum animas ἐπειδὰν ἀνάλθωσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας, τότε χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι, i. e. *Quando quidem ex vinculis carneis redierint, quaſi à diuturna ſervitute liberas, tum geſtire præ gaudio atque ſublimes ferri.* Miſerum vero habebant, Animas, Materiæ legibus obnoxias, duram ſortem perpetuæ reciprocationis in hoc orbe experiri: dandamque inprimis eſſe operam τῆς ὕλης φύσεως χωρίζεσθαι, *à natura corporea ſeparari*, ut loquitur Jamblichus in Protreptico: ut quam expedite hinc ad priſtinam in cœlo patriam emergatur. Hoc oraculum jubet apud *Syneſium*,

Μηδὲ κάτω νεύσῃς εἰς τὸν μελαναυγέα κόσμον,
Ὧι βυθὸς αἰὲν ἄπιστος ὑπέστρωταί τε καὶ ᾅδης.

Nec deorſum vergas ad mundum lucis egentem;

In-

Inſido nixum fundo, cui ſubditus ortus.

Apud eundem cultiſſimum ſcriptorem, Hymno primo,

> Μάκαρ ὅστις βορὸν ὕλας
> Προφυγὼν ὕλαγμα, καὶ γᾶς
> Ἀναδὺς, ἄλματι κούφῳ
> Ἴχνος ἐς θεὸν τιταίνει.

> *Felix qui voracem materiæ*
> *Evitans latratum, atque à Terra*
> *Emergens, ſaltu levi*
> *Veſtigia ad Deum dirigit.*

Conſulendus de his *Porphyrii* luculentiſſimus libellus in *Nympharum antrum*. *Ægyptium* vero morem ſenſibilis inſtrumenti adminiculo innuendi ſublimia quæque, Mentis tantummodo ſagacitate pernoſcenda attigimus prius; eaque de re veteres abunde fidem faciunt, & totus ille *Ori* liber ἱερογλυφικῶν diſerte clamat. Sed & *Pythagoræ* ſymbola *Ægyptium* iſtum morem plane redolent. Atque hic etiam Κυάμους ἐλάμβανεν εἰς σύμβολον τῆς κατ᾽ εὐθεῖαν γενέσεως καὶ ἀκαμποῦς, διὰ τὸ μόνον σχεδὸν τῶν σπερματικῶν δι᾽ ὅλου τετρῆσθαι, μὴ ἐγκαταπλόμενον ταῖς μεταξὺ τῶν γονάτων ἐμφράξεσι. *Fabas ſumpſit in teſſeram generationis recta tendentis ac nunquam reflexæ: propterea quod fere ſola Faba ex plantis ſemini conferentibus* (ita verto σπερματικῶν) *ſcapo penitus perforato ſit, nec ullibi articulorum interpoſitis obturationibus impedito.* Doctiſſimus

Hoſtenius τῶν σπερματικῶν *quæ ſeruntur* vertendo, rationem hujuſce ſymboli valde delumbavit. Cum enim penes ſemen ſit omnis generatio, Generationem Continuam ac Perpetuam innuere volens *Pythagoras*, Plantam Spermaticam, id eſt, ſemini apprime conferentem elegit, cujus ſcapi cavitas nullo prorſus geniculo, quaſi obice, obturaretur: ſatis id opinor ſcite; neque enim in rerum natura quicquam aptius occurrebat. Atque in eo *Portæ Inferni* ſimilis eſt *Faba*, διὰ τὸ ἀγόνατον εἶναι, *quod genuum expers ſit*, ut loquitur *Ariſtoteles*: vel διὰ τὸ δι᾽ ὅλυ τετρῆσθαι, καὶ μὴ ἐσκόπλισθαι ταῖς μεταξὺ τῶν γονάτων ἐμφράξεσιν, id eſt, *Propterea quod penitus perforetur, nec articulorum ſive geniculorum obicibus intercipiatur*: perinde ac *Porta Inferni nunquam oppeſſulata animabus* εἰς γένεσιν καλιούσαις *in generationem deſcendentibus perpetuo patet. Pythagoras* ergo *Fabas vetando, cavit à generatione continua ac perpetua*; inſinuans ſuis, ſatius fuiſſe pollutum corruptibilis hujuſce regionis hoſpitium nunquam intraſſe, ſed quando id integrum jam non fuerit, ſaltem ut, admiſſi, quam primum *generationem ſiſtant*, atque ad ſuperiora redire nitantur. *Syneſius* iſtius Philoſophiæ egregius alumnus eo ſæpe alludit. Hymno III. ad Deum hæc habet,

Θρόνισόν με, πάτερ,	*Colloca me pater,*
Φωτὸς ἐν ἀλκᾷ	*Lucis in vi*
Ζωηφόρου,	*Salutaris,*
Ἵνα χεῖρα φύσις	*Quo manum natura,*

'Ουκ

Οὐκ ἐπιβάλλει.	*Non injicit:*
Ὅθεν οὐκέτι γαῖ,	*Unde non amplius terra,*
Οὐ μοιραία	*Non fatale*
Κλῶσις ἀνάγκας	*Stamen neceſſitatis*
Παλίνορσον ἄγει.	*Denuo reducit.*
Λιπέτω, φυγέτω	*Linquat, fugiat*
Δολερὰ γένεσις	*Doloſa natura*
Θεράποντα τεόν.	*Famulum tuum.*

(Infinita ſunt quæ peccat *Petavius* in hoc auctore vertendo :ı præſertim in Hymnis.) Atque ita ſingularum in hoc ſymbolo vocum rationem reddidiſſe videmur. Sed & *Porphyrium* eſſe ſecutos nemo ſane mirabitur, qui iſta perpenderit: neque enim horum, qui ad manus noſtras pervenerunt, *Porphyrio* quiſquam ad hæc intelligenda meliore occaſione uſus, aut majorem induſtriam adhibuiſſe videatur. Cum autem viderem hoc ſymbolum ad vita functos (ſenſu *Pythagorico*) ſpectare; atque mentione τῶν πολλῶν ᾠδῶν huc ab ipſo *Grotio* referri; eodem & haſce qualeſcunque vindicias adtexui. Si quis vero ut alieno iſta in loco, καὶ περαιτέρω τοῦ δέοντος dicta culpaverit, in te hæc cudetur *Faba*, qui ita voluiſti.

SECT. VI.

Sheol in *Paradiſum* & *Gehennam* ab *Hebræis*; *Haden* in *Elyſium* & *Tartarum* à *Græcis* itidem diſtingui. *Gehennam* ab *Hebræis* ſubdividi in *Superiorem* & *Inferiorem*; *Tartarum* pariter à *Græcis* ſubdividi. Ex *Gehenna ſuperiore* luſtratos redire juxta *Hebræos*. Pariter & *Græcos* ſentire. *Bonos* ad *Cœlum*, *Malos* ad *Gehennam* ſive *Tartarum Inferiorem*, *Mediocres* ad *Superiorem* itare.

Dari varias regiones tam in Paradiſo *quam* Gehenna. *Tam* Paradiſum *quam* Gehennam *contineri in* Sheol. Elyſium *&* Tartara *Græcis* ἐν ᾅδου. *Saga Endorenſis verum Samuelem evocavit. Chriſtus deſcendens* εἰς ᾅδου, *vi tantum iſtius vocis ad* Tartara *deſcendiſſe concludi non poteſt. Bivium* ἐν ᾅδου; *hac ad* Beatorum inſulas *illac ad* Tartarum *ducens. R. Jochanan moribundus illud bivium ob oculos habuit. Bonorum locum ab dextris, Malorum à ſiniſtris eſſe. Angelos adeſſe Bonis Bonos, Malis Malos deducendis. De Angelis*

Malis

Malis & illorum principe. Furiæ & Diræ tortrices. Ἐρινύες καὶ ποιναὶ *Græcorum. De Angelis Bonis & illorum principe Michaele. Poetis Mercurius* ψυχοπομπὸς, *Philoſophis Genius ſuus cujuſque* ἡγεμὼν καὶ συνέμπορος. *Locus perquam inſignis* De Vita Functorum ſtatu *ex Gemara Rosh Haßhanna. Locus conſimilis ex Phædone.*

שאול SHEOL, *pro loco vitæ functorum communi* acceptum, *Hebræi* in Duas ſolent Regiones diſpeſcere; *Paradiſum* nempe & *Gehennam.* Utramque harum regionum in ſeptem manſiones ſubdividunt; quibus diſtinctos gradus, hinc felicitatis illinc meſeriæ, adſtipulante quadantenus ſacra pagina, ſignificatum eunt. Sex ſuperiores *Gehennæ* regiones גיהנם עליון *Gehennam ſuperiorem* conſtituunt, unde animas purgatas redire volunt: Septima autem eſt imum illud *tullianum*, unde reverti non datur. Tam autem *Paradiſum* quam *Gehennam* in *Sheol* contineri certum eſt; quemadmodum *Græcorum* ᾅδης & *Elyſium* & *Tartara* continet. *Medraſh Tillim Solomonis* illud *De binis ſanguiſugæ filiabus* (quod *Hieronymum* ſecuti, de *Luxuria* & *Philargyria* fere exponunt) ſic interpretatur; *Mater harum filiarum pertinaciter dicentium cedo, cedo, eſt ipſa Sheol* (nomen ſortita à petacitate) *ejuſque filiæ ſunt Gehenna & Paradiſus: Quarum* זו אומרת תנו לי צדיקים וזו אומרת תנו לי רשעים *hæc dicit*

dicit cedo mihi juſtos, altera autem dicit cedo mihi impios. Hæc ſententia inde citatur à R. Solomone Jarchio, (in Proverbiorum caput XXX. v. 15.) cujus pleraque omnia ex Medrashim tranſlata, tanto majoris auctoritatis habenda ſunt. Ἐν ᾅδου συνέχονται ψυχαὶ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, inquit auctor operis *Joſepho* adſcripti, quod edidit D. *Hæſchelius* in Notis ad *Photium* pag. 9. Et quo ſenſu *Sheol* & ᾅδης in *ſubterraneis* eſſe dicantur, itidem ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν βίῳ γέγονεν, ex *Phariſæorum* ſententia ſtatuit *Joſephus*, Originum libro XVIII. cap. II. Hinc & ipſe *Samuel*, è Beatorum loco arceſſitus, dicitur *adſcendiſſe è terra.* Pythia enim *Saulo* quærenti quid vidit, reſpondit אלהים ראיתי עלים מן הארץ *divum vidi adſcendentem è terra*, ut erudititiſſimus *Caſtellio* & *Pagninus* verterunt. *Arias* autem *Montanus*, *Pagnini* verſionem pervertens, quod ſolens facit, אלהים *Deos*, plurium numero, hic interpretari maluit: ſed reclamant continenter ſubjuncta verba in ſingulari, *quæ forma ejus?* & unici ſubinde viri pallio (*Sacerdotali* ut inquit *Joſephus*) amicti, deſcriptio. R. Eſaias & *R. D. Kimkius Elohim* hic exponunt אדם גדול *virum auguſtum* optime. Væcordiam iſtam ἀφοσιοῦμαι ut putarim Beatorum animas penes malos ſpiritus eorumque miniſtros eſſe: at enimvero Magis non ſemper is quem invocabant, ſed ἀντίθεος ſæpe aliquis obrepens, ingeſſit ſeſe, ut memorat *Arnobius*, lib. IV. Quid ergo ſi ſagæ *Endorenſi* familiarem Obum,

bum, quicum conſueverat, expectanti, Deus ipſe revera ex inopinato *Samuelem* ſtiterit: atque hæc fuerit cauſa oborti mox pavoris, quo muliercula inhorruiſſe dicitur. Mihi certe *Samuelem* minime perſonatum fuiſſe, perſuadet *Sirachides*, cap. XLVI. v. 23. Ubi de *Samuele* ſic, Καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσεν, καὶ ὑπέδειξε τῷ βασιλεῖ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ, καὶ ἀνύψωσεν ἐκ γῆς τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἐν προφητείᾳ ἐξαλεῖψαι ἀνομίαν λαοῦ. *Syrachus* qui hæc *Hebraice* ſcripſerat, tam prope abfuit à Synagogæ magnæ ævo, ut ex ejus, ipſorumque adeo Prophetarum ſententia locutus videatur. R. *Nathan* apud R. *Eleaſarum* caput XXXIII. inquit, כל הנביאים נתנבאו בחייהם ושמואל נתנבא בחייו ואחר מותו *Omnes prophetæ vaticinati ſunt dum in vivis eſſent: ſed Samuel & in vivis & poſt mortem ſuam. Itidem* R. Iſaacus Sangarus in Cozari ſermone primo de Saulo & Samuele שאל אחד המלכים נביא מת והתנבא לו בכל מה שיבא עליו כאשר היה מתנבא לו בחייו *Conſuluit quidam rex vatem mortuum, qui prædixit ipſi omnes caſus ſuos, quemadmodum vivus prædicere ſolebat.* Pariter ſentiunt Jarchius, & Gerſhomius, & Judæi omnes quos ea de re conſului. *Joſepho* ſaga hæc *Samuelem* καλεῖν ἐξ ᾅδου dicitur. Chriſtus ergo in Paradiſo fuit & eadem opera ἐν ᾅδου. Nodum itaque in ſcirpo quæſivit *Auguſtinus*, poteratque labori pepercisse quem ei quæſtioni in Epiſtola ad *Dardanum* & aliquoties alibi inſumit. (vid. *Auguſtin.* Epiſt. LVII. tom. II. De *Geneſi* ad literam lib. XII. cap. 34.

Con-

Contra *Felicianum Arianum* cap. 15. & alibi.) Cumque in Symbolo Credamus in Chriſtum κατελθόντα εἰς ᾅδου, fruſtra fuerunt qui eum in Tartara vi tantum iſtius vocis deſcendiſſe crediderunt. Iſta enim aſſertio aliis potius S. Scripturæ dictis ac Traditione Eccleſiaſtica niti debet. *Diodorus Siculus* τὰς τῶν ἀσεβῶν τιμωρίας, καὶ τὰς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας ἐν ᾅδου collocat. In *Orci* trivio ſedere Judices memorat *Plato* in *Gorgia*, à quibus ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδὼ. ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ᾽ εἰς Τάρταρον. *Deinceps duæ viæ tendunt, hæc ad Beatorum Inſulas, illa ad Tartarum. Rabban Jochanan Ben Zaccai* moribundus dixit אלא שיש לפני שני דרכים אחת של גן עדן ואחת של גיהנם *Enimvero ob oculos bivium habeo; hac ad Paradiſum, illac ad Gehennam itur:* In *Gemara Berachoth*, fol. XXVIII. p. 2. Quem locum tranſcripſit. R. Nathan in ſectione בן עזאי ſui Avoth (qui extat in fine ultimi voluminis Talmudis Babylonicæ, Editionis Baſileenſis, & poſt Codicem Horajoth Editionis Amſtelædamenſis) *Diphilus Comicus* apud *Clementem Centone* quinto.

Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
Καὶ γὰρ καθ᾽ ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, θατέραν ἀσεβῶν εἶναι
Ὁδόν.---

Pro ὁδὸν vulgo ὅρον perperam legitur. *Virgilius* dixit,

Hic

Hic locus eſt partes ubi ſe via findit in ambas.
Dextera, qua Ditis magni ſub mœnia tendit;
Hac iter Elyſium nobis: ſed Læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Alibi etiam *Tartara*, in *rupe Siniſtra* fundat. *Er Pamphylus* apud *Platonem* Reipublicæ X. ait Infernos Judices τοὺς δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν τε καὶ ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ· —— Τοὺς δὲ ἀδίκους τὴν εἰς ἀριστεράν τε καὶ κάτω. Ipſe Chriſtus pro tribunali στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων. *Matthæi* XXV. v. 33. *Drithelmus Saxo* apud Bedam *Tartarei ſupplicii locum à Siniſtris eſſe advertit.* Mohammedes de utriſque itidem ſtatuit. Ne autem animæ non rectam Bivii partem carperent; utrique coloniæ, tam Bonarum quam Malarum, deducendæ, ductores ſtatuunt. Has nempe in cuſtodiam agunt Angeli Maligni, quorum princeps Tartareus commentarienſis Beelzebul; quem Apocrypha *Enochi* Σεμιαζᾶν, ἄρχοντα ἀγγέλων ἁμαρτησάντων vocant. Talmud tractatu *Gittin* אשמדאי *Aſmodæum*: quam vocem *Perſicæ* origini adſeruit Eruditiſſimus Gravius in Annotationibus (pag. 58.) in *Perſicam* Evangeliorum verſionem: Chaldæus memorat Deum adverſus *Solomonem* prævaricantem, miſiſſe אשמדיי מלכא דשידי *Aſmodæum regem diabolorum*, in vindictam: ut habetur in Rabbinicorum Bibliorum editione Bombergiana. Buxtorfius & noſtri omiſerunt; nollem factum: mallem utique Judæum futilia ſua proferentem ſuſque deque habere, quam ut

ut noſtra caſtratione fruſtra prudens ac ſobrius eſſe videatur. *Samael* multo frequentius dicitur in ſcriptis Rabbinicis: quod nomen eundem dæmonem ac *Aſmodæus* ſignificare teſtatur *Elias*. Is Gehennæ Princeps dicitur in *Gemara* Sanhedrin fol. 52. pag. 1. הרג עליהן שר אל גהינם שניו *Frenduit in illos Gehennæ princeps dentibus ſuis.* In Devarim Rabbah pagina penultima סמאל הרשע ראש כל השטנין *Samael impius princeps omnium Satanarum* vocatur: In Alcorani Surata II. Beelſebub. *Marcello*, libro de Medicamentis cap. XV. in Magico amuleto Τοάναδος vel Τουσάναδος dicitur; verba ſunt,

Εἶδον τριμερῆ χρύσεων Τοάναδον,
Καὶ περταρέχου Τουσάναδον,
Σῶσόν με σέμνε νερτέρων ὑπέρτατε.

Luderet operam qui iſtorum nominum Etymologiam venaretur: μαγείαν enim λόγους ἔχειν σφόδρα ὀλίγους γινωσκομένους dudum advertit *Origenes* libro primo adverſus Celſum. Regioni autem Gehennæ כיתות של מלאכי חבלה *cœtus angelorum carnificum* tribuit liber *Jeſod Shirim*. Teſtibus autem S. literis oppido plurimi ſunt (ut poſtea dicetur) Imperatori Maligno ὑπάλληλοι, quos φοβερὰς δυνάμεις appellat S. *Chryſoſtomus* oratione ſecunda de *Lazaro*. Τιμωροὺς δαίμονας *Syneſius*. Δαίμονας δημίους *Genios Carnifices* Origenes, libro octavo adverſus Celſum. Hi videnden-

dentur eſſe καταχθόνιοι δαίμονες quos *verendos* eſſe; atque adeò *juſta* eſſe *facienda*, monet Aureum Carmen,

Τοὺς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἔννομα ῥέζων.

(Falli videtur Hierocles qui per καταχθονίους δαίμονας *animas* hic *humanas* intellexit; quibus etiam τὸ Σέβε minime convenire videatur.) Illorum nomina mallem à Rabbinis diſcas. *Græcis* animæ in Tartarum trahuntur lictoribus Furiis ad Diras tortrices, quæ, tametſi *Angelis Malis* Hebræorum partim reſpondeant, (neque aliunde forſan originem duxerint) in tam multis tamen diſcrepant, ut merito reprehenſus ſit *Herodis* Infanticidæ auctor à *Balſacio* & *Salmaſio* quod in *Judaicam* Tragœdiam Furias de dramate Palliato admiſerit. De Furiis & Diris ultricibus *Gobrias Magus* in *Axiocho*, Ὅσοις τὸ ζῆν διὰ κακουργημάτων ἠλάθη, ἄγονται πρὸς Ἐριννύων ἐπ' Ἔρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου. ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν, καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς, καὶ Ταντάλου δίψος, καὶ Τιτυοῦ σπλάγχνα, καὶ Σισύφου πέτρος ἀνήνυτος, οὗ τὰ τέρματα αὖθις ἄρχεται πόνων· ἔνθα θηρσὶ περιλιχμώμενοι, καὶ λαμπάσιν ἐπιμόνως πυρούμενοι Ποινῶν, καὶ πᾶσαν αἰκίαν αἰκιζόμενοι ἀϊδίοις τιμωρίαις τρύχονται. *Qui vitam in male agendo tranſegerunt, aguntur à Furiis ad Erebum & Chaos per Tartarum: ubi impiorum locus & Danaidum hydriæ perfluentes, & Tantali ſitis, & Tityi viſcera, & Siſyphi irrito volutus lapis, qui à fine initium iterandi laboris ſumit: illic à feris appetuntur, & Dirarum lampadibus perpetuo aduruntur, omni-*

modiſque plagis cruciati æternis ſuppliciis torquentur. Græci etiam animarum tortores Genios τελχῖνας vocant, etiam ἀλάστορας & παλαμναίους, ὡς ἀλήστων τινῶν καὶ παλαιῶν μιασμάτων ποινὰς ἐπεξιόντας ut habet *Plutarchus* libro de Oraculorum defectu. Iſti ſunt ἄνδρες ἄγριοι καὶ διάπυροι ἰδεῖν in *Eris* apologo apud Philoſophum. Δαίμονες ὡς Αἰθίοπες ζοφώδεις dicuntur apud *Cyrillum* libro de exitu animæ. Mohammedi etiam Gehennam cuſtodiunt ملايكة غلاظ شداد *Angeli vegrandes ferocientes* Surata LXV.

Pias autem Mentes *Michael*, Geniique προπομποὶ ſub ejus ſignis merentes deducunt. *Reſhith Chokmah* cap. 3. מיכאל שהוא הכהן העליון המקריב נשמות של צדיקים *Michael, qui eſt ſummus ſacerdos, offert animas juſtorum.* Angelos in conſummatione ſeculi ultimæ iſtius meſſis θεριστὰς conſtituit Chriſtus. *Enochum* adſumpſit ࠔࠋࠁࠁࠕࠄ *Angelus*, ſi ſtandum interpreti *Samaritano*. In cœlum adſcendentibus ſanctorum animabus ἀγγέλους δορυφόρους ſtatuit S. *Chryſoſtomus. Lazarus* ſublatus eſt in cœlum ὑπ' ἀγγέλων *Lucæ* XVI. v. 22. *Eliæ* πυρίνῳ ἅρματι Angelos jugales addit *Enthymius Zygabenus*: Οἱ κατὰ τὸν Ἠλίαν ὑποπυροι ἵπποι, οὐ φύσιν εἶχον ἵππων, ἀλλὰ σχῆμα μόνον, ἄγγελοι θεοῦ τυγχάνοντες. Targum in *Cantici* cap. IV. v. 12. Juſtorum animas in Paradiſum admitti refert, idque על יד מלאכיא *Angelorum adminiculo. Piæ mentes*, ex ſententia poetarum, à *Mercurio viatore*: ex ſententia Philoſophi à ſuo cujuſque *Genio*

nio caduceatore ad Beatas ſedes deducuntur: Summa enim animæ felicitas abſque divino auſpicio non attingitur, Ἡ δὲ καθαρῶς τε καὶ μετρίως τὸν βίον διεξελθοῦσα, καὶ συνεμπόρων καὶ ἡγεμόνων θεῶν τυχοῦσα, [ψυχὴ] ᾤκησε τὸν αὐτῇ ἑκάστη τόπον προσήκοντα. *Anima vero quæ pure ac moderate vitam tranſegit, deos comites duceſque conſecuta, quæque locum ſibi congruum incolit*; inquit *Socrates in Phædone.* De Angelis qui Bonorum Animas in Paradiſum & Malorum ad Gehennam deducunt meminit Bedavius ad Alcorani cap. LXXIX.

Talmud in Gemarah tractatus Rosh Hashannah *Capite primo fol. 16. pag. 2.* ex ſententia Scholæ Sammæi. שלוש כתות הן ליום הדין
אחת של צדיקים גמורין ואחת של רשעים
גמורין ואחת של בינוניים צדיקים גמורים
נכתבין ונחתמין לאלתר לחיי שלם רשעים
גמורין נהתבין ונחתמן לאלתר לגיהנם
שנאמר ורבים מישני אדמת עפר יקיצו
אלה לחיי עולם ואלה לחרפות לדראון
עולם בינוניים יורדין לגיהנם ומצפצפין
ועולין שנאמר והבאתי את השלישית באש
וצרפתים כצרוף את הכסף ובחנתים כבחון
את הזהב הוא יקרא בשמי ואני אענה
אותו ועליהם אמרה חנה ה ממית ומחיה
מוריד שאול ויעל בית הלל אומרים ורב
חסד מטה כלפי חסד ועליהם אמר דוד
אהבתי כי ישמע ה את קולי ועליהם אמר
דוד כל הפרשה כולה דלותי ולי יהושיע

פושעי ישראל בגופן ופושעי אומות העולם בגופן יורדין לגיהנם ונידונין בה שנים עשר חדש לאחר שנים עשר חדש גופן כלה ונשמתן נשרפת ורוח מפורתן תחת כפות רגלי צדיקים שנאמר ועסותם רשעים כי יהיה אפר תחת כפות רגליכם : בל המינין והמסורות והאפיקורסין שכפרו בתורה ושכפרו בתחיית המתים ושפירשו מדרכ יצבור ושנתנו חיתית בארץ חיים ושחטאו והחטיאו את הרבים כגון ירבעם בן חבט וחביריו יורדין לגיהנם ונידונין בה לדורי דורות שנאמר ונו *En Tres cœtus ad diem Judicii, Unus penitus juſtorum, & unus penitus impiorum, & unus mediocrium. Penitus juſti conſcribentur & obſignabuntur continuo ad vitam æternam; penitus impii conſcribentur & obſignabuntur continuo ad Gehennam, ſicut dicitur* (*Danielis* cap. XII. v. 2.) Multi è dormientibus in terræ pulvere expergiſcentur; hi ad vitam æternam & illi ad opprobria & ad contemptum æternum. *Mediocres deſcendent in Gehennam, & plorant & adſcendunt, ſicut dicitur* (*Zachariæ* XIII v. 9.) Et trajiciam tertiam partem per ignem, & repurgabo illos perinde ac argentum repurgatur, & probabo illos perinde ac aurum probatur; Ipſe invocavit nomen meum, & ego exaudiam eum. *De iiſdem dicit Hannah*, (1 *Samuelis* cap. II. v. 6.) Dominus occidit & vivificat,

cat, ad inferos deducit atque inde ſublevat. Hilleliani *dicunt*, Et Dominus miſericordiæ inclinat ad miſericordiam. *Deque iiſdem David* dicit, (*Pſalmo* CXV. v. 1.) Amo Dominum quoniam exaudiet vocem meam. *Deque iiſdem David paſſim dicit*, Attenuatus ſum & me ſervabit. *Prævaricatores Iſraelis cum corporibus ſuis, & prævaricatores Gentium cum corporibus ſuis deſcendunt in Gehennam, ibidemque plectuntur duodecim menſes; poſt vero duodecim menſes corpora eorum conſumuntur, & animæ eorum comburuntur & ventus diſpergit eas ſub plantis pedum juſtorum. Sicut dicitur* (*Malachiæ* cap. III. v. 21.) Proculcabitis impios, quia pulvis erunt ſub plantis pedum veſtrorum. *At enimvero hæretici, & proditores, & Epicurei qui legem negant, & reſurrectionem mortuorum etiam negant, & qui ſeſe ab inſtitutis eccleſiæ ſeparant, quique terrorem ſuum incutiunt in terra viventium, quique peccant ipſi, & aliis quam plurimis peccandi auctores exiſtunt, inſtar* Jeroboami *filii* Nebat, *eique ſimilium, deſcendunt in Gehennam, ibidemque plectuntur in ſecula ſeculorum. Sicut dicitur* (in ultimis verbis *Eſaiæ*) Et egreſſi intuebuntur cadavera hominum qui in me peccaverunt, quod vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt nauſeæ omni carni. Hæc verba *Eſaiæ* etiam Chriſtus (*Marci* IX. v. 44.) ad probandum Gehennalis ſupplicii perpetuitatem uſurpat. Quod vero ad ſcripturæ loca quibus egreſſum ex Gehenna poſt duodecimeſtrem luſtrationem ſtabilitum eunt, non multis hoc in loco probare annitar fruſtra eſſe *Judæos*, atque à genuino ſen-

ſu ſcripturarum delirare nimium quantum. *Plato* etiam in Phædone ſiſtendos pro Tribunalibus Infernis itidem diſtinguit: diſerte illic vocantur, Ὁι καλῶς καὶ ὁσίως καὶ δικαίως βιώσαντες, καὶ ὁι μὴ, καὶ ὁι μέσως βεβιωκότες, *Qui honeſte, & ſancte & juſte vixerunt, & qui non, & qui mediocriter.* Singulis etiam ſimilem per omnia ſortem impertit Plato. Et quemadmodum Hebræi Regibus male functis officio, Jeroboamo f. Nebat & ſimilibus, longe duriſſimam in Gehenna ſortem tribuunt: Tyrannis paria facit Plato; illumque ſecutus Virgilius decorum ſervavit.

SECT. VII.

De ſtatu ac loco Bonorum *poſt hanc vitam.*

Animas Bonorum *ſtatim ad* Felicitatem Cœleſtem *admitti.* Regnum Cœlorum *vel (quod idem valet)* Dei, Cœlum Cœlorum, Ævum futurum, Paradiſum, Hortum Edenis, *voces frequenter* ἰσοδυνάμους *eſſe; iſtis nempe memoratam* Felicitatem *ſignari. Druſium & Grotium erraſſe in ſignificatione* Paradiſi. Paradiſus *Figurate ſemper* Cœlum *deſignat.* Paradiſus *primi hominis* Inferior; Cœleſtis, Superior *dictus.* Paradiſus Inferior, Terreſtris, Corporeus, *atque* conſpicuus: Cœleſtem Ocu-

lus

lus non vidit. Paradiſi Inferioris *deſcriptio ex Mayemonide. Rabbinos pleroſque exiſtimare animas* Bonorum *ad* Paradiſum Terreſtrem *ire. Ibidem eſſe Enochum & Eliam ex ſententia Rabbinorum, & Joannem Evangeliſtam ex ſententia Leonis Hebræi.* Paradiſi *vocabulum erroris anſam dediſſe iis qui non penetrabant ad interius ſignificatum. Animabus in* Paradiſo Terreſtri *manentibus corpora Conjungenda in Reſurrectione, ſub finem Chiliadis ſextæ eventura, ex Rabbinorum ſententia, Reverſuros mortuos ad vitam hanc Corpoream ex illorum opinione. Chiliaſtæ ſua à Judæis. In* Ævo Futuro *omnis corporea moles, ex horum ſententia, abolebitur. Reſutatio Duûm errorum hujus factionis Judaicæ; Primi, quod exiſtiment Reſurgentes qualia pridem corpora habituros: Secundi, quod Statum Reſurrectionis ab illo* Mundi Futuri *diſtinguant. Remotis iſtis, oſtenditur ſaniores Judæos* Cœlum Paradiſi *vocabulo deſignaſſe. Uberior proſecutio paris ſignificationis memoratorum vocabulorum,* Paradiſi, Ævi Futuri, Regni Cœlorum, &c. *Oſtenditur fuſe animas* Bonorum *ad* Viſionem Beatificam *in* Cœlo *admitti, ex* Judæorum *ſententia.* Muſlimos *idem ſtatuere. Iiſdem* Paradiſum *&* Cœlum *idem*

 vale-

valere. Concluſio adverſus Druſium & Grotium. Hebræis Cœleſtia *gaudia*, *Convivii ritu deſcribi.* Eliſium Græcorum *ex* Hebræorum Paradiſo *manaſſe*: Utriuſque *egregius ſitus*, *difficiles aditus*, *apparatus* λειμωνώδης Græcos *etiam* ſummam Felicitatem *Epulis ac feſtivitate deſcribere.* Græcorum Ætas Aurea *efficta ex copioſa illa amœnitate* Paradiſi Edenici. *Ut* Hebræos ſummam Felicitatem *per recuperatum* Paradiſum, *itidem* Græcos *per recuperatam* Auream Ætatem *deſcribere.* Græcos *hæc omnia (ut de* Hebræis *pridem animadverſum) pariter* ἀλληγορεῖν.

PIorum autem ſuorum animas abſque ulla luſtratione aut mora in Gehenna Superiore ὐδ' ἀκαρῆ χρόνον, recta ſeſe in Beatam illam regionem recipere volunt, quam facta Tranſlatione ab illo in quo poſitus eſt primus homo, גן ערן *hortum Edenis* & פרדס *paradiſum* vocant. At ne quis vivus Paradiſum ingrediatur obſtare aiunt מלאך החבלה ſive מלאך המות *Angelum excidii* vel *mortis*, quem nomine proprio דומה *Dumah* Rabbini, Arabes اصرائيل *Aſaraielem* vocant: iſtius tamen Angeli excubias eluſit R. *Jehoshua*, vivuſque Paradiſum cum ſeptem ſuis מחצית *conclavibus* perluſtravit & ſubinde deſcripſit. Sed & decemviros eo vivos penetraſſe memorant *Rabbini*

bini quidam. *R. D. Kimchius* in 2 *Reg.* cap. IV. v. 1. ex *Talmude* Tractatu *Chagiga* fol. 14. p. 2. ארבעה נכנסו לפרדם *Quatuor ingreſſi ſunt in paradiſum*; ubi *Toſaphoth* è regione ait, ולא עלו לעלה ממש אלא היה נראה להם כמו שעלו *Non quod reipſa adſcenderint*, *ſed viſum eſt illis perinde ac ſi adſcendiſſent.* Et eam rem ipſe *Abarbinel* pariter ἀλληγορεῖ.

Hunc ſummæ felicitatis ſtatum etiam *Talmudicis* frequenter (in *Beracoth* fol. 14. pag. 2. verbis ultimis, & alibi) מלכות השמים & מלכות אלהית *regnum cœlorum* & *regnum Dei* dici liquet. Dicitur etiam שמי השמים *cœlum cœlorum*, עולם הבא *Mundus Futurus* κατ' ἐξοχὴν, etiam פרדם *Paradiſus* & גן עדן *Hortus Edenis*: ut ex ſequentibus liquido conſtabit. *Druſius* autem, cui *Grotius* in *Hebraicis* nimium libenter ſubſcribit, ipſe in ſignificatione vocis *Paradiſi* hallucinatus, *Grotium* quoque ſibi obnoxium feſellit. Quippe vox פרדם *pardes*, Hebraicæ originis (vel *Perſicæ* ut *Xenophon* & *Pollux* malunt) Ter tantum, in Veteris inſtrumenti *Hagiographis*, occurrit, (*Nehemiæ* nempe II. v. 8. *Eccleſiaſticæ* II. v. 5. Et *Cantici* IV. v. 12.) Idque ſemper pro *horto*, ſenſu nempe literali ac proprio. De qua etiam ſignificatione locos *Mishnæ* & *Gemaræ* aliquot producit *Baal Aruch*. Ter item in Novo inſtrumento occurrit vox παράδεισος, *Lucæ* XXIII. v. 43. 2 ad *Corinthios* cap. XII. v. 4. & *Apocalypſeos* capite II. v. 7.) ubi ſenſu ſemper tralatitio ac myſtico pro *cælo* ſumitur. Sed &

גן ערן *Hortus Edenis* (cui *Paradiſi* nomen à LXX. Senioribus unice adhæſit) in Veteri ubique Teſtamento literaliter, pro terreſtri horto in quem primum hominem introduxit Deus, uſurpari ſolet. Alibi autem, atque in ſcriptis adprime *Rabbinicis* pro *cælo* ponitur, quandocunque alias accipitur. Nimirum Hortus, ille præſertim quem Deus in *Edene* ſevit, utpote ſenſibilium amœniſſimum, ad ſummam illam cœleſtem & ſpiritualem plane amœnitatem ſignificandam ceſſit. Terreſtris ille Paradiſus, *Inferior*; Cœleſtis *Superior* à Rabbinis dicitur. Nota Cabalicorum ſententia, כל הדברים שישו למטה יש למעלה דוגמתן יש למטה גן ערן ויש למעלה גן ערן *Omnium rerum quæ infra ſunt, exemplar ſupra eſt: eſt itaque paradiſus inferior, eſt & paradiſus ſuperior.* Cumque (*Geneſeos* II. verſu 8.) Adamus *in paradiſum introductus*, ſubinde (verſu 15.) *denuo introduci* feratur; ſacros, ſi qui ſunt, furfures gratis incernere amantes *Rabbini*, *duplici hac introductione*, *duplicem paradiſum* clanculum innui volunt. Cabalicis Tiphereth *eſt Adam archetypus in paradiſo ſuperiore*, quem nos *Chriſtum in cælo* dicimus. Cui reſpondet *Adam ectypus in Paradiſo inferiore*. Paradiſus iſte Inferior etiam גן ערן חגופני *Paradiſus corporalis* dicitur *Joſepho Ebn Chajicæ* in *Beruſh* in *Danielis* cap. VIII. v. 14. Res Lachis, in Perek Chelek *Diſtinguit Paradiſum, in quo poſitus erat Adamus ectypus; ab illo quem juſti perfecti conſequuntur: iſtius enim Ada-*

Adami Paradiſus adſpectabilis erat, atqui de illo juſtorum dicitur, Oculus non vidit, &c. Mayemonides utriuſque *Talmudis* peritiſſimus ex veterum ſententia ſic Paradiſum Inferiorem deſcribit (in c. X. tractatus *Sanhedrin* انما هي جن وعدن

وانه موضع يوكل فيه ويشوب دون

شقاجسم دون تعبران يكون فيه

بيوت من احجار عليه ومفادر جرير

وانهار تاجري من خمر وادهان

طيبة وكثيرة من هذا النوع *

Quidam utique exiſtimant Beatitudinem eſſe Hortum Edenis; *eum autem; eſſe locum in quo ſine ulla corporis moleſtia aut labore edatur, & bibatur, in quo domus ſunt è lapidibus precioſis, & lecti holoſerici, fluvii vino & unguentis odoratis fluentes, cum multis ejuſmodi aliis.* Subinde autem memorat, eſſe qui futuram Beatitudinem *De diebus Meſſiæ*; Alios, qui *De reſurrectione mortuorum*; Alios autem eſſe, qui *De largo proventu atque amœnitate terreſtri, &c.* intelligant. At inquit وطايفة خامسة وهي الاكثر

تاجمع بين هذه الاشيا كلها

وتقول ان المرجي هوان ياجي

المسيح ويحيي الموتا ويدخلون

جن وعدن وياكلون ثم ويشربون ويصاحبون ما دامت السماوات

* والارض *Alii quinto, qui etiam plures ſunt, hæc omnia conjungunt, dicentes illud quod ſperatur, eſſe, Venturum* Meſſiam *& Mortuos reſuſcitaturum, qui Paradiſum ingreſſi, ibi comedent & bibent, bona fruentes valetudine quamdiu duraverint cœli ac terra.* Statuit autem iſta *Judæorum* factio *pias mentes* poſt hanc vitam ſtatim in Paradiſum hunc Inferiorem migrare. R. *Mekir* in *Avkath Rochel*, poſtquam luſtrationem של בינוניים *mediocrium* in purgatorio deſcripſiſſet, ait ויש רוח של צדיק הש״ם שתבוא בדרך העובר דרך העבירה בזו האש ותכנס בגן ערן של מטה *Eſt etiam ſpiritus perfecte juſti, qui, inſtar celeris veredi, curriculum ſuum conficit per hunc ignem, & ſic adpellit ad* Paradiſum *Inferiorem*, Gallus, vocem מטה hic non inſcite vertit *icy bas.* Hinc Rabbinicæ Theologiæ conſultiſſimus *Gaulminus*, in Auctoribus. De vita & morte *Moſis*, occurrente aliquoties *paradiſi* voce ſimpliciter, *terreſtris* epitheton de ſuo ſubjunxit: itidem Cl. Pocockius noſter alicubi fecit; quia ſciebant animas, ex ſatis vulgari ſententia, in *Paradiſum terreſtrem* faceſſere. Animabus quippe ſuam מאן *veſtem*, vehiculum corporeum tribuunt Cabalici; quod *Græci* εἴδωλον, *Virgilius effigiem* in Culice, *Catius* Inſuber *Spectrum* primus vocavit; memorante *Cicerone* Epiſt. Ad Fa-

Digitized by Google

Familiares lib. XV. Epiſt. XVI *Zohar* in *Ge-neſeos* *Parasham* ויחי יעקב diſerte ait, גופא
שביק בעפרא נפשא אצתריר ברוחא
במנא ראתלבש *Corpus in pulvere relinquitur; anima colligatur cum ſpiritu in vaſe* (ſeu vehiculo) *quo induta eſt.* Liber *Enochi* (apud *R. Menachem* fol. 33.) *Spiritibus juſtorum Figuram tribuit*, quæ eſt affectio materialis, animabus *veſtis* hujuſce cauſa tributa. *R. Abdias Sphurnus* Medicorum Princeps in *Or Hashem*,
pag. 91, וכמו כן ראוי להתבינן שכמו
שהנשמות רשעי ארץ במות גופם
תלבשנה בגדי גויות למעצבה ברעב
וכעס וכאב לבוצרות כפי רשעם ומזמה כן
נשמות הצדיקים תכף אחרי מות גופם
ילבשו בגדי ישע בגוף טהור זך בו יתענגו
ומן ונשמתן עולה ויורדת להרגיל עצמן
אל האור והטוב הנצחי הראוי להן בעולם
הנשמות ולא יעתקו מן הקצה אל הקצה
כאמרם זל פרק שואל תניא כל שנים
עשר חודש גופם קיים ונשמתם עולח
ויורדת id est, *Scire autem par eſt, quod ſicut animæ impiorum terræ, poſt mortem corporalem veſtibus materialibus amiciuntur, quo tormenti, cruciatus atque cordolii, pro ſcelerum ſuorum ratione ad tempus perferendi, capaces ſint; ita etiam animæ juſtorum ſtatim poſt mortem corporalem, veſtimentis ſalutis induuntur ac corpore claro & pellucido, in quo ad tempus delicientur*

ad-

Google

adſcendentes & deſcendentes quo paulatim adſueſcant ſplendori illi, felicitatique æternæ quam in mundo demum animarum conſequentur, *neque enim ab extremo ad extremum transferentur: juxta decretum* τῶν μεκκαβαλτῶν *in Perek Shoel* (ita vocatur caput XXIII. Tractatus *Shabbath.*) *Traditio eſt quod totos duodecim menſes vita* quadantenus *corporea vivatur*, *animabus* interim *adſcendentibus & deſcendentibus.* Rabbini ἀμφοῖν θάτερον faciunt; Aut honeſte de Anima ſentientes Cœlum ei Paradiſi nomine propinant: aut ſaltem animam veſte iſta ad Paradiſi Terreſtres culturam deprimunt. *Rabbi David Kimchius* in 2 Regum: cap. II. v. I. De *Elia.* ודעת המונינו נם חכמינו כי הכניסו האל בגן עדן עם נופו כמו שהיה אדם הראשון קודם שחטא וכן הכנים חנוך שם id eſt, *Et eſt ſententia plurimorum etiam Sapientum noſtrum quod ingredi fecit eum Deus in Hortum* Edenis *cum corpore ſuo: perinde ac primo Adamo* comparatum fuit *priuſquam peccarat*; Enochum *etiam eodem perduxit.* Iſtis *Joannem* Evangeliſtam *conjungit Leo Hebræus* (in Dialogo tertio de *Amore* pag. 2. fol. 172. Edit. *Italicæ* in 8. pag. autem 524. Edit. Latin. in folio) quem *Judam Abarbinelem*, *Judæum* pertinaciſſimum, fuiſſe, vel ea de cauſa non facile crediderim.

Veteres autem *Judæi* quamlibet Cœleſtem revera ſtatum ſub Horto *Edenis* innuerent, ſolennem tamen allegoriarum abuſum evitare non potuerunt: plebeiis quidem ingeniis literulæ mordicus addictis, neque penetrantibus ad id quod ſub involucro abdebatur. Quid quod Chriſtiani

ſtiani nou pauci, *Græci*, *Syri*, *Latini*, quaſi vox παράδεισος, (qua Septuaginta atque Helleniſtæ de Horto primi hominis utuntur) κύριον fuiſſet, incidente *Paradiſi* in Novo Teſtamento mentione de illo Primi *Adami* protinus ſomniarunt. Iſte error totum librum, quem de Paradiſo ſcripſit *Bar Cepha Syrus*, prorſus corrupit: Alcoranus Capite III. & *Abrahamus* quidam apud *Shareſtanium Pocockii* ſentit iſtum Paradiſum totum السما والارض *cæli & terræ æ*ſpatium quare. Cui conſentit etiam *Bar Cepha*, ut & *Aphræmus Syrus*, Paradiſum iſtum ܒܐܐܪ ἐν μετεώρῳ ſuſpendentes, noſtroque orbe majorem facientes; injuſſu S. literarum καὶ ἀντιμαρτυρούντων φαινομένων auſi ſapere. Illic Sanctorum animas (ut *Judæi* quidam) Reſurrectionem corporum ſuorum præſtolari, poſt illa abolitum iri iſtum Paradiſum ſtatuunt. Mayemonides in Perek Chelek Paradiſum iſtum من كرة الارض *in orbe terrarum* collocans, ſubinde deſcribit ut prius poſuimus; aſſeritque fore ut piis olim divinitus detegatur. Pervulgataque Judæorum opinio fert, non tantum *Enochum & Eliam* cum corporibus quibus ante tranſlationem gaudebant, ſed & cæteras piorum animas vehiculo indutas in veteri illo Paradiſo, ubi ubi ſit, ſolas agere; quoad *Meſſias* adventans corpora reſuſcitet atque animabus ſuis denuo conjungat, quod expectant ſub finem *Chiliadis* ſextæ eventurum: depletis tunc animarum *promptuariis*, ut loquitur *Eſdras* Apocryphus. Animas enim omnes ſimul creatas ævum egiſſe in Goph, regione

gione cœleſti, priuſquam in corpora deſcenderent, autumant *Judæi :* delapſis vero univerſis tandem animabus, inde porro minime ſuppetent mortalibus gignendis, ſic ut generationem prorſus ſiſti contingat. Animabus quippe in Promptuariis ſuis de mora mercedis ſuæ querentibus ſic respondet *Jeremiel* Archangelus, *Eſdræ* lib. IV. cap. IV. v. 36. fore ut tunc optato potiantur, *Quando impletus fuerit numerus ſeminum in iis.* Deque obice generationis vicibus ponendo propter exhauſta Animarum Promptuaria, ſic idem ejuſdem libri capite ſexto v. 22. *Et ſubito apparebunt ſeminata loca non ſeminata, & plena* Promptuaria *ſubito invenientur vacua : & tuba canet, &c.* Atque R. *Aſe*, dictum celebre occurrit in Mishna Tractatu Jevamoth capite ſexto ſub finem paginæ primæ fol. 62. אין בן דוד בא עד שיכלו כל נשמוה שבגוף *Non aderit filius* David *prius quam exhauſtæ fuerint univerſæ animæ quæ ſunt in* Goph. Idem & in Tractatibus *Niddah* & *Avodah Zarah*, ut memini, legitur. Tunc poſtquam *Meſſias* expergefecerit corpora atque animabus ſuis conjunxerit, dabitur trecentorum annorum ſpatium (ut accurate nugatur *Jachiades*) vel ſaltem bene longum aliquod tempus corporeæ vitæ voluptatique. *Jachiades* enim à *Grotio* parum intellectus quamlibet productus ad *Lucæ* XXIII. v. 43.) aſſerit fore ut אחר תחיית המתים *poſt reſurrectionem mortuorum exules* Iſraelis *in horto* Edenis *corporali pollucibiliter opſonati trecentos annos vivant.* Vide *p.* 154 & 155. *& deinceps alibi.* Falſiſſimum enim
eſt

eſt quod *Druſius* dicit, de *Hebræis*, *Fateri* nempe *illos judicium extremum immediate reſurrectionem ſequi.* Plerique enim omnes id pro impoſſibili habent; regula autem Talmud eſt הלכה כרבים *juxta pleroſque ſtatuendum eſſe.* Non diffitebor autem Nachmaniden dicere Judicium extremum מתחלת ימות התחיה *in principio dierum reſurrectionis* factum iri: conſtat autem illum eo nomine veluti Chriſtianiſmo tantiſper faventem exploſum eſſe à ſuis. Reverſuros quippe mortuos לחיים הגשמיים האלה *ad vitam hanc corpoream* ut loquitur Abarbinel in præfatione ad Eſaiam, Radice prima: dieſque Reſurrectionis ab his in nihilo diſcrepare ſtatuunt *Talmudici*, præterquam quod omnes tunc gentes faſces ſuos *Meſſiæ* ſubmittent, ſicut Exulibus *Iſraëlis* undecunque ſub vexillo illius ad res ſuas redire liceat. *Mayemonides* in *Jad Chaſaka* (Tomo primo, Tractatu *Teshubha*, ultimis capitis noni verbis. Edit. *Venet.* pag. 50.) hæc habet אמרי חכמים הראשונים אין בין העולם הזה לימות המשיח אלה שיעבוד מלכיות בלבד *Sciſcunt ſapientes antiqui nullum fore diſcrimen inter ſeculum præſens & dies* Meſſiæ, *excepto tantum quod regna ad deditionem perpellentur.* Idem *Mayemonides*, in loco prius memorato ſuper X. tract. *Sanhedrin*, ait, *Venturum Meſſiam & mortuos reſuſcitaturum, qui Paradiſum ingreſſi ibi comedent & bibent, quamdiu duraverint cœli & terra.* Reſurrectionem ergo *Iſraëlitis* peculiarem fere faciunt: & ſi qui aliquos è *Gentibus* etiam reſurrecturos credant, ſaltem

non omnes iſto privilegio donandos cenſent, quod vates non dixerit כלם *omnes*; ſed רבים *multos è dormientibus in terræ pulvere reſurrecturos*. Caute id quidem nugati; ne ſi omnes reſurgerent, terra totidem alendis impar foret ſcilicet. Addant, quod ſi omnia omnium corpora (quibus per vices in lucem mittendis terra ſuffecit) quanta quanta depoſita fuerunt, inde ſimul repoſcerentur, ipſa terra impendio gracileſceret. *Talmudicis* autem non paucis, nec non *Mayemonidæ* cum factione ſua perquam abſurdum videtur, Reſurgere corpora corporea munera non obitura. Quærit enim *Mayemonides* cujus demum formæ corpora illa Reſurrectura erunt, כדוריים מקשיים או עמודים או מעוקבים *Sphæricane, cubica, aut cylindrica, aut conica*? ſi enim formæ priſtinæ fuerint, ergo & priſtinis uſibus vitæ animalis inſervitura: qui pote enim aliis, quam quibus principio apta deſtinabantur? Sed & naturales actiones obiri arguit, ex partibus corporeis, quas reſurrecturis vulgo tribuunt: quorſum enim ventriculus, quò viſcera & reliquus vaſorum apparatus, niſi ut cibus concoctus ac diditus in habitum nutritioni cedat? Reſpondet quidem *Nachmanides*, *Corpora reſurgentia perinde ſuſtentanda, ac* Moſis *in monte* XL. *dies, beatifica nempe viſione Dei; quam* Judæi אור פני מלך חיים *lumen vultus regis vitæ (à R. Jochanane Talmudico)* vocitant. *Bereshith Rabba* illud *Exodi* XXIV. v. 11. *Viderunt Deum & manducaverunt & biberunt*,

מלמד

מלמד שזנו עיניהם מן השכינה *notat eorum oculos divina præſentia paſci.* Sed enim de Figura corporum & membris nulli tunc uſui inſervituris, nihil reponunt; nec fas à *Judæo* quidquam ea in re ſolidi expectare. A *Judæis* autem iſtis, quibus *Mayemonides* ſubſcribit, *Chiliaſtas* ſua partim dogmata hauſiſſe liquet, quo nomine *Judaiſmi* aliquoties ab *Hieronymo* poſtulatos legas. Ex *Judæorum* enim illorum ſententia, Tranſacta aurea hac ætate, quæ ſub ſextæ Chiliadis ultimam (ut dixi) partem continget, evolutiſque omnibus quæ Prophetæ inter Tiphereth & Malcuth (ita Chriſtum & Eccleſiam indigitant) in ſcena ſenſibili tranſigenda prædixerant; Τὸ ϑέατρον λυθήσεται tollentur hujuſce mundi aulæa, corporibus cum omni mole corporea penitus abolitis, animabus ſolis ſuperſtitibus; ſuccedetque mox עולם הבא *mundus futurus*, de quo Rambam in Jad Chaſaka Tractatu Teshubah, ex eorundem veterum ſententia, ait, העולם הבא אין בו גוף וגויה אלא נפשות הצדיקים בלבד *Quod ad mundum futurum, non erit in eo corpus vel moles corporea; ſed ſolum juſtorum animæ. Talmudici* quippe Tractatu Berachoth cap. II. fol. XVII. pag. 1. dicunt, העולם הבא אין בו לא אכילה ולא שתיה ולא פריה ורביה ולא משא ומתן ולא קנאה ולא שנאה ולא תחרות אלא צידקים יושבים ועטרותיהם בראשיהם ונהנים מזיו השכינה

השכינה *In Ævo Futuro nec eſt eſus, nec potus, nec liberorum procreatio, aut multiplicatio, nec venditio, nec emptio, nec invidia, nec odium, nec contentio: ſed juſti ſedent, capitibus ſuis coronatis, oblectati ſplendore Majeſtatis Divinæ.* Eadem fere habet Mayemonides in Perek Chelek. Liber Coſari Sermone III. De מלכות שמים *Regno Cælorum* verba faciens ſubdit, אשר לא יהיה צדיך עמה למאכל ולמשתה *Quod non indiget cibo potuve.* R. *Saadias Gaon* in libro Fidei, cap. VIII. de mundo futuro dicit, אין בו אכולה ולא בעילה *in eo nec editur nec gignitur.* Similia iſtis etiam habet R. *Abraham Ebn Eſdræ*, ad *Danielis* XII. v. 2. Ut ergo ſummatim dicam, Duo præcipui errores ſunt quibus hujuſce partis *Judæi* nituntur: Primo, quod Reſurrecturos qualia pridem corpora habituros ſomniant. Cujus opinionis jugulum petit noſter *Paulus*; atque rem conficit, dicendo. *Seri quidem corpus animale ſed reſurgere corpus ſpirituale; propterea quod caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nequeant, nec corruptio incorruptibilitatem*, &c. Quæ verba literaliter exponi debere, niſi qui penitus obbrutuit, nemo in dubium vocabit. Qui enim *carnem & ſanguinem in Angelicæ naturæ conſortibus, reſurgentibus*, expectant, ſanguinem ſaltem æquivocum, ἰχῶρα *Homericum* cogitaſſent,

'Οἷος

--- Ὀιὸς πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.
Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽ οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα
οἶνον,
Τοὔνεκ᾽ ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι
καλέονται.

Iliade ε verſ. 340.

—— *Qualis Divum de vulnere manat,*
Quippe cibum nec edunt, nec vini pocula
libant.
Sunt ergo exangues, immortaleſque vocan-
tur.

Cicadam ergo, quod corruptionis fundo, *ſanguine ac carne careat; Diis immortalibus* ferme æquiparat perdite feſtivus Anacreon.

——— [Τέττιξ]
Ἀπαθὴς, ἀναιμόσαρκε,
Σχεδὸν εἶ θεοῖς ὅμοιος.

——— *Cicada*
Impatibilis, ſanguinis ac carnis expers,
Ferme es Diis ſimilis.

Conſule ſi placet Origenem, περὶ ἀρχῶν lib. III. cap. X.

Secundus autem error hujuſce factionis *Judaicæ*, à primo illo pependit. Cum enim Patres *Talmudici* in Tractatu Berachoth, & apud Mayemoniden loco laudato, *Corpus atque omnium corporeorum uſum* in Mundo Futuro abolitum fore contenderent, hæc factio qualitatis Reſurgentium corporum ignara, neceſſe credidit Statum Reſurrectionis ab illo Mundi Futuri diſtinguere: in eoque rem verti putabat, Quod *ſtatus Reſurrectionis corporeus* ut pridem: at ille *Mundi futuri omnis corporis expers foret.* Mayemonides enim in Perek Chelek, ex ſententia RR. Miſhnicorum, ſtatuit ipſum Meſſiam moriturum, ſucceſſurumque Filium ejus ac nepotes. Quod etiam Eſdras Apocryphus ſentit, cap. VII. verſ. 29. libri II. Idem de *Reſurgentibus* & ipſe Mayemonides ſtatuit & ab illo Ebn Eſdræ in Danielis XII. Mayemonidæ verba ſunt Sermone De Reſurrectione Mortuorum fol. 129. p. 2. אלו אהנשים אשר ישובו נפשותם לגופות ההם יאכלו וישתו וישגלו ויולידו וימותו אחרי חים ארוכים מאד כחיים הנמצאים בימות המשיח : ואמנם החיים שאין מית אחריהם הוא חיי העולם הבא אחר שאין גוף בהם שאנחנו נחמין והוא האמת אצל כל בן דעת שהעולם הבא נפשות מבלי גופות כמלאכים *Illi, quorum animæ ad corpora revertentur, comedent, bibent, uxores ducent, gignent, atque morientur, poſtquam diuturnam illam vitam, quæ ſeculo Meſſiæ concede-*

edetur, tranſegerint. Atqui vita illa quæ morti non erit obnoxia, Ævi Futuri peculiaris eſt; in quo nullum erit corpus, uti nos opinamur: & hoc idem pro certo habetur apud omnes ſapientum filios, quod nempe in Ævo Fu*turo Animæ corporum expertes Angelorum inſtar erunt.*

Chriſtus ipſe duplex *Ævum* agnoſcit; hoc quod agimus & illud ad quod reſurgent corpora; *Lucæ* cap. XX. v. 35. *Filii Ævi Hujus uxores ducunt & nuptum dantur: qui vero digni habiti fuerint ut ad Ævum Illud pertingant & Reſurrectionem mortuorum, nec uxores ducunt nec elocantur nuptum; neque amplius mori poſſunt*, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, καὶ υἱοί εἰσι τοῦ θεοῦ τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες. Chriſtus ipſe ſtatum hic Reſurrectionis cum illo *Ævi* Futuri confundit: aſſeritque *reſurrectionis compotes* (υἱοὺς τῆς ἀναστάσεως) omnibus vitæ hujus mortalis ſubſidiis facile carituros; atque ἰσαγγέλους tunc fore, ob puritatem immortalitatemque: quo poſito, corruit omne id quo nituntur, qui Paradiſum Terreſtrem Animabus poſt mortem, & corporibus ſimul poſt reſurrectionem propinatum eunt. *R. Jom. Tobh. Bar Abraham* in *Migdal Oz*, in cap. VIII. *R. Moſis* Majemonidæ de Pœnitentia, Fatetur poſſe fieri ut Deus reſurgentibus impertiat corpora חזקות ובריאות כנויות המלאכום *fortia & agilia inſtar corporum Angelicorum.* Ipſe Theopompus, magorum diſciplinæ initiatus, dixit, *Fore ut* (ᾅδης) *regio corruptionis deſerta ſit*, καὶ τοὺς ἀνθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους, μήτε σκιὰν ποιοῦντας. *Homineſque felices futuros; ne-*

que cibi opus habentes , *neque umbram facientes :* apud *Plutarchum* libro de Iſide & Oſiride. Socrates in Phædone dixit , Οἱ φιλοσοφίᾳ ἱκανῶς καθηράμενοι , ἄνευ σωμάτων ζῶσι τοπαράπαν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον. *Qui Philoſophia penitus purgati ſunt , ſine corporibus omnino vivunt in poſterum.* Utcunque nullum unquam *Judæum* adhuc convenire licuit , qui Paradiſum pro ſtatu animarum ſeparatarum ante Reſurrectionem tantum , uſurpaverit : quod *Grotius* & *Druſius* voluerunt.

Quanquam enim ſaniores Judæi Paradiſi vocabulo non abſtineant in deſignanda felici Beatarum animarum conditione ; quinimo etiam ad Hortum terreſtrem Edenis luculentis verbis alludant : nihilo tamen minus certum eſt figurate locutos , revera de *Cælo* , Paradiſo Superiore , intelligi debere. Quippe Beatæ illi conditioni non tantum *Lucem* , *Sudam tranquillitatem* , *Feſtivitatemque :* verum *Ævi Futuri nomen* , *&* *Regni* tributum legas , cum *Beatifica viſione Dei* & reliquis quibus N. Teſtamentum Supremam Felicitatem commendare ſolet. Atque ipſas animas Juſtorum , corporibus exutas , mox in *cælum cælorum* recipi oſtendemus. Targum verſiculi tertii *Pſalmi* LVII. ארום פצית נפשי ממותא רמיתין בי חיביא הלא רגלי מלתקלא בחובא מטול דאטיל קדם יי בגנתא דעדן למהכו למחמי בנהור צדיקיא *Quia liberaſti animam meam à morte quam illaturi mihi erant peccatores : nonne etiam pedem meum à lapſu in pec-*

peccatum immunem præſtabis, *ut ambulem coram Domino in Horto Edenis ad videndum lucem juſtorum?* Per *hortum Edenis* ſive *Paradiſum* hoc in loco *cælum* intelligi debere, quod *luce* ſua deſcribi in S. literis ſolet, minime ambigo. Quo ſenſu anima converſa בנהורא מעליא *in luce ſuprema* à barathro revocata collocatur, in Targum in Jobi. 33. Eſdras Apocryphus, noſtris ſcriptis Rabbinicis antiquior, utpote fere ſe ab Aarone novendecim tantum generationibus diſtare, lib. II. cap. II. v. 35. *Parati eſtote ad præmia Regni, quia Lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.* Mox pergit *Regnum cæleſte*, *umbræ hujus ſeculi* opponere. Idem cap. VII. Ejuſdem libri, *Cælum* per *Gloriam Altiſſimi* deſignare, at ſubinde *Paradiſum* vocitare, non dubitavit. Ibidem cap. VIII. v. 52. Paradiſus גן עדן & Ævum Futurum עולם הבא idem ſunt; quin Hebraice enim & ſic ſcripſerit nemo dubitare poteſt: multa autem in illo auctore ab interprete Latino male reddita ſunt. R. *Menachem* in Levitici Paraſham אחרי מות *Liquido* (inquit) *conſtat inter nos præmia præceptorum in hac vita non obtingere:* רק לאחר פטיאת הצדיק יכנס למלכות הנקר גן ומקבל פני השכינה ושם תעמורנה כל הנשמות כל אחד כפי מעשיו עד תחיית המתים ויום הדין וגו *Verum poſt diſſolutionem juſtus adipiſcitur Regnum quod dicitur Paradiſus, fruiturque Conſpectu Divino: & illic*

 com-

commorantur Omnes Animæ , unaquæque ſecundum opera ſua uſque ad reſurrectionem mortuorum & diem judicii. Vides hic מלכית atque גן עדן id eſt *Regnum* & *Paradiſum* confundi : ac utrumque Beatifica Viſione deſcribi. Liber de Diſſolutione *Moſis* introducit Deum ſolantem *Moſem* his verbis , הרבה מתוקן לך לעולם הבה שתשביע סכך מעדני גן עדן *Magna te manent in Ævo Futuro , omnibus enim deliciis Paradiſi frui tibi dabitur.* Quibus verbis *Olam Habba* ſive *Ævum Futurum coincidit* cum *Paradiſo.* R. *Bechaye* in *Peruſh* in *Deuteronomii* C. XXXIII. ait צדיקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לחיי עולם הבא *Perfecte juſti ſcribuntur & obſignantur continuo , ad vitam Ævi Futuri:* לאלתר *continuo , id eſt , in ipſo mortis articulo ,* ut exponit R. *Simeon* in locuplete illo veterum RR. penu , *Jalkut* inſcripto , in *Zech.* c. XIII. v. 9. צדיקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר ותכף בשעת מות נכנסים לגן עדן והם חיי עולם הבא וגו i. e. *Perfecte juſti ſcribuntur ſignanturque continuo , atque illico in ipſo mortis articulo , ducuntur in Paradiſum , qui eſt vita Ævi Futuri , de qua ſcriptum eſt , Quanta eſt bonitas tua , quam repoſuiſti pro diligentibus te ? oculus non vidit ,* &c. ex *Eſaiæ* LXIV. v. 4. A quibus Pauli illa , Primæ ad *Corinthios* cap. II. v. 9.

v. 9. minime abludunt. De gaudiis quippe Mundi Futuri nos non magis judicium ferre valemus, quam piſcis aquæ alumnus de elemento ignis decerneret, inquit Majemonides, in Perek Chelek.

--- οὔτ᾽ ἐπιδερκτὰ τάδ᾽ ἀνδράσιν,
οὔτ᾽ ἐπακουστὰ,
Οὔτε νόῳ περίληπτα---

ut Empedoclis verbis (Apud *Plutarchum* lib. *De modo audiendorum Poetarum*) abutar. Liber de Morte *Moſis*, pag. 2. fol. 23. Deum alloquentem *Moſem* ſic porro introducit, ימיך בטלים וארוך אינו בטל שלא תהא צריך לעול לא לאור חמה ולא לאור לבנה וככבים ולא אכילה ושתייה ולא כסית ומלבוש ולא שמן לראשיך ולא סנעלים לרגליך שאני בכבודי מאור לך ומכבודי אשים לבושך ומהדרי אשית כסותך ומזוהרי אטהר פניך וממתקי ארוה גרונך וגו *Vitæ tuæ terminus inſtat, lumine ſolis, lunæve aut ſtellarum non amplius indigebis, ſed nec cibo, nec potu, nec veſtibus: non oleum capiti tuo affundes, non pedes calceos indues; Ego gloria ac decore meo tibi lumen & omne genus veſtium ero, ſplendore meo vultum tuum illuſtrabo, dulcedine fauces rigabo*, &c. Vides hic quæ Veteres, Tractatu *Berachoth* bis prius memorato, de Ævo Futuro dixerant, tributa con-

conditioni quæ huic vitæ immediate ſuccedit. Sed & iſta verba luculentiſſimam plane cœleſtis ſtatus, juxta SS. literas deſcriptionem continent. *Apocalyptes* enim noſter ſic de Civitate Cœleſti, cap. XXI. v. 23. Καὶ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει τοῦ ἡλίου, οὐδὲ τῆς σελήνης ἵνα φαίνωσιν ἐν αὐτῇ. ἡ γὰρ δόξα θεοῦ ἐφώτισεν αὐτὴν, καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον. *Pindarus* dixit *Olymp. Od.* II. De Beatis,

Ἴσον δὲ νύκτεσιν αἰεὶ,
Ἴσαις δ' ἐν ἀμέραις ἅλι-
ον ἔχοντες, ἀπονέστερον
Ἐσλοὶ νέμονται βίο-
τον, οὐ χθόνα ταράσσον-
τες ἀλκᾷ χερῶν,
Οὐδὲ πόντιον ὕδωρ,
Κεινὰν παρὰ δίαιταν. ἀλ-
λὰ παρὰ μὲν τιμίοις
Θεῶν, οἵτινες ἔχαι-
ρον εὐορκίαις,
Ἄδακρυν νέμονται
Αἰῶνα-- ——

Noctu pariter atque interdiu
Solem perpetuo habentes
boni vitam laboris omnis
expertem ſortiuntur:
nec tellurem manuum

mari-

opera fatigant, aut
marinas aquas, quo
tenuem victum comparent,
ſed inter Deos honoratos
qui fidem ſancte coluerunt,
ætatem minime lachrymoſam degunt.

Apocalyptes cap. VII. v. ultimo. Et cap. XXI. v. 4. de iiſdem, inquit, ἐξαλείψει ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Zohar in Medrash הנעלם parasha וירא pagina 65. אמר ר׳ יצחק נשמתו של צדיק מתאוה אימתי תצא מן העולה שהוא הבל קדי להתענג בעולם הבא *Dixit R. Iſaac Anima juſti cupit ut extrahatur ex vano hoc mundo ut deliciis mundi futuri fruatur.* Itidem Rabbi Nathan in Avoth Mundum Futurum pro Mundo animarum, ſive ſtatu, qui hanc vitam immediate ſequitur, uſurpat: in Sectione הלל ושמאי Et ſic paſſim infinitis in locis uſurpant Judæi. In Avodah Zara fol. XVIII. p. 2. dicuntur R. Chanina F. Tardionis, & calcarius, quo momento exſpirarunt, עולם הבא *Mundum futurum* adipiſci. Rex Coſari, non abnuente collocutore Judæo, ait de Viro perfecto בזה יהיו החיים הערבים וימות המיתה הערבה ואחר כן יחיה החיים התמידיים עתענוג מתמיד *Talis vitam agit jucundam, & mortem obit jucundam: & poſt eam*

eam vita fruetur æterna, cum voluptate æterna; Sermone tertio. Paſſimque per totum illum librum, Paradiſus pro hujuſmodi Felicitate ponitur. Poſtquam ergo ſummam Philoſophi Felicitatem deſcripſiſſet, ait, הוא גם גן ערנס והתמרתס הנצחית *Hic eſt Paradiſus & vita æterna ipſorum:* unde iſtarum vocum eandem ſignificationem eſſe liquet; Sermone quinto. Poſt illa Deus *Moſis* animam è corpore evocans cauſantem plurima, moraſque nectentem, ſic affatur, p. 33. אל תאחרי בתי הגיע קצך ואשיבך עמי בכסא כבודי אצל כסא שרפים ואופנים מלאכים וכרובים *Ne morare Filia mea, Ego te in ſolio gloriæ meæ juxta ſolium Seraphorum, Ophanorum, Angelorum & Cheruborum collocabo.* Ibi interpres doctiſſimus in Notis Ἀνεκδότου πραγματείας *Joſephi* Ben Podat citavit, quæ ſic habet חזרס שבינה לשמי השמים העליתים לשיב אל כסא כבורו והושיבה לנשמתו של משה תחת כסא הכבוד שיש מקור החיים i. e. *Divina majeſtas ſe in cœlum cœlorum altiſſimum recepit, ſeditque in ſolio gloriæ, ſub quo Animam Moſis collocavit, ubi eſt fons vitæ,* &c. Hanc autem eſſe communem omnium Piarum Animarum ſortem docet R. *Mekir*, in *Aukath Rochel*, & Talmudici identidem perhibent. R. Nathan in ſuo Avoth ſect. הלל ושמאי hæc habet, נטלה הקבה

הקבה לנשמתו של משה וגנזה יתחת כסא הכבוד *Accepit Sanctus Benedictus ille Moſis animam, & eam condidit ſub Solio gloriæ.* Et ne quis Moſen tantum hoc privilegio donatum cenſeret, addit לא נשמתו של משה בלבד גנוזה תחת כסא הכבוד אלא נשמתן של צדיקים גנוז ות תחת כסא החבוד *Neque anima Moſis ſolum ſub Solio gloriæ condita eſt, verum etiam animæ juſtorum conditæ ſunt ſub ſolio gloriæ.* R. *Ephodi* in Doctoris Dubitantium partem primam, cap. LXX. inquit, גלגל ערבות יתואר בכסא לשם יתברך *Cœlum Aravoth eſt ſolium Dei benedicendi.* Aravoth autem eſt גלגל העליון *cœlum ſupremum* Mayemonidæ, locô memoratô, ejuſque ibidem ſcholiaſtæ R. *Schem Tobh.* (Ab Hebraica autem voce עליון Arabes iocum cœleſtem quo ارواح المومنين *ſpiritus fidelium* adſcendunt عليون Aliyuna itidem vocant ut Kamus habet.) *Ebn Eſdræ*, & R. *David Kimchius* in *Pſalmum* LXVIII. v. 5. (unde vocem *Aravoth* ſumpſerunt R R.) pariter exponunt. In *Pirke* R. *Elcaſari* dicitur שבעה רקיעים ברא הקבה ומכולם לא בחר כסא כבוד למלכותו אלא ערבות *Septem cœlos creavit Sanctus benedictus ille, in quorum nullo ſtatuit ſoli-*

ſolium gloriæ regni ſui, præterquam in Aravoth. Editio autem Veneta, qua jam utor, pro כסא כבודו למלכותו legit למכון שבתו id eſt, *in ſedem quietis ſuæ*, quod eodem tendit, cap. XVIII. Rambam autem capite laudato etiam diſerte afferit, ערבות שבו צדק וצדקה ומשפט וגנזי חיים ושלום וגנזי ברכה ונשמות של צדיקים *In Aravoth* ſunt *juſtitia, & clementia, & judicium, & theſauri vitæ, & pax, & theſauri benedictionis, & Animæ Juſtorum.* Quæ verba deſumpta ſunt ex Talmude, tractatu *Chagigah.* *R. Solomon, Ben Gabirol*, inſignis poeta *Judæus*, in *Kether Malcuth*, Dicit, (Deum allocutus.) עשא תחת כסא כבודך מעמד לנפשות חסידיך ושם נוה הנשמות הטהרות אשר בצרור החיים צרורות ואשר יגעו וייעפו שם יתליפו כח ושם ינוחו יגיעי כח ואלה בני נח ובו נוצם בלי תכלות וקצבה והוא העולם הבא *Feciſti ſub ſolio gloriæ tuæ ſtationem animabus ſanctorum tuorum, ibi inquam eſt habitaculum animarum purarum, in faſciculo vitæ colligatarum, quæ laborarunt & laſſatæ fuerunt; ibi inquam inſtaurant vires ſuas, defectæque viribus refocillantur, & conſolationis compotes fiunt: in eo quippe loco amœnitas eſt finis & termini expers, & iſta eſt Ævum Futurum.* Gemara in caput primum tractatus *Berachoth* צדיק ורע לו צדיק שאינו גמור ונו

Juſtus

Juſtus cui male eſt, non penitus juſtus eſt: Cumque ipſe ſincerus non ſit, nihil mirum ſi ad impermiſta hæc gaudia non pertigerit: Quippe R. *Jonah Ben Levi* reperit R. *Simeonem Ben Jochaii ſedentem in paradiſo coronatum ſuper tredecemplici throno ex auro obrizo:* ut habetur in *Tikune Zohar*, fol. 63. col. 1, & 2. quod communem ſortem beatorum impendio ſupergreditur. R. *Reuben* moriens עלה לרקיע *in cœlum adſcendit*, ibidemque *Michaëlem*, *Gabrielem*, atque Angelos miniſterii pro ſe orantes ex inopinato deprehendit, in חבור מעשיות Cabalicorum ſolenne dictum כשתשי״נ הנפש כל מה שבפוחה להשי״נ ותדבק בנפש עלית תפשט מעליה הלבוש הארצי ותתעקר ממקומה ותדבק בשכינה *Quum anima comprehenderit quicquid poterit comprehendere, & conjuncta fuerit animæ ſuperiori; exuet indumentum terrenum, & transferetur de loco ſuo & conjungetur cum majeſtate divina.* Conſule elegantiſſimum librum *Bechinat Haolam* pag. 150. & deinceps. Etiam librum de morte *Moſis* pag. 35. locus iſte aliquoties corruptus eſt, ſed quem reſtituet *Hebraiſmi* mediocriter ſciens. *Targum Jonathanis Uzielidæ* refert *Enochum deſiiſſe extare cum generationibus terræ* ארום אתנגיד יסליק לרקיעא מימר קדם יי וקרא שמיה מיטטרון סרפא רבא *Quoniam ſublatus eſt & adſcendit in Cœlum per*

Verbum coram Domino & vocatum eſt nomen ejus Metatron *cancellarius ſummus.* In Cœlum hic adſcendens *Enochus* Magiſtrorum ſuffragiis ſummô illic *Cancellariatu* fungitur, nomine priſtinô in Metatron mutatô, quemadmodum indigetibus fieri amat. (Sic enim *Moſis* nomen in cœlo *Melchi* (ὡς φασὶν οἱ μύσται apud *Clementem* centonum primô) *Nini* nomen Græcis *Orion*; *Romuli* Latinis *Quirinus*.) *Mori* etiam *Jacub* Sarugæ Epiſcopus, in Catena MS. & *Arabs* auctor verſionis *Alexandrinæ*, quæ in noſtris Bibliis *Polyglottis* habetur, ferunt Deum adſumpſiſſe *Enochum* اليه *ad ſe*: *Vulgatus* tamen Interpres *Eccleſiaſtici* cap. XLIV. v. 16. & *Kimchius* pridem laudatus ad 2 *Regum* cap. II. v. 1. aſſerunt *Enochum tranſlatum eſſe in Paradiſum*: Gregorius Abul-Farajius pag. 9. De Eodem Enocho فنقله الله الي حيث شا حيا وقيل الي الفردوس *Tranſtulit illum Deus quo ſibi placuit, dicitur autem in Paradiſum* Arabs etiam Erpenianus in Epiſt. ad *Hebræos* cap. XI. ait eum الي الفردوس raptum eſſe *in Paradiſum*. Quod idem de *Elia* dicit *Kimchius*: non certe dicturus niſi Cœlum & Paradiſus idem illi fuiſſent: præſertim cum ſacræ literæ verbatim ejus *adſcenſum in Cœlum* memoraſſent. Alcoranus Surat. Alneſa, verſ. 157. De Chriſto refert بل رفعه الله اليه *verum adſumpſit eum Deus ad ſe.* Chriſtus autem

autem ſe *ad Paradiſum* conceſſiſſe refert. *David Gans* in *Zemach* ait Mayemoniden *adſcendiſſe ad Deum*, quem tamen ſolenni *εὐφημισμῷ* בגן עדן *in horto Edenis* eſſe idem perhibet. Et enim hæc conciliatu facilia ſunt ſtatuentibus cum his, quos produximus, Paradiſum beatarum mentium cum Deo in Cœlis eſſe. Eſdræ IV. cap. 4. v. 8. quæſtioni Urielis, *Qui ſunt exitus Paradiſi?* reponitur *In cœlum nunquam adſcendi:* quod ad rem nihil faceret, niſi cœlum & Paradiſus idem deſignarent. Machſor Italorum in Precandi formula, quam זכרון הנשמות *memoriam animarum* vocant, pro Benefactoris anima ſic precatur, תהא נשמתו צרורה בצרור החיים לחיי העולם בגן עדן תחת כסא הכבוד *Sit anima illius ligata in faſciculo viventium, in vita æterna, in Paradiſo, ſub ſolio gloriæ.* *Buxtorfius* itaque in voce פרדס citavit ex Aruch, *Rabbinorum* Lexico notæ auctoritatis, *Locum cœleſtem, quò animæ colliguntur,* פרדס *pardes vocari:* veruntamen omnes iſtius libri editiones, quæ ſuppetebant, conſulenti, tantundem illic totidem verbis non occurrit, verum memoriæ iſtius viri *Rabbinorum* lectione ſubactiſſimi iſta utcunque ſignificatio vocis, (longe frequentiſſima) adhæſiſſe videatur. Quo ſenſu Paradiſum *συνάθροισμα τῶν ἁγίων* exponit Juſtinus Martyr.

Talmudicis Muſlimi ſuccinunt, dicentes animas

Digitized by Google

mas في السما *in cœlo*, ac eſſe degere illas صور طير *forma avium* بيض في ظل العرش *albarum in umbra ſolii Divini*. Sed quantum Talmudicis illi debeant alibi opportunius oſtendam. *Muſlimi* penes Deum ſupremæ Felicitatis ac Miſeriæ arbitrium facientes eum ſolenniter adpellant رب الجنة النار *Dominum Paradiſi & Ignis*. Quo pacto iſtas voces in limine fere libri uſurpat *Gregorius Abul Farajius*, (ab omnis eruditionis principe viro CL. *Pocockio* editus:) Itidem loquitur Iſmael Abulfeda, & *Arabes* ad nauſeam ſolent. *Alcoranus* (qui quamlibet non alia nobis auctoritate ſit, poteſt tamen, ut quilibet alius, liber, produci ad oſtendendum quæ loquendi formulæ eâ ætate obtinuerint.) In Chriſti illo, *Facilius camelum*, &c. *quam divitem in Regnum cœlorum*; *Regnum Cœlorum per* الجنة *Paradiſum* vertit, *Surat.* VII. Ibidem etiam الشيطان *Satanas* dicitur cecidiſſe è *Paradiſo*. Sed & *Corani* locis μυρίοις ὅσοις Paradiſus ἀντονομαστικῶς pro Cœlo ponitur *Surat.* II. v. 22. وبشر الذين امنوا وعملوا الصالحات ان لهم جنات تجري من تحتها الانهار كلما رزقوا منها من ثمرة رزقا قالوا هذا الذي

الذي رزقنا من قبل واتوا به
متشابها ولهم فيها ازواج مطهرة
وهم فيها خالدون *Annuncia quoque iis qui credunt & bona faciunt, quod ad eos pertinet Paradiſus, ſub quo fluunt amnes, (quamdiu ex ejus fructibus alimentis ſuſtentati ſunt, dixerunt, Iſta ſunt quibus donati ſumus antiquitus) ac his ſimilia adferuntur: ſuntque in eo conjuges puræ, ibidem jugiter manſuræ.* Ut habet Fr. *Raphelengii* verſio propria manu deſcripta me penes. (quam tamen hoc loco ſatis probare non poſſum.) *Surat.* محمد *Mohammed*, i. e. XLVII.

مثل الجنة التي وعد المتقون v. 13.
فيها انهار من ما غير اسن
وانهار من لبن لم يتغير طعمه
وانهار من خمر لذة للشاربين
وانهار من عسل مصفي ولهم فيها
من كل الثمرات ومغفرة من ربهم

Sicut hortus quem promiſit (Deus) piis, in quo fluvii aquæ limpidæ, & fluvii lactis ſaporem non mutantis, & fluvii vini bibentibus dulciſſimi, & fluvii mellis defæcati; ſunt etiam in

eo omne genus fructus, & gratia in multos irroganda. *Euthymius* ergo *Zygabenus* recte dixit *Mohammedem* aſſerere, Τὸν παράδεισον τέσσαρας ποταμοὺς ἔχειν. ἐξ ὕδατος ἀθολώτου, καὶ γάλακτος καθαροῦ, καὶ οἴνου ἡδέος, καὶ μέλιτος ὑλιστοῦ. συνουσιάζειν δὲ καὶ γυναιξὶν ἐν τῷ παραδείσῳ. καὶ τὰ ἑξῆς. Secundum fluvium, γάλακτος καθαροῦ facit, vel potius (ut habet formula deliriis *Mohammedicis* renunciandi) γάλακτος μὴ ἀλλασσομένου τὸ γευστὸν αὐτοῦ, vel τὴν γεῦσιν, id enim poſtulant impoſtoris verba modò allata; non μὴ ἀλλασσομένου τοῦ νόσου αὐτοῦ, ut edidit doctiſſimus *Sylburgius* pag. 78. Iſta Mohammedis reſpexerunt Dialogi inter Sinanem & Ahmedem

هال نبينا في قرانه العظيم
ان الله يعطي للصالحين النعمة
اللذنة وبيوت الحسنة الباكرة والجو
اري ولكل واحد يعطي منهم كثير
وجنة مليحة وكل زلك يكون
سبب الفرح الكبير

Vates noſter in glorioſo Corano dicit, Quod Deus iis qui recte faciunt daturus ſit lautiſſimas fortunas, domos cultiſſimas, virgines ac puellas quantæ univerſis abunde ſint, & hortos amœniſſimos, atque hæc omnia mirificæ voluptatis cauſſa erunt. Gaulminus in Tertium vitæ Moſaicæ auctorem pro بكرة legit بركة & piſci-

piſcinas vertit, ad *flumina paradiſi referens*; ſed eſt ea vox vilis ac projectæ nimium ſignificationis, quam ut quidquam in Paradiſo deſignet; nec erat priſtina lectio citra ullam rationem ſollicitanda. Audiamus porro ex Dialogo memorato quid Sheich Sinan animi habeat. *Mens viri boni* (inquit) *incipit in hoc mundo ſemet ejuſmodi gaudio ac voluptate oblectare quæ poſt hanc vitam mortalem conſummata ac ſuis numeris perfecta erit in Paradiſo: quam in hoc mundo agentes ne cogitatione quidem adſequi valemus: quod intellectus noſter non comprehendat niſi quæ prius viſa, audita, aut alio aliquo ſenſu percepta fuerint:* Baſilius, homilia de Paradiſo, tametſi ſolenni veterum delirio ſubſcribat, ægre tamen ſe à Paradiſi ſenſu allegorico continuit, dicendo, Ἐὰν συγκρίνω τοῖς ὧδε, καθυβρίζω μᾶλλον τῷ παραδείσῳ, ἤ τινα σοι ἐνάργειαν ἐκ τῆς εἰκόνος παρίστημι. *Si cum rebus quæ hic ſunt, contulero; probro potius tali comparatione adfecero, quam ullam tibi evidentiam inde conciliaro.* Vulgo legitur ἐνέργειαν, quam vocem etiam interpres retinet, totamque ſententiam corrumpit. ἐνέργεια etiam pro ἐνάργεια apud *Galenum* in Oratione IV. de Partium uſu pag. 407. lin. 28. & alibi vitium ſententiæ aliquoties facit. Sed audiamus quid Sinani reponat Ahmedes. *Sequitur ergo* (inquit) *quandoquidem finis hominis ſit animæ beatitudo, idque quod ſperatur ſit ſpirituale, non animale: cogitandum omnino bonum illud, quod homini proponitur ſpirituale quiddam eſſe, non autem corporeum nec animale.* Nec multo poſt *Sinan* profitetur Chriſtum *commonſtraſſe viam*

بجد السماوات اي الجنة conſequendæ *Gloriæ Cœli id eſt Paradiſi.* Subjungit, *Statum* fidelium *ſimilem illi* (مسلميين) *Angelorum ac ſpirituum beatorum fore in fruendo gloria divina: quippe in Paradiſo cibum, potum, feminas & ejuſmodi in nullo pretio fore oportet; omnia enim iſta* (pergit Sinan) *à Deo nobis conceduntur in hoc mundo quatenus corporibus noſtris & parti huic carneæ, alioqui defecturæ, expedit, ad conſervationem generis humani: cui uſui in Paradiſo nullatenus conducunt.* Mox ipſe *Paradiſus* ſic deſcribitur, الجنة المكان الذي فيه كل الطيب ولا احتياج والحيات الابدية ولا موت *Paradiſus eſt locus omnibus bonis refertus, ſine ulla inopia: vita etiam æterna mortis expers.* Hos autem Dialogos à *Mohammedano* conſcriptos eſſe cenſent viri doctiſſimi, *Bedwellus* noſter (*Erpenii* quondam præceptor in *Arabiſmo*) & *Gaulminus*; & ſolere *Muſlimos* nimis libere de ipſo *Mohammede* & lege ſua loqui, mercatores fide digni, quibuſcum ſermones ſociarunt, teſtantur. Sed ſive à *Mohammedano* ſive à Chriſtiano ſcripti fuerint, modo Arabiſmi ſciens decorum ſervaverit, eodem res redit.

Hojah Ephendi libro de Regno *Sultani Orchani* inter aucupandum occiſi, شهباز روحي اولي الاجناحه

الاجنحه ملايكه ايله عالم فرازه
پرواز اولدي

شهباز روح جون يرن ار اشيان تن
جولان كنان بروضه قدس كن وطن

Anima ejus quaſi *accipiter* , *alis ſummi angeli* nixa , *ad Mundum Superum volavit* ;

Nidum corporeum volucris mens quando reliquit
Illius, ibat ovans ſanctoque reſedit in Horto.

Rhythmos iſtos Turcicos numeris utcunque Latinis expreſſi ad verbum. Vides autem عالم فراز *Mundum Superum* id eſt *cœlum* , atque روضه *Hortum* ſive *Paradiſum* idem deſignare , tritiſſimo Orientalium more idem diverſis formulis continuo dicentium. Corani cap. LXI. v. 12. ſuprema felicitas فى جنات عدن *in hortis Edenis* diſerte conſtituitur. *Pletho* in Oraculum Chaldaicum , Ζήτησον παράδεισον. παράδεισον exponit τὴν ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον , alibi , φῶς καὶ αὐγὰς πατρός. *Pſello* etiam παράδεισός ἐστι Χαλδαϊκὸς πᾶς ὁ περὶ τὸν πατέρα χορὸς τῶν θείων δυνάμεων , καὶ τὰ ἐμπύρια κάλλη τῶν δημιουργικῶν πηγῶν. Ubi τὰ ἐμπύρια κάλλη videtur notationem ordinis Seraphici reſpicere.

 Re-

Reliquа hujus argumenti quæ in procinctu habeo, ἐξεπίτηδες παρήσω, ne nimius ſim in re tam luculenta. *Druſius* tamen in II. ad *Corinthios* cap. XII. ait *Hebræos fateri Paradiſum eſſe locum alium à Cœlo*; *quippe dicunt* (inquit) *Paradiſum eſſe receptaculum animarum poſt hanc vitam, Cœlum autem recipere omnes poſt judicium extremum, quod immediate reſurrectionem ſequetur.* Ad quem locum etiam Grotius inquit, *More Hebræorum diſtinguitur Cœlum ſive mundus ſupremus à Paradiſo: Cœlum illud ſupremum promittitur piis poſt Reſurrectionem, poſt Mortem, & ante Reſurrectionem Paradiſus; ille locus gloriæ, hic ſolatii. Reperies idem diſcrimen apud R. Iſraëlem de Anima.* In *Lucæ* XXIII. v. 43. ad Salmanticenſem provocat. R. Iſraëlem non memini me vidiſſe: atqui R. Abraham Zacuth, auctor libri Jachuſin, (quem Salmanticenſis nomine laudat Grotius) ſic p. 140. Editionis Cracovienſis, de Heſſenis verba faciens, אבל בהתיר מאסרה בעת המות עולה הוא למעלה ואין לה מסר מבדיל והנפשות הטובות הולכות מהלאה לים אוקינוס בגן עדן שלמטה בקו השוה והרעות הולכות לאבדון אל ארץ חשך וצלמות: *Quando autem anima ſoluta eſt à vinculis ſuis, tempore nempe mortis; tunc loca ſuperiora capeſſit, omnis impedimenti immunis. Atque animæ bonæ ultra Oceanum recta ad Paradiſum Inferiorem tranſeunt, illæ autem quæ nequam ſunt, ad Perditionem (Abaddon) in terra tenebrarum & umbræ mortis.* Joſephus (loco ſubinde fuſius expendendo) ex eorundem Heſſenorum mente dixit,

dixit,

dixit, Ταῖς ἀγαθαῖς ψυχαῖς ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι. Quæ verba ob oculos ſine dubio habuit Salmanticenſis : & ſolet in iſtiuſmodi Joſephum ubique tranſcribere. Tametſi vero Salmanticenſis Paradiſum Inferiorem à Superiore diſtinguat; (ut alii quos produximus, & quis non?) nec tamen ille nec quiſquam omnino Judæus Paradiſum pro ſtatu bonorum inter hanc vitam & Reſurrectionem unquam, quod ſciam accepit. Sed ſuſpicio eſt, noluiſſe *Grotium* illum & *Iſraëlem* tam laxe ac negligenter citaſſe, ſi pridem adductis plus feciſſet ad rem. *Jachiaden* etiam citavit, quem tamen ſi perlegiſſet cognoviſſet plane nihil prorſus eo attinere. Ait etiam voces גן עדן pro *piarum mentium à corpore ſeparatarum & reſurrectionem exſpectantium ſtatu in ſcriptis Talmudicis frequentes occurrere.* Atqui in tanta frequentia miror ne unum quidem produci teſtimonium à *Grotio* vel item *Druſio* quo tantundem probent. Enimvero latroni patibulari roganti ut Chriſtus ejus meminiſſe velit cum *in Regnum ſuum advenerit*. Reſpondet Chriſtus *hodie mecum eris in Paradiſo*: Facile autem adſentimur *Grotio*, *Dubium non eſſe quin Chriſtus ita locutus ſit, quo modo ſciebat à latrone intelligi*: & reponimus, *Regnum* in petitione latronis, & *Paradiſum* in reſponſione Chriſti idem ſignificare. R. enim *Menachem* pridem citatus, dixit רק לאחר פטירת הצדיק יכנס למלקות הנקר גן *equidem poſt mortem juſtus adipiſcitur Regnum quod dicitur Paradiſus*, nec aliter intellexiſſe Latronem probavit *Grotius*. Sententias

tias enim Talmudicas, quas ad illum locum adduxit, minime pares eſſe ad confirmandum aſſertionem *Grotii* cuivis liquet. Quæque idem in II. ad *Corinthios* c. XII. v. 3. 4. argutatur, ad diſtinguendum Paradiſum Apoſtoli à Tertio cœlo, nihili eſſe ex dictis liquet. In excerptis ex Theodoto & reliquis Valentinianis, Paradiſus τέταρτος οὐρανὸς dicitur, quaſi fuerit adhuc Tertio cœlo ſuperior. Videtur quidem Tertii cœli locus præcipuus. Saltem myſtice ſumptus nunquam quidquam eo inferius deſignat. Certum etiam eſt Patrum ſententias, qui Chiliaſtis manus dederant, cum factione illa *Judaica* convenire, quæ animabus Bonorum inferiorem illum Primi hominis Paradiſum adſignat: Tam autem Judæi quam Chriſtiani, qui ſic ſenſere, in Paradiſo agi volunt non tantum Ante, ſed etiam Poſt Reſurrectionem. Huic ergo opinioni *Druſii* & *Grotii* quantum videmus legitima deſunt ſuffragia.

Deductas autem in Paradiſum, id eſt in Cœlum, animas, diſcubituras ad lautiſſimum convivium ſtatuunt *Hebræi*: cujus nimium apparatum ferunt dapibus tam portentoſis conſtare, quales vix ullius poſſe allegoriæ prætextu ſatis emolliri dejerares. Ea de re conſule ſi placet Magiſtros in *Bava Bathra* cap. V. pag. 74. Huc utique referunt illud prophetæ *Eſaiæ* cap. XXV. v. 6. *Præbebit Dominus exercituum omnibus populis hoc ipſo in monte convivium opimorum, convivium vindemiale, convivium pinguium medulloſorum, vinique probe defæcati.* Ultimam Felicitatem Chaldæus (in Jobum) *convivium in Mundo Futuro* vocavit. Convivii hu-

hujus Princeps qui & fidelium pater *Abrahamus* erit: ac veluti qui Principis Convivii ἐπιστήθιος vel ἐσχόλπιος fuit, præcipuum poſt illum locum tenebat; ſic *Sinus Abrahami* non quemvis in cœleſti convivio locum, ſed inſignem quendam atque eminentiorem denotat. Iſta cœleſtis ſtatus circumlocutio occurrit in Codice *Kiddushin* fol. 72. pag. 2. Primis verbis, היום יושב בחוקו של אברהם *Hodie diſcumbes in ſinu* Abrahami. In cœlo autem pios animos ἀποῤῥήτων καρυκευμάτων μεταςχόντας τῆς ἀκηράτου πνευματικὴν αὐτῶν διάγειν aſſerit *Chryſoſtomus*. Sed & Chriſtus ad Cœleſtes Epulas ſæpe alludit, deque Vino meminit, *quod novum in Regno patris cum ſuis ſit bibiturus*. Talmud in Codice *Taanith* periodo ultima, אמר רבו אלעזר עתיד הקבה לעשות מחול לצדיקים והוא יושב ביניהם בגן עדן וגו *Dixit R.* Eleaſarus. *Inſtituet Sanctus Benedictus ille chorum circularem juſtis, & ipſe diſcumbet in medio illorum in Paradiſo. Toſaphoth* vocem מחול per סביב vertat: etiam *Axiochi* auctor vocat κυκλίας χορὺς loco mox producendo, quem nos hic ſecuti ſumus.

Ut autem ſumma illa Terreſtris Paradiſi amœnitas ipſi Cœlo quadantenus depingendo colores ſuffecit; ita & ab eodem fonte Elyſii in Græciſmo deſcriptionem manaſſe nemo ambigit. Veteris autem Paradiſi egregius ſitus, *Græcos* incertos ſententiæ reddidit, qua gentium Elyſium ſuum ſtatuerent. Ἐλύσιον οἱ μὲν φασι περὶ Αἴγυπτον εἶναι, οἱ δὲ περὶ Λέσβον, ἄλλοι κεκεραυνωμένον

μόνον χωρίον ἢ πεδίον, τὰ δὲ τοιαῦτά ἐστιν ἄβατα, inquit *Heſychius*, ex quo corrigendi hoc loco *Phavorinus*, & *Suidas* cum frigidiſſimo interprete. Eſt qui cenſet primos parentes ſolum Paradiſicum vertiſſe præ metu *fulmineæ vibrationis*, quam cherubi intentabant: neque auſos unquam pedem referre. Hinc illud in *Græciſmo*, quod *Heſychius* reſpexerat, Elyſium nempe eſſe *in loco divinitus tacto atque hominibus inacceſſo*. *Grotium* tandem inſpiciens, reperi *Geneſeos* III. v. ult. *Cherubim & flammeum enſem* non diſſimiliter exponentem. Alii, qui Paradiſum πέρα τῆς κεκαυμένης ἀοίκητος ſub Æquatore ſtatuebant, Zona illa torrida mortales excludi credebant. *Claudianus* de Phœnice, quem Paradiſi inquilinum faciunt,

——— Plaga defenſus iniqua
Poſſidet intactas ægris animalibus oras.

Tertullianus Apologetico, pag. 42. Edit. *Rigaltii*, inquit, *Si Paradiſum nominemus, locum divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam* (prius legebatur *materia*) *igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis ſegregatum; Elyſii campi fidem occupaverunt: Unde hæc oro vos*, (Gentes alloquitur) *philoſophis aut poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris ſacramentis*, &c. *Joſephus* de Bello *Judaico* libro II. cap. 12 pag 788. G L. de Heſſenis. Ταῖς μὲν ἀγαθαῖς (ψυχαῖς) ὁμοδοξῆντες πασὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον ὔτε ὄμβροις, ὔτε νιφετοῖς, ὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ Ὠκεανῦ πραΰς ἀεὶ ζέφυρος

ρος ἐπιχθονίων ἀναψύχει. *Animabus bonis, cum Græcis conſentientes, ſedes ultra Oceanum paratas oſtendunt: regionem nempe nec imbribus, nec nivibus, nec æſtu nimio gravatam; ſed quam mitis Zephyrus ab Oceano ſemper ſpirans permulcet.* Quæ verbatim ex *Homero* tranſcripſit: *Ulyſſea* enim IV. ſic *Proteus* ad *Menelaum.*

---- Σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα
 γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδά-
 μανθυς.
Τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ'
 ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς, ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

—— *Te ſuperi telluris ad ultima, Campos*
Elyſios, mittent; quos flavus habet Rhadamanthus:
Mollia ſecura currunt ubi tempora vitæ:
Non ibi nix, non triſtis hyems, non ſordidus imber,
Sed mites animas Zephyri genitabilis afflat
Oceanus, gelido populos ſpiramine mulcens.

Heſychius Homericum πείρατα γαίης, τὴν δύσιν exponit. *Phavorinus* inquit, Ἠλύσιον πεδίον περί τι

τα'

τὰ κατὰ δύσιν πέρατα τῆς γῆς. Notum, olim priuſquam magnes in ſubſidium veniſſet, dum Phœnices Pleiadum adhuc ſuſpectu in curſu regundo niterentur: navigationem pleramque omnem intra Mediterraneum ſtetiſſe. *Plato* dixit in *Phædone*, ævi ſui homines οἰκεῖν μέχρις Ἡρακλείων στηλῶν ἀπὸ Φάσιδος ἐν σμικρῷ τινὶ μορίῳ ὥσπερ περὶ τέλμα μύρμηκας. Neque enim hinc ultra *Phaſin*, aut illinc ultra *Herculis columnas* tetendit ἡ πλεομένη θάλασσα ut veteres vocant. De *Phaſide*, verſus proverbialis,

Εἰς Φᾶσιν ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.

Atque è regione ἅπτεται Ἡρακλέος στηλῶν uſurpat *Pindarus*, *Olymp.* III. & ſubjungit,

> - - - - - τὸ πόρσω
> δ᾽ ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον,
> Κἀσόφοις, οὐ μὴν διώξω, κεινὸς εἴην.

> *Quod ultra eſt*
> *Sapientibus inacceſſum eſt*
> *Atque inſipientibus, non perſequar, fruſtra*
> *enim forem.*

Ubi vero cunque Elyſium ſuum ſtatuerent Gentes, illud interim non omiſerunt eſſe ἄβατον, id eſt difficilis admodum acceſſus: Ejus autem rei rationem à veteri Paradiſo cujus aditum terribiles Angeli occupabant, ſine dubio duxerunt. Prope haſce Columnas *Herculis* dudum floruit

- - - Ταρ-

- - - - Ταρτήσσιον ὄλβιον ἄστυ,

Cujus miranda fertilitas atque opulentia ænigmati *Homerico* anſam præbuit *à Tartaro ad Tarteſſum migrare*, id eſt, à conditione peſſima ad optimam. In eadem vicinia erant & *Divites Inſulæ* ut *Horatius* vocat. *Græcis* μακάρων νῆσοι atque Ἠλύσιον πεδίον dicuntur. Ἠλύσιον autem nomen, cum loci ipſius notitia, quin *Homerus* à Phœnicibus traduxerit, minime ambigo. *Geographus* libro tertio, p. 150. Ὁ τοίνυν ποιητὴς τὰς τοσαύτας στρατείας ἐπὶ τὰ ἔσχατα τῆς Ἰβηρίας ἱστορηκώς, πυνθανόμενος δὲ καὶ πλοῦτον καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς (οἱ γὰρ Φοίνικες ἐδήλουν τοῦτο) ἐνταῦθα τὸν τῶν εὐσεβῶν ἔπλασε χῶρον, καὶ τὸ Ἠλύσιον πεδίον. Facile ergo impetrat *Buchartus* ut Elyſium ab עליץ *lætus* aut ſimili voce Punica deductum cenſeam; fruſtra enim hactenus fuerunt de *Græca* origine βεκκεσελήνοι. Nec Primi Paradiſi ſplendidum tantum ſitum & difficiles aditus; verum etiam arborum ac florum apparatum λειμωνώδη (ut cum Cebete loquar) ad Elyſii ſui deſcriptionem adhibuerunt *Græci*. *Pind. Olymp.* II.

- - - Ἔνθα μακάρων
νᾶσον Ὠκεανίδες
αὖραι περιπνέουσιν, ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
Τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων,
Ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.

Ὅρμοισι τ̃ χέρας ἀνα-
πλέκοντι καὶ στεφάνοις.

——— *Ubi beatorum*
inſulam Marinæ
auræ perflant, floreſque
aurei micant,
alii quidem ab humo
à pulchris arboribus.
Aqua autem alios educat.
quorum monilibus ac
corollis manus implicant.

Tibullus libri primi Elegia III. de Elyſiis Campis,

Fert caſiam non culta ſeges, totoſque per annos
Floret odoratis terra benigna roſis.

Virgilius vocavit

——— *amœna vireta*
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.

Illic epulis ac perpetuæ feſtivitati ſatagunt, παρὰ τιμίοις θεῶν *in convictu honoratorum Deorum. Socrates* (in *Phædone*) refert auctores πλεῖστων innuere ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει. *Quod quicuntus*

que myſteriorum expers ac nondum ſacris initiatus ad inferos iverit, in luto jacebit: qui vero purgatus ac ſacrorum factus particeps eo advenerit, cum Diis habitabit. Hercules apud *Pindarum, Iſthmiorum* IV.

> Νῦν δὲ παρ' Αἰγιόχῳ κάλλιστον ὄλβον
> Ἀμφέπων ναίει, τετίμα-
> ταί τε πρὸς ἀθανάτων φίλος, Ἥ-
> βαν τ' ὀπυίει χρυσέων οἴ-
> κων ἄναξ, καὶ γαμβρὸς Ἥρας.

> *Nunc vero cum Jove habitat lautiſſima*
> *fœlicitate gaudens, honore affectus Diis*
> *charus, Hebenque complectitur aurearum*
> *ædium dominus, ac Junonis gener.*

Hæc ab *Homero Ulyſſea* λ'. tranſtulit, qui de *Hercule* pridem dixerat,

> - - - - μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
> Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυ-
> ρον Ἥβην.

Quod *Heben*, id eſt *Juventutem*, uxorem duxerit, de immortali ævo nullis provectæ ætatis malis obnoxio, quo donatus eſt, accipi debet: quo modo *Heſiodus* intellexit, in *Theogonia*, qui *Homeri* ſæpe interpres ideo de *Hercule* dixit,

Ναίει ἀπήμαντος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα.

Incolumis vivit nulla tardante ſenecta.

Empedocles honeſte viventibus pollicetur quod futuri ſint

Ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι, ἔν τε τραπέζαις
Εὔνιες ἀνδρείων ἀχέων, ἀπόκηροι, ἀτειρεῖς.

Iſti verſiculi apud Clementem peſſime leguntur, ac ridicule transferuntur ab interprete Latino. Jo. Scaliger, incomparabilis ille literarum vindex, genuinam lectionem reſtituit: unde ſic vertendi,

Immortalium cæterorum contubernales ac conviva,
Expertes humanarum miſeriarum, incorruptibiles, immortales.

Infinita ſunt quæ de cœleſtibus hiſce epulis dici poſſent, & de Elyſii adparatu reliquo, Audiamus tantum *Axiochi* auctorem, Ὅσοις μὲν οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἐπέπνευσεν, εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον οἰκίζονται· ἔνθα ἄφθονοι μὲν ὧραι παγκάρπου γονῆς βρύουσι, πηγαὶ δὲ ὑδάτων καθαρῶν ῥέουσι, παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄν-

θεσι

θεσι ποικίλοις ἑαρίζόμενοι· διατριβαὶ δὲ φιλοσόφων, καὶ θέατρα ποιητῶν, καὶ κύκλιοι χοροὶ, καὶ μουσικὰ ἀκούσματα, συμπόσιά τε εὐμελῆ, καὶ εἰλαπίναι αὐτοχορήγητοι, καὶ ἀκήρατος ἀλυπία, καὶ ἡδεῖα δίαιτα. *Quibus bonus genius in vita agenda adſpiravit, regionis piorum colcni fiunt ; ubi anni tempeſtates omne genus fruges affatim ſuppeditant, fonteſque limpidis undis manant, prata univerſa variis floribus vernant: philoſophorum ſcholæ, theatra poetarum, chori circulares, auditiones muſicæ, convivia concinna, dapes ultro oblatæ, immortalis lætitia, victuſque ſuavis* præſto ſunt. Enimvero decantatiſſimam Ætatem Auream *Græcorum*, ad Paradiſi *Moſaici* exemplar effictam fuiſſe, conſtat: Sicut ergo *Hebræi* (ut dixi) fœlicitatem Cœleſtem Paradiſi vocabulo adumbrarunt; ſic *Græci* in Urbe (ubi ubi illa ſit) Saturni, quem penes Aurea illa Ætas viguit, Elyſium ſuum, atque μακάρων νῆσον collocarunt. *Pindarus Olymp. Od.* II.

Ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐς τρὶς
Ἑκατέρωθι μείναντες
Ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
Ψυχὰν, ἔτειλαν Διὸς
Ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρ-
σιν, ἔνθα μακάρων
Νᾶσον Ὠκεανίδες
Αὖραι περιπνέουσι.

Quicunque valuerunt ad

tertiam uſque vicem utrobique
manentes, animam ab injuſtis
omnino abſtinere; perrexerunt
Jovis viam ad Saturni urbem,
ubi Oceanides aura Beatorum
Inſulam perflant.

Claudianus etiam, *Græcorum* diſciplinæ ſcientiſſimus, Elyſium per Auream Ætatem recuperatam deſcribere non dubitavit, quemadmodum *Hebræi* ſolenniter per Paradiſum; verba ſunt, De Raptu *Proſerpinæ* lib. II. ver. 282.

Amiſſum ne crede diem, ſunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alii, lumenque videbis
Purius, Elyſiumque magis mirabere ſolem,
Cultoreſque pios. Illic precioſior ætas
Aurea progenies habitant, ſemperque tenemus
Quod ſuperi meruere ſemel. *Nec mollia deſunt*
Prata tibi, Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Eſt etiam lucis arbor prædives opacis
Fulgenti virides ramos curvata metallo,
Hæc tibi ſacra datur, fortunatumque tenebis
Autumnum, & fulvis ſemper ditabere pomis.

Atqui hæc omnia etiam Philoſophi *Græci* ἀλληγορῦσι. Πεδίον Ἠλύσιον, πεδίον ἀληθείας interpretatur *Plato*

Plato in *Phædro*; addens, ἥτε δὴ προσήκουσα ψυχῆς τῷ ἀρίστῳ νομὴ, ἐκ τῷ ἐκεῖσε λειμῶνος τυγχάνει οὖσα. *Socrates* in *Phædone*, de anima, quæ, fruminis & feminis victrix, ſe in tranquillam immunitatem ab affectuum perturbationibus aſſeruerit, ἑπομένη τῷ λογισμῷ καὶ ἀεὶ ἐν τούτῳ οὖσα, τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη, ζῆν τε οἴεται δεῖν οὕτως ἕως ἂν ζῇ, καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ, εἰς τὸ συγγενὲς καὶ εἰς τὸ τοιοῦτον ἀφικομένη ἀπηλάχθαι τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν. Quid de conſpectu *Shecinah* & Lumine vultus Regis vitæ *Judæi*: quid de Viſione Beatifica luculentius Chriſtiani dicant? *Plato* in *Phædro* de Pia mente locutus, τὴν ἐν τῷ ὅ ἐστιν ὂν ὄντως ἐπιστήμην οὖσαν, καὶ τἆλλα ὡσαύτως τὰ ὄντως ὄντα θεασαμένη καὶ ἑστιαθεῖσα, δῦσα πάλιν εἰς τὸ εἴσω τοῦ οὐρανοῦ, οἴκαδε ἦλθεν. *Veram ſcientiam in eo quod vere eſt, & alia pariter quæ reipſa ſunt contemplata & quaſi epulari feſtivitate excepta, ad interiora cœli ſe denuo recipiens, domi eſt.* Origenes ait Mentem perfectam *Cibos quibus veſcatur habituram theoremata, & intellectus rerum rationeſque cauſſarum*, &c. lib. II. περὶ ἀρχῶν cap. XII. prope finem. *Viſuros nos facie ad faciem, atque cognituros perinde ac cognoſcimur* S. literæ docent. Atque de *Paradiſi* & *Elyſii* literali & myſtico paralleliſmo hæc hactenus.

SECT. VIII.

Mediocrium ſtatus ex *Hebræorum* & *Græcorum* ſententia.

Prævaricatores Iſraelis qui. Purgatorium Judæorum, *cui* Mediocres *addicunt*, *duodecim menſium. Beth quid ſignificet, in hujuſmodi, Beth Hillel, Beth Sammai, &c. Duodecimeſtre* Purgatorium *ex Nachmanida, Schola Joſephi in Joreh Deah, R. Bechaye, &c. Ex Gemara Alpheſii, &c. Quibus expientur peccata leviora juxta* Judæos. *De* Græcorum Campis Lugentibus. *Illis parem locum haberi apud* Judæos, *cui Biaothanatos & Aoros legant. Non poſſe* Campos Lugentes *cum* Gehenna Superiore *conferri. Platonem loci* Tartarei *meminiſſe unde* Mediocres *poſt Anni unius luſtrationem evadunt. Nullam* Purgatorii *mentionem fieri in ullo ſcripto* Judaico *ante conditam Gemaram: nec in ullo ſcripto* Chriſtianorum *ante Origenem. Ab illo* Chriſtianos, *A* Chriſtianis Judæos *ſumpſiſſe.* Mohammedanos Purgatorium *agnoſcere.*

UT autem perfecte *Juſtos* ad Paradiſum; ita *Mediocres ad Gehennam ſuperiorem; penitus autem Impios ad Gehennam inferiorem* legant

legant *Hebræi*. Mediocres hoſce פושעי ישראל *prævaricatores Iſraelis* vocant; flagitioſos verpos innuentes, qui è vita migrarunt non acta prius commiſſorum pœnitentia: & qui in præceptum aliquod ex trecentis ſexaginta quinque vetantibus (totidem *Talmud* Tractatu *Makkoth*, R. *Solomon Ben Eleaſari* in *Avodath Hallevi*, & R. *Aaron* in *Joreh Deah* aliique computant) deliquerunt. Id autem genus flagitia, utpote majoris contumaciæ, ne ſimplice quidem pœnitentia pianda cenſent. Conſule ſi placet ea de re caput ultimum tractatus *Jomah*. In *Gehenna* autem Superiore Duodecim plerumque menſes torqueri volunt: vel ſaltem quoad ſat luſtrati tandem liberentur; Deo preces, quæ pro defunctis recitari ſolent, exaudiente ſcilicet: cujus ſurfuris bene multæ occurrunt in *Judæorum* Libris precum. At primas deferunt precandi formulæ, quam (à voce iſta identidem repetita) קדיש *Kaddiſh* vocant: illam enim ſi filius vel cognatorum defuncti quiſquam undecim menſes ἐπημέριοι recitaverit, is pro quo precatur libertatem adeptus faceſſit in *Paradiſum*. Pro defunctis hiſce etiam victimis feciſſe *Judam Machabæum* conſtat. Perinde ac hodieque παντοπῶλαι liticines animas *Purgatorio* ſuo teſſeris venialibus, aut oblato Miſſæ (ut vocitant) ſacrificio, aut vero ſuperſtitum ſuffragiis exemptas fabulantur. *Ramban Gerundenſis* in שער הגמול de *Judæis* verba faciens, שמחיובי עונש נדונים בגיהנם שנים עשר חודש כל אחד כפי הראוי לו וגו *Qui obnoxii*

noxii ſunt pœnæ plectuntur in Gehenna *duodecim menſes, unuſquiſque uti eſt meritus.* בית יוסף (*Beth* autem in hujuſmodi *Beth Joſeph*, *Beth Hillel*, *Beth Samai* & ſimilibus; frequenter *Scholam*, *factionem*, *clientelam*, *ſectam* ſignificat: *Syrus* itaque pro *Herodianis*, quos Herodes *vervex ſectarius* (ut *Plautus* loquitur) ducebat, ܕܒܝܬ ܗܪܘܕܣ *debeth Herodes* ponere non dubitavit. *Beza*, qui non *Syris*, ſed *Hebraicis* tantum elementis דבית הרודם legit, *debeth Hirudim* perperam extulit, ם etiam ultimam literam pro ם clauſo accipiens: ſed neque melius vertit, per *Herodis domeſticos*, *ſive aulicos*; cum *ſectam* potius *Herodis* vertiſſe debuerit, à *cujus fermento* Chriſtus *cavendum* eſſe monuit *Marci* VIII. v. 15. Sed & *Maronitæ* in *Matthæi* cap. XXII. v. 16. in Bibliis Gallicis & noſtris (Polyglottis) *domeſticos Herodis* etiam male verterunt. הורורוסיית vocavit Baal Aruch.) *Schola*, inquam, *Joſephi* in *Joreh Deah*, Edit. Venetæ, pag. ultima כדאמרינן דמשפט רשעי ישראל בגהנם יב חודש *Sicuti vulgo dicitur, pœna flagitioſorum Iſraëlitarum* XII. *menſes in Gehenna* durat. Itidem ſcribit R. *Bechaye* in *Deuteronomii Paraſham*, וזאת הברכה R. *Shem Tobh* in נפש החכמה & libro של תשובה R. *Alpheſius* ex ſententia Sectæ *Hillelis*, tomo 1. fol. 308. pag. 1. *Sebioniteniſis* Editionis in fol. פושעי ישראל יורדין לגהנם ונודונים בו יב חודש *Prævaricatores* Iſraëlis *deſcendunt in Gehennam & plectuntur ibi* XII. *menſes*. Ad quem locum conſule

ſule ſi placet ſcholia *Solomonis Jarchii*, *R. Niſſim*, & *R. Eſaiæ Shilte Haggiborim*. *R. Joſephus Albo* in עיקרים ſermone IV. c. XXIV. pag. 151. העונש הזה שאמרנו שהוא מגיע אם לגוף ולנפש ביחד ואם לנפש בלבד יתחלף באנשים כפי הגוף מדרגותיהם כי מי שיש בידו קצת עבירות אי אפשר שיהיה נדון תמיד בצער המופלג ההוא שאמרנו כי הזמן יספיק לשכח ההרגל והמנהג ולפי מה שאמרו רבותינו ז'ל הזמן ההוא יב חודשים *Supplicium hoc de quo meminimus, ſive ad corpus ipſum, ſive ad animam ſimul cum corpore, ſive ad animam ſolam pertigerit; pro uniuſcujuſque ſtatu ac conditione diverſa variaque eſt: fieri enim nequit ut is in quo partim bona partim mala exiſtunt, maximis iſtis, quos memoravimus cruciatibus æternum torqueatur; peracto enim certo tempore ſupplicium illud ceſſabit, nempe cum nequam iſta conſuetudo peccandi abſterſa penitus & perpetua oblivione abolita fuerit; ac juxta doctorum noſtrorum* τῶν μακαριτῶν *ſententiam, tempus illud Duodecim menſium erit.* *Perush* in *Zechariæ* XIII. ſtatuit *Mediocres hoſce non ultra* XII. *menſes eſſe in tormentis*. *R. Shem Tobh* tractatu V. של תשובה minus accurate locutus, ait *Mediocres* שנה אחת *annum unum puniri, priuſquam ad locum ſuperiorem* (למעלה) *adſcendant, cum juſtis cohabitaturi.* Malunt autem hoc tempus XII. *menſium*, *quam anni* vocabulo definire; qua de re ſic Schola *Joſephi*

in

in *Jorch Deah* כדאמרינן דמשפט רשעי ישראל בגהנם יב חודש ולא אמרו שנה הילכך יב חודש מנינן *Perinde ac dici ſolet, ſupplicium flagitioſorum Iſraëlitarum in Gehenna XII. menſes durat; atqui annum non dicunt, ideoque XII. menſes numeramus.* Quo loco idem ſcholiaſtes pergit rationem reddere quare *anni* hic vocem tam ſtudioſe vitantes, XII. *menſes* dicere maluerint. Alioquin etiam (ut quibuſdam videtur) intercalari menſe *Veadar* (quo Solis curſum annuum cum menſtruis Lunæ in loco conciliant) annum aliquoties productiorem reddente, putaretur quis diutius pœnas pendere qui tali Anno, quam qui communi oppeteret: at Menſes illis Lunares, utique æquales, iſtius ſcrupuli immunes ſunt. *R. Mekir in Avodath Rochel* lib. II. (qui totus in iſtiuſmodi conſumitur) modum Duodecimeſtris iſtius luſtrationis deſcribit. Hæc autem regio, ex qua, poſt ratam luſtrationem, exitus conceditur, *Gehennæ ſuperioris* nomine occurrit, apud *Mekirum* & RR. ſatis frequenter. *Judæis* autem inoleverat opinio peccata ſua adverſus Præcepta Jubentia per meram pœnitentiam, ſaltem in ſolenni Reconciliationis, remitti: ſecundum R. *Zechariam* in *Pirke Eleaſari* cap. XLVI. יום הכפורים מכפר בעולם הזה ובעולם הבא *Dies expiationum & in hoc & in futuro ſeculo expiat.* Etenim יום הכפור *Diem expiationis* Ultimi Judicii ſpeciem præferre ſtatuunt Magiſtri, libris vitæ & mortis tunc apertis. Peccata autem adverſus pleraque præcepta Vetantia,

largi-

largitionibus, hujus vitæ κακουχίαις atque ærumnis, exilio, ſaltem morte ipſa, quam februorum oppido maximum putant, deleri. Hinc in ſolenni prece in extremis conſtitutorum, in *Seder Tephilloth* in 12. Editionis *Amſtelædamenſis* per *Menaſſem* B. *Iſrael.* pag. penultima, ואם קרבה עת פקורתי למות תהא מיתתי כפרה לכל חטאתי ולכל עונותי ולכל פשעי שחטאתי ושעויתי ושפשעתי לפניך מיום היותי *Sin autem viſitatio mea inſtet ad moriendum, eſto mors mea expiatio pro omnibus peccatis, criminibus & commiſſis meis, ſive quæ ſciens, ſive quæ ignorans perpetravi à die in quo vitam meam auſpicatus ſum.* In *Pirke Eleaſari* cap. XXXIII. *Saulus* dicitur mortem ſibi conſciſcendo expiaſſe peccata ſua. Conſulatur & *Medrash Elle Haddevarim* in cap. III. v. 26. & R. Nathan in Avoth Sect. חמשה Sin reſtent adhuc aliqua quæ nec mors ipſa diſpunxerit, illa ſaltem δωδεκαμηνιαῖον χρονοτριβέσιν in hac regione, penitus expiari. Nonnulli cenſent caſſam ſpem, quam *Judæi* ex iſta opinione concepiſſe poterant, Chriſtum retuſum iviſſe, cum *nec in hoc nec in futuro mundo peccatum adverſus S. Spiritum remiſſum iri minatur. Judæi* enim *Talmudis* illud ſemper in ore habent כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא *Omnis Iſraëlita partem habet in mundo futuro: Iſraëlita* nequam & parum frugi, poſtquam eos (ut dictum) ab anteactæ vitæ nepotatu luſtraverit mala iſta manſio. *Judæos* quippe omnes גוי קדוש *gentem ſan-*

ſanctam vocant, talemque in amputatione præputii vim ponunt, ut quibus ea contigit à *Paradiſo* æternum arceri nequeant. Eorundem decretum eſt Tractatu Kiddushin prope finem, fol. 82. p. 1. טוב שברופאים לגהנם *Optimus medicus ad Gehennam*; quaſi optimi hac luſtratione opus habeant: nec ſic tamen ſuis Panicum incuſſerunt, quin ex medicina, quam improbe paſſim factitant, maximi æruſcatores evaſerint.

Græci etiam hunc locum agnoſcunt: ex quorum ideo ſententia *Virgilium* nonnulli volunt Inferos in *Campos Lugentes*, *Elyſium* & *Tartara*, diſtribuiſſe. In Lugentes autem Campos cogebantur omnes *Biæothanati* & *Aori*: πάντες οἱ πρὸ μοίρας ἢ πρὸ ὥρας θανόντες, *omnes qui violenta aut intempeſtiva morte oppetebant. Dido Virgiliana* erat & Βιαιοθάνατος & Ἄωρος,

—— quia nec fato, meritâ nec morte peribat,
Sed miſera ante diem ———.

In his autem Campis tantiſper morari voluerunt antiqui, dum μόρσιμος αἰὼν ut *Pindarus* vocat, (id eſt, *legitimum vivendi tempus*) impletus fuiſſet: quem quibuſdam centum, quibuſdam ſeptuaginta anni conſtituunt. *Solonis* eſt apud *Clementem* & *Philonem*,

Τῇ δεκάτῃ (ſupple ἑβδομάδι) εἰ τις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο,
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν, μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Ti-

Timarchus apud *Plutarchum*, qui (ſive κνηθρῶν ſive ὀνειροπολῶν) in *Trophonii Antro* ſpecimen Inferni accepit; ex hac regione audiit μυρίας ὀρυγὰς κ̀ στεναγμοὺς ζώων, μυρίων δὲ κλαυθμὸν βρεφῶν, κ̀ μεμιγμένους ἀνδρῶν, κ̀ γυναικῶν ὀδυρμούς. Quæ *Er Pamphilus* retulit τ̃ δ' εὐθὺς γενομένων κ̀ ὀλίγον χρόνον βιούντων πέρι, notat *Socrates Platonicus* (dê Republ. X. pag. 615. Edit. *Serrani*) tanquam οὐκ ἄξια μνήμης. *Cicero* ſtatum animarum non à Reviviſcente aliquo, ſed ab Experrecto potius narrari volens, etiam quo certiorem fidem mereri videretur, Campos hoſce Lugentes, penitus proſcripſit. Opinabantur autem vetuſtæ hujus ſuperſtitionis affines, mortuorum Animas omnia, etiam futura, noſſe; ex Parcarum in Orco ſtaminibus inſpectis: vel itaque evocantes ad ſe cadaveribus aptas διὰ νεκυομαντείας (quam, utpote *Ægyptiis* familiarem, accurate deſcripſit *Heliodorus Æthiopicorum* VI.) vel ipſi Orcum ſubeuntes διὰ σκιαμαντείας ſive εἰδωλομαντείας conſulebant. Quamvis autem Primæ hujus Regionis incolis valde curta futurorum cognitio fuerit, quod illi, nondum epoptæ, ab aliis duntaxat umbris nonnulla percontando acceperant; ſacerrimis tamen conſultoribus cum hac regione commercium utcunque impetrabilius ceſſit, quo magis illa in propinquo; *Erichtho* apud *Lucanum*,

Non in Tartareo latitantem poſcimus antro,
Adſuetamque diu tenebris, modo luce fugata,
Deſcendentem animam, primo pallentis hiatu
Hæret adhuc Orci, licet has exaudiat herbas,
Ad manes ventura ſemel———.

Cam-

Campos enim hoſce Lugentes in *Orco pallente*, *nondum nigro* ſtatuebant, id eſt, inter hujus vitæ, atque Inferni confinia: quo ſenſu Charite, Thraſyllum occiſura, ſic præfatur: *Nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate lætaberis; ſed incertum ſimulacrum errabis inter orcum & ſolem.* Apud *Apuleium.* Quorſum vero ex hac potiſſimum regione arceſſerent animas, aliam cauſſam adſignavit *Tertullianus*, libro de Anima, prope finem; *Invocantur quidem Acri & Biæothanati ſub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potiſſimum animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam ſævus & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ.* Quo autem ſcires ex Campis Lugentibus arceſſitos omnes quos *Ulyſſes* conſuluit,

... νεοπενθέα θυμὸν ἔχοντας.

notavit *Homerus.* Odyſſea λ'. תדע לך כי הנפש אחר צאתה מן הגוף אר זל שהיא זוכרת ומתאבלת עליו על הפרדה מן הגוף *Scito quod anima poſt exitum è corpore (ut RR. ἐν μακαρείτῃ dicunt) ipſa recolens* priſtinum ſtatum, *de illo plorat, de ſeparatione* nempe *ſua è corpore*, ut inquit *Jechiel Mile* in *Reshith Chokmah.* Et nos de animabus *Hebelis*, *Nadabi*, *Abihu*, *Nabothi* & ſimilibus prius adnotavimus. Tametſi vero hanc Regionem *Diverſorium* adpellet *Tertullianus*, quod poſt moram quam diximus legitimam alio migraretur; non tamen Gehen-

Gehennæ Superiori Hebræorum adamuſſim παράλληλος eſſe poſſet, niſi etiam ſupplicii locus fuiſſet. Habent enim & illi Campos ſuos Lugentes, quibus iſti Græcorum potius componi debent.

Atqui ex Inferni Supplicii loco Quotannis liberari perductos ad ſanitatem etiam Græci agnoſcunt. *Platonis* inſtar omnium auctoritas eſto, qui ſic in Phædone. *Οἱ δ᾽ ἂν ἰάσιμα μὲν, μεγάλα δὲ δόξωσιν ἡμαρτηκέναι, ἁμαρτήματα, —— τούτους ἐμπεσεῖν μὲν εἰς τὸν Τάρταρον ἀνάγκη· ἐμπεσόντας δὲ αὐτοὺς τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖ γενομένους, ἐκβάλλει τὸ κῦμα*, &c. *Qui licet ſanabilia, magna tamen flagitia admiſiſſe videantur, ——— illos in Tartarum incidere neceſſe eſt: incidentes autem atque annum illic commoratos ejicit fluctus*, &c. Quæ reliqua illic apud *Platonem* habes, totidem fere verbis à Talmudicis expreſſa memini. Hoc tamen notandum, nullam prorſus *Purgatorii* mentionem in ſcriptis Judaicis occurrere Gemara antiquiorem; quæ, juxta ipſorum annales, condita eſt circa annum æræ Chriſtianæ quingenteſimum. Nihil ea de re *Targumim*, nihil Philo, nihil *Joſephus*, nihil *Miſhna*, ſcriptum ſolidum atque antiquum, quod poſt S. Literas in ſummo pretio ab Eccleſiaſticis merito haberi debet. Quamvis enim R. *Jehuda* Sanctus opus illud circa ſeſquicenteſimum Chriſti concinnaverit, aſſerunt tamen Judæi præſto illi fuiſſe majorum ſuorum chartas in ſubſidium: quod quam ſit veriſimiliter dictum non different fateri, qui illud opus perlegerunt; ejus enim pleraque pars iſtiuſmodi eſt, ut omnino per meram traditionem ſine ſcripti ullius admini-

culo eouſque conſervari potuiſſe non opiner. Sin quis objiciat in iſtiuſmodi diſcrepare illum librum aliquoties à S. literis & ipſo Joſepho, habebitur ejus rei ratio alibi. Extat, fateor, *Purgatorii* luculenta mentio in loco Zoharis, quem produximus; ſed iſtum librum multo ſerius ſcriptum fuiſſe convincunt λέξις καὶ πράγματα: ineptiſſime enim Chaldaiſſat, recenſitis ſubinde hiſtoriis rerum multo recentiorum, quam ut poſſit ad annum Chriſti quingenteſimum pertingere. Liber ergo Juchaſin illud opus R. Simeoni f. Jochæi tribuere non eſt auſus. Quæ autem de V. Teſtamenti libris afferuntur ad ſtabiliendum *Purgatorium* parum ponderis habent. Etiam Machabaicis temporibus ſacrificia & orationes pro mortuis non concludunt de *purgatorio* tunc fuiſſe cogitatum: & veteres Chriſtiani, qui pro mortuis orabant, ne verbulum intermiſcent de *purgatorio*. Longe vetuſtiſſima mentio ejus rei habetur in loco Platonis, quem produximus. E cujus ſchola prodiens Origenes fecit *purgatorium* orbi Chriſtiano tunc demum innoteſcere. Atqui is exiſtimavit Deum omnes creaturas natura æquales atque ejuſdem ordinis ac loci condidiſſe; libero inſuper arbitrio præditas, quo fretæ Deum imitarentur ac tales perſtarent, quales conditæ ſunt; aut ſecus facientes, deſerta ſtatione corruerent in deterius: id autumabat per varios gradus fieri poſſe, quoad ſummi ordinis Seraphus in terreſtrem demum naturam deſcendiſſet: exiſtimavit autem unamquamque creaturam illum tandem obtinere ordinem in rebus, quem prævaricando delegerit ſibi: illam autem quæ
vel

vel minimum à ſumma ſua perfectione deſcivit, habere quod tantiſper angat animi; quæ vero, longiſſime recedendo, quam maximam ſibi miſeriam conciliaſſe videatur, etiam in extremis conſtitutam non deſeri à cœleſti clementia, quandoquidem receptui divinitus canatur, ac fiat certa ſpes conditionem priſtinam recuperandi, ſi tunc demum ærumnis longum exantlatis manſueſcere ac reverti velit: neminem enim diutius iſtis exerceri cenſet, quam inolitæ ſordes vitiorum poſtulaverint. Perlege ſi placeat caput VI. libr I. cap. IX. lib. II. & cap. I. libri tertii περὶ ἀρχῶν. Quantum autem Origenes philoſophorum animos permoverit tantum de Academia in Chriſtianiſmum convehendo non hic dicam. Certe Chriſtani hoc tantum indidem decerpere ſunt auſi, *Animas non niſi defæcatas ac debitam puritatem nactas in cœlum admitti poſſe.* At de Purgationis ratione ac modo nihil per multa tandem ſecula ſancitum. Multo minus quicquam ſomniatum de Purgatorio quod Papiſtæ oſtentant; in quo ſcilicet nihil συμπεπηγυίας σωματικῆς aut pravorum affectuum excoquitur; *tantum pœnæ commiſſorum, etiam remiſſorum, penduntur.* Quæ ſententia res fiſci eſt planiſſime, atque eo nomine pro articulo novæ perfidiæ à non uno conciliabulo venditari meruit. Quid enim non audet Roma mendax in Chriſtianiſmo? Quamvis autem inter Judæos & Academiam jamdudum conveniſſe oſtendant Solomon apocryphus & Philo, tamen mihi multo veriſimilius videtur Judæos non plauſiſſe Purgatorio Platonis, prius quam fæx

 dege-

neris Chriſtianiſmi tantundem recepiſſet. Rabbinis enim novum non eſt ſcripta ſua, Chriſtianorum quibuſcum una vixerint, non paucis opinionibus interpolare. Quo pacto etiam Formulas precum ſuarum ad Miſſæ Canonem adtemperaſſe videantur. Merito ergo poſſem hoc loco Græcos Hebræis præpoſuiſſe, ſed iſtis animadverſis, nihil obfuerit ſervatum alibi ordinem etiam hic retinuiſſe.

Mohammedes qui Judaiſmo atque Græciſmo Neſtorianiſmum incruſtans, ex omnibus ῥῶπον unum & cinnum quaſi conflavit; à Judæis & Græcis etiam hujuſce Medii ſtatus fidem accepit. Illi enim الاعرف *Alaaraf* regio fit البرزخ *Alberzach*, *loci ſeparationis: Medias inter extrema ſupplicia & Paradiſum obtinens*. De qua agit *Corani Surat*. VII. Morgiorum autem ſecta luſtrationem a fieri tranſeundo: mediam Gehennam plane agnoſcit. Conſule notas *Cl. Pocockii* ad *Gregorii Abulfaraii*, pag. 25. lin. 8. Ebn Sennæ in Almahad cap. II. refert, Illos qui & recte credunt & recte faciunt, æterna beatitudine fruituros. Illos qui perperam Credunt & male etiam faciunt pœnas æternas luituros: *Qui vero bene crediderunt ſed male vixerunt de his dicitur, quod ipſi ſunt in arbitrio Dei, qui illos punit, aut miſericordia dignatur, ſicut vult; neque aliquid eis in perpetuum imponitur.* Lege etiam caput ſeptimum ejuſdem libri.

SECT.

SECT. IX.

De loco ſtatuque *penitus Impiorum* juxta *Hebræos* & *Græcos.*

Nomina quibus dirus iſte locus Hebræis *venire ſoleat.* Gehennæ *nomen unde.* Gehennam *varios gradus admittere ex Evangelio confirmatum.* Gehennæ Infimæ *ſupplicia æterna. De Kereth ſive Exciſione Animæ quam Lex minatur. Expenduntur locutiones iſte* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. לדורי דורות *& ſimiles. Quid R R. quidam de pœnarum æternitate ſentiant. Quid Origenes. Quid* Græci *de* Tartari *duratione ſtatuant. Puniri in* Gehenna *intenſiſſimo gradu Frigoris ac Caloris juxta* Hebræos. *Itidem ſe rem habere in* Tartaro Græcorum. Mohammedanos *itidem ſtatuere.* Cœlum *&* Gehenna *ſive* Tartarus *quam per omnia opponantur.*

UT autem *Penitus Juſti* in Paradiſum, & *Mediocres* in Gehennam Superiorem, ita *Penitus Impii* in Gehennam Inferiorem deſcendunt: quam R. *Meir* מקום המשפט *S. Lucas* τόπον τῆς βασάνου, per eminentiam vocant. RR. etiam בור תחתיות *puteum infimum*,

 (Græci

(Græci ἄβυσσον.) שאול תחתיה *Sheol infimum* Jobi cap. XVII. v. 6. dicitur גהנם מן לגין *Gebenna Interior* à Chaldæo paraphraſta. Latinus dixit--- *Intima lethi Tartara.* --- R R. etiam בית אבדין *Domum perditionis* vocitant, Sed תופת *Topheth* & גיהנם *Gebenna* voces ſunt iſti loco ſignificando longe frequentiſſimæ. In vicinia enim Urbis ſanctæ jacebat diris devota vallis Hinnomidæ, in qua filios filiaſque vivicomburiis Molocho trajiciebant: quam ideo Rex *Joſias* in *Gemonias Judaicas* vertit, rebuſque turpiſſimis (cadaveribus, fimo & ejuſmodi) conjectis polluit: & ne quid noxæ exhalaret, hoc olenticetum, abſumendis rebus iſtis immundis, teſte D. *Kimchio* in *Pſalmum* XXVII. perpetuo igne ſatagebant. In Coſari etiam ſermone I. dicitur, גיהנם הוא מקום ידוע קרוב לירושלם גיא שאין האש נכבית ממנו היו שורפין בו עצמות הטומאה והנבלות ושאר הטומאות *Gebenna locus erat famoſus prope Hieroſolyma, vallis nempe, in qua ignis nunquam extinctus fuit, in quo comburebantur oſſa immunda, morticina, & ejuſmodi res immundæ.* Illic etiam Angelus Domini *Aſſyriorum* caſtra adortus una nocte centum octoginta quinque hominum millia occidit; quo ſpectant illa *Eſaiæ*, cap. XXX. v. 31. *Voce Domini paveſcet Aſſyrius*, &c. *Eſt enim pridem ordinatus Topheth, eſtque regi alte lateque inſtructus; igne, multiſque lignis ardens, Domini flatu, quaſi ſulphureo quodam torrente,* *eum*

eum incendente. Illic etiam contigit idololatras *Judæos* à *Babyloniis* bello internecino vinci, ita ut cadaveribus humo contegendis defuerit locus. Secundum illud *Hieremiæ* cap. VII. v. 30. *&c. Quoniam offenderunt me Judæi, (inquit Dominus) ſuoſque nefarios deos poſuerunt in æde à me denominata, ejus polluendæ cauſa, extruxeruntque ſacella Topheth (quod eſt in valle filii Hinnomi) ad ſuos filios filiaſque igne cremandos, id quod neque juſſi neque mihi venit in mentem; itaque tempus erit (inquit Dominus) cum non deinceps Topheth aut vallis filii Hinnomi, ſed vallis cædis dicetur, ſepelientque in Topheth donec locus non ſuppetat. Et erunt hujus populi cadavera paſtui volucribus cœli & beſtiis terræ abſterrente nullo.* Vides Deum homineſque in abominandi hujus loci execrationem conſpiraſſe. Ut ergo Paradiſi Terreſtris ſumma amœnitas ἐξ ἀναλογίας τινὸς ad Cœleſtia gaudia conſignanda; ſic horrenda hæc vallis pari ſimilitudine, cum nihil immanius occurreret, ad ſignificandum Tartareum locum impiorum pœnis apparatum, poſt ſecundum templum ceſſit; neque enim antea poterat per temporis rationem, quo hæc geſta ſunt. Targum in *Iſaiæ* cap. XXXIII. v. 14. impios amandat לגהנם יקירות עלם *ad Gehennæ ignem æternum.* Regionem foveæ in quam deſcendit Lucifer, *Septuaginta* τὰ θεμέλια τῆς γῆς, *Arabs* اساسات الارض *fundamenta terræ vocat*; תחתיות ארץ היורד לתם שוב אינו עולה *Quod ad Infima Terræ attinet, qui*

eo deſcendit nunquam adſcendit, ut habet liber *Joſod Shirim.* R. *Menachem* in paraſham אמור & Moſes Gerundenſis cap. Gamul, Gehennam in ſeptem minores regiones diſtinguit; (quod & alii R R. faciunt) quibus diverſos pœnarum gradus innuit. (Et Chriſtus quadantenus diſcrimen in Pœnis Gehennæ ſtatuit, dum ait, *Tolerabilius iri Sodomæ & Gomorrhæ, quam iis qui evangelium non admiſerint*; Matthæi X. v. 15. Alcoranus etiam capite III. v. 162. Supplicia Gehennæ diverſa conſtituit.) Atqui aſſerit illos qui deſcendunt in *Infimam Regionem*, *Abaddon dictam*, *nunquam adſcendere*; *eſſe quippe illum locum ſine ullo exitu aut porta.* Idem in Paraſham אחר מות inquit, ויש רשעים גמורים שנדינום דורי דורות ברצון האל ית ומקיים אותם בצער ועונש שאין כלה *Sunt & Penitus Impii qui puniuntur in ſecula ſeculorum ſecundum voluntatem Dei benedicti, qui collocat illos in cruciatu & pœna ſine fine.* *Jalkut* in *Zecbariæ*, cap. XIII. v. 9. totidem etiam verbis habet, הרשעים הגמורים נידונים שם דורי דורות *Penitus Impii illic* (de Gehenna locutus) *plectuntur in ſecula ſeculorum.* Eadem etiam habentur in *Joſaphoth* in *Bava Metzia*, cap. IV. Et Tractatu *Roſh. Haſhanna*, loco prius laudato; ubi porro dicitur דגיהנם כלה והם אינם כלים verbatim, *Ceſſabit Gehenna at illi non ceſſabunt*, i. e. prius deſinet Gehenna quam illorum pœna. Iſta enim verba comparative exponi debent. Eundem

dem Hebraiſmum habemus in iſtis Chriſti, *Matthæi* cap. XXIV. v. 35. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται. οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι, i. e. *prius abibit cœlum & terra quam verba mea.* *Lucæ* cap. XVI. v. 17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. *Facilius eſt cœlum ac terram perire, quam ullum legis apicem intercidere.* S. Lucas hic comparative expoſuit. Nihil hic dico de ſingulari opinione *R. D. Kimchii* qui in Primum *Pſalmum* dicit de Impiis hiſce תאבד נפשם עם גוהם ביום המיתם *peribit anima ipſorum cum corpore in die mortis.* Aut Mayemonidæ, qui *Kereth* ſive *Excisionem*, quam lex identidem interminatur, de *Annihilatione* interpretari videatur. *Arnobius* libro II. de Impiis Animabus; *Faciuntur enim &, ad nihilum redactæ, interitionis perpetuæ fruſtratione vaneſcunt.* Norunt quicunque in Talmudicorum ſcriptis verſati, ſolere illos opiniones ſuas ſententia ſemper aliqua S. Scripturæ, Rabbinico (id eſt deliro plerunque) more expoſito firmare: futurum autem Bonorum ac Malorum ſtatum ſignificari volunt iſtis Abigailis ad Davidem, I. Sam. cap. XXV. v. 29. Statum nempe Bonorum *colligatione in faſciculo viventium*; Statum autem Malorum *projectione* tanquam *è funda* deſcribi. Et certe vox *Faciuntur*, quam tanta cum vehementia uſurpat Arnobius, fidem pene facit eum à Judæis iſtius exciſionis modum hauſiſſe: quamvis etiam ad Chriſti illud alludat, *Satius eſt vereri illum qui & animam & corpus in Gehenna perdere poſſit, quam illos qui corporis tantum occidendi jus habent;* quo *interitum animarum*

 ſtabi-

ſtabiliret. S. autem Apocalyptes ait *fumum* meretricis ultimo ſupplicio affectæ *adſcendere* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, cap. XIX. v. 3. Deque ſimilibus ſimiliter loquitur, cap. XIV. v. 11. Quibus verbis R R. לדורי דורות *in ſecula ſeculorum* accurate reſpondet, in Tract. *Roſh. Haſhannah* loco ſuperius memorato: & in Jalkut in Zechariæ cap. XIII. fol. 141. pag. 2. Editionis Liburnenſis, ubi illa verba לדורי דורות è Talmude integre citantur. Iſtam autem phraſin Talmudicorum R. Iſaac *Alpheſius*, caſtravit, Tom. I. fol. 308. p. 1. de *penitus impiis* ſcribens יורדין לגיהנם ונידונין בה לדורות ait, *deſcendunt in Gehennam ibique puniuntur in ſecula*, (non *in ſecula ſeculorum*;) quanquam alias Talmudicorum ſcita caſtiſſime repræſentaſſe videatur: qua de re egregiam laudem reportavit, apud Mayemoniden in Præfatione in Seder Zeraim. Et quicquid in ſua totius Talmudis Epitome concinnanda induxit R. Iſaac Alpheſius, pro irrito habent Judæi. Iſtam autem caſtrationem ſi tanti putaſſet *Joſephus Samigah*, correxiſſet in ſuo *Purath*, id eſt, *torculari*, quo *Alpheſium* aliquoties nimis inique premit. Si vero hanc rem penitus introſpiciamus, deprehendentur Judæi non pauci etiam Impiorum iſtorum pœnas non ad æternam perpetuamque durationem, quamlibet ad valde longam, ſi fors tulerit, extendere. De penitus Impio R. *Moſes Almoſny in Tephillah Moſheh*, מדה כנגד מדה

מדה אם עשה עבירות הרבה נענש הרבה ואחכ יבוא למנוחתו *Menſura juxta menſuram, ſi quis enim multum peccarit multum punietur: poſtea tamen conſequetur requiem ſuam.* R. *Iſaac Ben Arama* in *Akdath*, (Commentario in Pentateuchum) in *Paraſham* חיי שרה tantundem aſſerit. R. *Jacobus Chavif*, in *En Jacob*, in *Roſh haſhannah*, cap. I. ויש שמותך שקבלו כבר דינם בגיהנם אפשר שיזכו לחיי העולם הבא ועליהם אמר דוד אחבתי דכתיב בית אפפוני חבלי מות וכתיב דלותי ולי יהושיע *Sunt qui poſtquam in Gehenna jam pœnas dederunt, forte dignabuntur vita mundi futuri; & de illis dixit David, (Pſalmo* CXVI.) *Amabo, &c. De iis ſcriptum eſt, Circumdederunt me dolores mortis, &c. Et ſcriptum eſt, Attenuatus ſum & me ſervabit.* R. *Menachem* in *Paraſham* וישב exponens illa *Samuelis*, cap. XXV. v. 29. *Sit anima domini mei ligata in faſciculo viventium cum domino deo tuo; at animam Inimicorum funda projiciat, projiciat* (inquam) *velut ex fundæ ſcutali.* Faſciculum Viventium, de Juſtorum conditione; Projectionem tanquam ex funda, de malorum accipit: deque Malis concludit, *eſſe illos in vinculis* עד זמן צאתם *uſque ad tempus quo inde exeunt.* Idem in *Paraſham* אחרי מות de Gehenna Inferiore locutus אבל הרשעים עומדים שם עד

עבד

ומן עבר לכליתם *At impii manent illic quoad eorum maculæ abſterſæ fuerint.* Phraſin autem εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων in *Novum Teſtamentum* legitimam *æternitatem* non neceſſario deſignare, vel inde liquet, quod phraſis *Hebraica* quam *Græca* illa exprimere nata eſt, pro minore temporis ſpatio, quamlibet longo, aliquoties in S. literis uſurpetur. Phraſin autem *Hebraicam*, *Græcæ* iſti legem ſignificandi præſcribere debere nemo neſcit. Et in *Apocryphis Enochi ex Hebraiſmo* converſis diſerte legas ἕως συντελεσθῇ τὸ κρίμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων, quod, quocunque intelligas modo, dici non poſſet, niſi æternitate quid minus ſignificaret: συντελεσμὸς enim non competit veræ æternitati. Sed de iſtis fuſius in noſtris ad Decreta *Origenis*. Judæi enim plurimi Gehennam, ut *Græci* Tartarum non tam ad cruciatum quam ad emendationem profligatiſſimorum comparari ſtatuunt: atque ultima illa remedia non niſi εἰς τὰ ἔσχατα νοσήματα, quæ alias corrigi non potuerunt, adhiberi; ut noſter Hippocrates de morbis corporeis monet. Lege Origenem libro περὶ ἀρχῶν II. cap. XI. qui eo planiſſime alluſit. Simplicius, in Prooemio, vim tam efficacem ſermonibus Epicteti adſcribit, ut qui iſtis non movetur, Infernis tantum Tribunalibus corrigi atque ad frugem perduci poſſit. Εἴ τις (inquit) ὑπὸ τούτων μὴ πάσχῃ τῶν λόγων, ὑπὸ μόνων ἂν τῶν ἐν ᾅδου δικαστηρίων ὑπευθυνθείη. *Socrates* ergo in Gorgia pag. 526. Edit. Serrani. ait, *Se Futurum Judicium credere; ac diſpicere qua poſſit ratione quam ſaniſſimo præditus animo coram judice comparere.* Ἐγὼ μὲν οὖν, (inquit) ὦ Καλλί-

Καλλίκλεις, ὑπὸ τούτων τῶν λόγων πέπεισμαι, καὶ σκοπῶ ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ κριτῇ ὡς ὑγιεστάτην ἔχων τὴν ψυχήν. Nam Mentes Sanæ ſtatim in Elyſium, Sanabiles autem poſt luſtrationem Tartaream admittebantur: at *Inſanabiles* perpetuæ ſuæ miſeriæ nullum fructum reportant ipſi; Ὁι δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι, καὶ διὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γένωνται, ἐκ τούτων τὰ παραδείγματα γίγνεται· καὶ οὗτοι αὐτοὶ μὲν οὐκέτι ὀνίνανται οὐδὲν, ἅτε ἀνίατοι ὄντες· ἄλλοι δὲ ὀνίνανται, οἱ τούτους ὁρῶντες διὰ τὰς ἁμαρτίας τὰ μέγιστα καὶ ὀδυνηρότατα καὶ φοβερώτατα πάθη πάσχοντας τὸν ἀεὶ χρόνον, ἀτεχνῶς παραδείγματα ἀνηρτημένους ἐκεῖ ἐν ᾅδου ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, τοῖς ἀεὶ τῶν ἀδίκων ἀφικνουμένοις θεάματα καὶ νουθετήματα. *Qui ſumma ſcelera admiſerunt, ac propterea inſanabiles fiunt, ex illis exempla ſtatuuntur: illi enim ipſi, utpote Inſanabiles, nihil prorſus utilitatis percipiunt; aliis vero utilitas redundat, qui illos cernunt ob flagitia maximis atque acutiſſimis ac maxime horrendis tormentis affectos; revera illic in Inferno, ceu carcere, in exempla ſuſpenſos ut impiis eo pervenientibus perpetuo ſpectaculo ſint ac documento.* Hæc *Plato* in *Gorgia*, & ſimiliter etiam in Phædone, & alibi. Tartaro itaque

--- Σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδὸν

tribuit *Homerus*, Iliade Θ'. *Apollonio Rhodio*

---- ἄρρηκτοι Ἀΐδαο πύλαι.

Unde Poëta Latinus

Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ,

Vis

Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant, ———

Per hoc autem (inquit Servius) *oſtendit nullum de Tartaro ad ſuperos poſſe remeare, ne numinum quidem favore.* Socrates in Phædone ait, *Inſanabiles incidere in Tartarum,* ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν. Turris Vocalis ad Pſychen, *Si ſpiritus tuus corpore tuo ſemel fuerit ſejugatus, ibis quidem profecto ad imum Tartarum, ſed inde nullo pacto redire poteris.* Apud Apulejum Metam. VI. Hinc Alecto è Furiis una audit, quod ἀλήκτως ϗ ἀπαύστως commiſſorum pœnas exigat, ut *Pharnutus* notat.

Hebræi autem ad gehennam, & Græci ad *Tartarum* ſuum conſtituendum, Activarum (ut vocant) Qualitatum, Caloris nempe & Frigoris, intenſiſſimum gradum accerſunt. *Simeon Ben Jochai* in *Zobar*, In Parasham וירא אלין p. 281. Editionis Cremonenſis De Gehenna Superiore, דא מסטרא דמ״א ודא משטרא דאשא דא ודא דינא דגיהנום וחייבין דגיהנום בתרי דינן אלין אתדנו אלא דניא דחייבי דגיהנים תריסר ירחי *Hoc latus aquarum illud vero latus ignis: tam hoc quam illud eſt pœna Gehennæ. Et qui Gehennæ obnoxii ſunt, duabus iſtis pœnis plectuntur, quibus ſubjacent in Gehenna* XII. *menſes.* Ibidem & *Medrash* de Gehenna Inferiore, דשעים עבודי עבודה זרה נידונים תמיד באש ובמים ושוב אינם עולים *Impii cultui extraneo addicti igne & aqua æternum torquentur neque adſcendunt.*

Eſ-

Eſdræ apocrypho *à dextris ignis, à ſiniſtris aqua.* *Drithelmo Saxoni*, apud *Bedam* loco prius citato, *Unum* (Gehennæ) *latus flammis ferventibus nimium torribile, alterum furenti grandine ac frigore nivium omnia perflante ac verrente non minu intolerabile.* Cumque S. *Hieronymus* Deum teſtatus profiteatur in Commentariis, *Se ſuis ſimpliciter indicare, quæ ab Hebræis didicerat*, (conſule eum in II. *Nahum* v. I. In *Zechariam* lib. II. ſub initio.) ergo & hanc ipſam ab eis opinionem hauſiſſe merito videatur. In *Jobi* quippe caput viceſimum quartum, verſiculum decimum nonum, verba veteris interpretis, *Ad nimium calorem tranſiet (Tranſiet, exiet, periet, interiet, abiet, &c.* Frequenter occurrunt apud V. Interpretem. *Exiet* apud *Tertullianum*, libro adverſus *Judæos. Tranſiet*, apud Tibullum Eleg. IV. v. 27.) *ab aquis nivium:* ſic exponit Hieronymus. *Quaſi duas Gehennas ſanctus Job dicere mihi videtur, Ignis & Frigoris; per quas Diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur: forte in ipſa Gehenna talis ſenſuum cruciatus fiet illis qui in ea torquebuntur, ut nunc quaſi ignem ardentem ſentiant, nunc nimium algoris incendium: & pœnalis commutatio ſit nunc frigus ſentientibus nunc calorem.* Aitque fortaſſe Chriſtum interminantem *ſtridorem dentium* huc reſpexiſſe, *ut iſte ſtridor dentium de rigore frigoris oriatur.* Cavet interim nequid refrigerii miſeri ſibi ex iſta viciſſitudine polliceantur; contendens poſſe hoc expetere quemadmodum febrientes & Rigorem & Calorem citra levamen ſentiunt. Similia habes etiam in ejuſdem commentario in

Mat-

Matthæi, cap. X. v. 28. Aphræmus Syrus *Stridorem dentium* itidem accepit. Homilia de ſecundo adventu domini. De צנת תלג *Frigida nive* Gehennæ meminit Chaldæus in Jobi 28. verſ. 5. Et Capite 38. de *Promptuario nivis* verba faciens, ſubdit, די גנוית תלגא לעדן עקתא בגהנם *Quam nivem reſervavi in tempora tribulationis in Gehenna.* Et certe etiam *Frigus* intenſiſſimum poſſe ſatis vehementer afficere, non amplius ambiget, qui ſtillicidium frigidæ in nervum tantiſper experiri velit. Utcunque hanc traditionem ſatis antiquam fuiſſe, vel iſta fidem fecerint. Ex utraque autem Gehennæ penu prodita olim fuiſſe divinæ vindictæ ſpecimina arbitrantur: Ex Aquea, Diluvium; *cum omnes ſcaturigines* תהום רבה *abyſſi magnæ perruptæ ſunt: ex* Ignea, cum *Igne ſulphureo in Sodomam & Gomorram divinitus depluit.* Zohar in Parasham וירא pag. 281. רבי יצחק ור יהודה הוו אולי באורחא אר יהודה לר יצחק דינא דעבד קבה במבול ודינא דסדום תרויהו דינא דגיהנם הוו בגין דחייבין דגיהנם אתדנו במיא ובאשא *R. Iſaac & R. Jehudah ambulabant in via. Dixit autem R. Jehudah ad R. Iſaacum, Judicium quod fecit Deus in Diluvio, & judicium Sodomæ utrumque erit judicium Gehennæ. Quippe qui in Gehenna ſunt, tam aquæ quam igni adjudicati ſunt.* De utriſque ergo, & iis qui Diluvio perierunt, & de Sodomitis, penitus actum eſſe exiſtimant Judæi, ita ut non ſint

ſint Reſurrecturi, nec ſiſtendi denuo pro divino tribunali in die ultimi judicii. Conſule ſi placet ea de re Talmudem tractatu *Sanhedrin*, capite undecimo. *Pirke Eleaſari* cap. XXXIV. *Zohar* in parasham וירא אליו & *Medrash* in eundem locum, & R. Nathanem in ſuo *Avoth*, *initio* ſectionis אנשי סדום De iſtis ſanctus *Judas* Epiſtolæ ſuæ v. 7. Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις - - - - πρόκεινται δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. *Sodoma & Gomorrha & finitimæ urbes in exemplum jacent: ſempiterni ignis judicium ſuſtinentes. Joſephus* Belli Judaici libro ſecundo cap. 12. ὑπέχειν τιμωρίαν dixit, id eſt, *pati ſupplicium.* Syrus ad locum Judæ ܣܝܡܢ ܬܚܝܬ ܢܘܪܐ ܕܠܥܠܡ poſitæ ſunt *ſub igne ſempiterno, condemnatæ judicio.* Chriſtus impios amandans *in lacum igne & ſulphure flagrantem*, reſpexit Sodomam eo modo incenſam, verſamque in lacum bituminoſum, quem *Eſdras Apocryphus* libro IV. cap. V. v. 7. *mare Sodomiticum* vocat: ex cujus aqua ſales confecti. Σοδομηνοὶ dicebantur etiam *Galeni* ævo. (Inſpice de ſimpl. med. facultatibus cap. XIX. edit. Gr. Baſil. pag. 53.) Talmudici מלח סדומית *ſalem Sodomiticum* pariter uſurpant. Iidem res profligatas ac diris devotas לים המלח *in mare ſalſum* ſolenniter amandant. Merito ergo S. *Petrus* Epiſt. II. cap. II. v. 4, 5, 6. Angelos dejectos, Mundum veterem, Sodomam & Gomorrham conjunxit, tanquam luculentiſſima divinæ ultionis ſpecimina, quæ judicio magnæ diei ſaltem præluſiſſe videantur.

Sed & utriuſque extremi Frigoris ac Caloris ſummam vehementiam Tartaro ſuo *Græci*, ut *Hebræi* Gehennæ, tribuunt. Quod etiam *Suidas* advertit in voce Ἠλύσιον. Οἱ δὲ κολάσεως ἄξιοι, ἐν τῷ Κωκυτῷ καὶ τῷ Πυριφλεγέθοντι ἀπελαύζονται. Ποταμοὶ δὲ οὗτοι, ὁ μὲν Κωκυτὸς ψυχρότατος, ὁ δὲ Πυριφλεγέθων θερμότατος. De hiſce fluviis κυκλαυλικῶν oppoſitis Philoſophus in *Phædone*. Maximus etiam Tyrius ex Platonis ſententia Fluviorum Infernalium meminit ἄνω καὶ κάτω ῥεόντων ὕδατι καὶ πυρὶ, *ſurſum deorſumque fluentium Aqua & Igne*. Diſſertatione XXIX. Unde & *Nonnus* hiſtoriarum συναγωγεὺς in *Gregorium Nazianzenum* pag. 171. Ὁ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδωνι περὶ τῆς λήξεως καὶ ἀποκληρώσεως τῶν ψυχῶν, λέγει, ὅτι οἱ ἀδίκως βεβιωκότες κολάζονται ἐν τῷ Κωκυτῷ καὶ ἐν τῷ Πυριφλεγέθοντι, - - - - - ποταμοὶ δὲ οὗτοί εἰσιν, ὁ μὲν Κωκυτὸς ψυχρότατος, ὁ δὲ Πυριφλεγέθων θερμότατος. Quæ de Tartaro ſubinde dicit, de Acheronte dicta oportuit. In eo autem quod Acheronti, tanquam tertio fluvio, τοὺς μέσως βεβιωκότας mittat *Plato*, ſingularis plane videtur: cæteri enim Geographi Inferni Acheronta ac Cocytum eundem fluvium faciunt, ac ſimili frigore impertiunt. *Theocritus Idyllio* XVI.

Μηδ᾽ ἀκλεὴς μύρηαι ἐπὶ ψυχροῦ Ἀχέροντος.

Neque inglorius lugeas in frigido Acheronte.

Nec nominum ſignificationes abludunt, Κωκυτὸς enim *luctus* eſt, atque Ἀχέρων ἀ *gaudii privatione* ἐτυμολογοῦσι. *Silius Italicus* dixit, Belli *Punici* libro XIII.

--- *late*

——— *late exundantibus urit*
Ripas ſævus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum reſonans, ſaxoſa incendia torquet.

Eidem vero mox *Acheron*

——— *gelidam eructat cum murmure arenam.*

Sedenim modo Frigus alicubi Tartari admittant, cui fluminum tribuant, noſtrâ nihil intererit. *Virgilius* hæc duo flumina reſpexit dicendo,

——— *aliis ſub gurgite vaſto*
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

In Alcorano Mohammedes introducit Deum dicentem جعلنا جهنم الكافرين حصيرا *conſtituimus Gehennam carcerem infidelium. Surat.* XVII. v. 9. Atque Gehennæ pœnam æternam plus centum locis adſerit. Surat. XCVIII.

ان الذين كفروا من اهل الكتاب والمشركون في ار جهنم خالدين فيها اولئك هم شر البرية *Qui ſcripturis nuncium remittunt, &* (المشركون *Almushrikouna*) *conſociantes* (eo no-

nomine Chriſtianos, quod Patri, Filium & Spiritum Sanctum conjungant, paſſim Alcorani intelligit.) *in igne Gehennæ æternum manebunt*, *in quo etiam iniquitatem facientes* [manebunt.] Dialogo primo inter Sinanem & Ahmedem, Mali dicuntur detineri مع الشيطان في الجهنم في الابد الابدين *cum Satana in Gehenna in ſecula ſeculorum*. *Hebræos* etiam & *Græcos* in Duplici pœnæ Gehennalis inſtrumento imitatus eſt *Mohammedes*. *Corani Surat.* XLVII. *Mohammed* inſcripto, verſ. 14. كمن هو خالد في النار وسقوا ما حميما فقطع امعاهم *Verum perfidi ſunt æternum in igne, & immerguntur ſimul in aquam & viſceribus diſrumpuntur*. Hunc locum male reddidit *Gallus* interpres *Sieur Du Ryer*; & ſolet nimium licenter intervertere, addere, ac demere: Verſio autem *Anglica*, ex *Gallica* ejus facta, itidem male habet. Ebn Sennæ autem in Almahad Cap. II. teſtatur Mohammedanos omnes ſtatuere quod *Damnatis erunt læſiones vel paſſiones corporeæ à calore & frigore*. Cumque vulgo ſoleant quadraginta dies (partim ante, partim poſt ſolſtitium brumale) à frigore intenſiſſimo الزمهرير *Alzamharir* vocare: inde eandem vocem ſumpſerunt ſcriptores ſacri ad *Frigus Gehennæ* deſignandum.

Ut autem Cœlo omnia Bona, ita Tartaro con-

contraria Mala tribuere ſolent. Cœlo lucem (αἰθέρος ἄβατον φῶς vocat *Euripides Phœniſſis*; quemadmodum noſtræ literæ Deum φῶς οἰκοῦν ἀπρόσιτον 1 *Tim.* c. 6. v. 16. perhibent.) Societatemque Deorum atque Bonarum mentium: Tartaro Tenebras, Furias ultrices, mentes perditas devovent: in Cœlo quies ac νηνεμία: in Tartaro ærumnoſiſſima ταραχή. Paraphraſta Chaldæus רוגז גהנם *rabiem* ſive *tumultum Gehennæ* dixit in Jobi III. v. 17. Idem in Jobi cap. XV. קל דלוחיא בגהנם באורניה כר שרין צדיקי בשלמא בחיי עלמא בזויתא ייתניה *Vox timorum in Gehenna in auribus ejus: quando habitabunt juſti in pace in vita æterna, vaſtitas veniet ei.* Cœli beatitudinem epulari feſtivitate: Τρικυμίαν τὸ ἐν Ταρτάρῳ ἀθλιότητος, λιτῇ καὶ κενῇ διαίτῃ, ſiti fameque deſcribunt. In Cœlo omnibus numeris abſoluta εὐπορία: In Tartaro ἀπορία penitus exſpes. Cœlum ut jucundiſſimum Palatium lapidibus pretioſis conſtructum: Tartarum ut Carcerem ſcrupeum, ſentum ſitu atque horridum pædore, unde nullus exitus conceditur, deſcribunt.

SECT. X.

Cœleſtem ſtatum juxta *Hebræorum* & *Græcorum* Magiſtros revera in virtute conſummata: *Gehennalem* ſive *Tartareum* in delira atque abnormi pravitate conſiſtere.

Pori ac Peniæ fabula expoſita. Unuſquiſque ſibi tortor. Dæmones atque Animas ante Judicium extremum pœnam damni tantum luere ex Patrum ſententia.

SApientes autem tam *Judæi* quam *Græci* ut & Mohammedanorum factio Perſica, Cœleſtem ſtatum in virtute conſummata, quæ animæ facultatibus ex æquo reſpondeat, ſtatuere ſolent. Suaviſſimum hunc ſtatum vitæ hujus recte factis quiſque pro modo ſuo auſpicamur: at is integer atque omnibus demum numeris obveniet, quando Deum *uti eſt* cognoſcentes digne pariter amabimus. Iidem vero ſtatum Gehennalem ſive Tartareum in contrariis ponunt; nempe in ſumme delira atque abnormi pravitate & rabie affectuum in extrema demum ἀπορίᾳ conſtitutorum; dum irrequies animus, præterito pridem Deo, ne tantillum alibi reperit quo impotenter urentem famem, qua perpetuo remordetur, tolerare ulla ex parte poſſit. Gehennalis hujuſce pœnæ rationem egregie expreſſit Origenes, περὶ ἀρχῶν libro ſecundo, capi-

capite undecimo. *Sicut ſentimus ſoluta corporis membra, atque à ſuis invicem avulſa compagibus, immenſi doloris generare cruciatum: ita anima cùm extra ordinem atque compagem, vel eam harmoniam, ad quam ad benè agendum & utiliter ſentiendum à Deo creata eſt, fuerit inventa, nec ſibimet ipſi rationabilium motuum compagine conſonare: pœnam cruciatumque putanda ſit ſui ipſius ferre diſſidii, & inconſtantiæ ſuæ atque inordinationis ſentire ſupplicium.* Hanc autem perditarum mentium pœnam commiſſis exactiſſima proportione neceſſario reſponſuram cenſent; quod ab ipſis peccatis modum ac menſuram omnium, quæ patiuntur, facientibus, oriatur: Dicuntur ergo homines αὐθαίρετα πήματα luere, in Aureis Carminibus. Ab ipſo autem peccato Gehenna ſive Tartarus incipit; quamprimum *aquæ vivæ fons relinquitur, effodiunturque ciſternæ confractæ ac futiles, quæ aquæ continendæ non ſunt.* Jeremiæ II. v. 13. Quod idem *Græci* ſub fabulari involucro Pori ebrii rem cum Penia habentis ἐν τῷ Διὸς κήπῳ (ut *Plato* in convivio refert) non inſcite exprimunt. Κῆπος enim Διὸς in *Græciſmo*, Hortum Edenis in ſacris noſtris ſignificat, quem *Eſaias* cap. LI. v. 3. גן יהוה *Ezekiel* cap. XXVIII. v. 13. גן אלהים id eſt *hortum Dei* diſerte vocitant. Porum *Plotinus* εὐπορίαν καὶ πλοῦτον interpretatur; id nomen *Adamum*, cui in primigenia conditione omnia affatim erant, & ſupererant, egregie deſignat; Is autem Ebrius, id eſt, minime mentis compos; cum *Penia* rem habuit, id eſt, Peccato ſe coinqui-

 nans

nans à priſtina quidem copia deſcivit, ad *Paupertatem* atque indigentiam creaturæ converſus. Culpabilis autem averſio â divina plenitudine in pœnam immaniſſimam poſtremo cedit; anima corporeis rebus omnibus penitus exuta, atque ad Tartareas incitas redacta. Ita, quod de amœno illo Paradiſi apparatu pridem obſervavimus, (verti nempe totum in Allegoriam, ac de Viſione Beatifica intelligi) etiam de Gehennali ſive Tartareo choragio dici queat: illud quippe totum Allegorice interpretantur, de privatione Divini Conſpectus, internaque flamma quæ mentes impiorum ſubinde populabitur; quando nihil adeo opus fuerit aliunde acciri Furias, cum inquilinas tortrices ſat ſuperque ſuffecerit perditorum conſcientia.

——— tormentaque ſera Gehennæ
Anticipat, patiturque ſuos mens conſcia manes,

inquit *Auſonius*. Philo Περὶ τοῦ εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου· inquit, Ὁ πρὸς ἀλήθειαν ᾅδης, ὁ τοῦ μοχθηροῦ βίος ἐστὶν, ὁ ἀλάστωρ, καὶ παλαμναῖος, καὶ πάσαις ἀραῖς ἔνοχος. *Vita ſua cuique improbo Inferni vice revera fungitur: quippe quæ & ipſum reum peragit, & torquet, atque omnibus diris devovet.* Sic quiſque malus eadem opera evadit HEAUTONTIMORUMENOS. In Tartaro autem Ἅπας ὁ τῶν ἁμαρτημάτων ἑσμὸς ἀνανεοῦται, καὶ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἵσταται, καὶ τὴν διάνοιαν κεντεῖ, *Univerſum examen peccatorum renovatur, atque ob oculos ſiſtitur, & animum pungit.* inquit *Chryſoſtomus* oratione ſecunda in *Lazarum*, Sic Charite Thraſyllo minatur *perpetuæ conſcientiæ ſtimu-*

mulum apud *Apuleium*. *Perſius* graviorem pœnam, quam ſævis Tyrannis imprecaretur, non invenit, quam ut

Virtutem videant intabeſcantque relicta,
Satyra III.

Neque vero norunt memorati ſapientes quorſum dolor corporeus magis in Tartaro, quam voluptas corporea in Cœlo animabus materiæ puris propinari debeat. Ideoque etiam SS. Patres magno conſenſu docent, animas malorum pœna damni tantum ante extremum judicium torqueri: atque idem de Dæmonibus exiſtimant: quocirca etiam illi exclamant creari ſibi *importunam moleſtiam* (πρὸ καιροῦ) *Matthæi* cap. viii. v. 29. ut S. *Irenæus*, S. *Juſtinus*, *Hilarius*, *Lactantius*, *Euſebius*, aliique exponunt. Sed *Origenes* in *Pſalm*. XXXVIII. (pag. 87. edit. *Lugdun.* 1536.) animabus impiorum *carneam craſſitiem* tribuit, quo coqui ſuſtineant in cacabo Gehennali. Olympiodorus in *Phædonem* φιλοσωμάτοις ψυχαῖς, etiam viſis ſeparari à corpore, ἡμίσχετον χίσιν etiamnum tribuit; unde poſſint vehiculis tunc ſuis effigiem impertire, quod veteres *Græci*, atque Academici præſertim, de εἰδώλῳ dictitant. Vidimus etiam *Simeonem Ben Jochay* & *Abdiam Sphurnum* (ut alios omittam) animabus priſtino corpore exutis *veſtem* interim tribuere, cujus contagione & doloris & voluptatis corporeæ capax reddatur.

Etiam illa omnia quæ Bonorum vel Malorum *ſenſibus* propinat Alcoranus, Alii cum uni-

verſa factione Perſica *allegoricè* interpretantur, ad *Spiritualia* torquentes.

SECT. XI.

De duratione ſtatus *Bonorum* & *Malorum.*

Quid ea de re ſenſerunt Academici. Platoni ᾅδης & τάρταρος *idem. Origenes idem ſenſit: Caute tamen ac modeſte ſententiam dixit.*

TAmetſi vero *Græci* (pariter ac *Hebræi*) conceptis, ut oſtendi, verbis tam Tartarei quam Cœleſtis ſtatus perpetuitatem aſſerere videantur; *Plato* tamen in *Phædro* & alibi, atque illum ſecutus Poëta, Animas & è Cœlo & è Tartaro ad corporeæ denuo naturæ ſortitum poſt ratas periodos admittunt. Hic ergo VI. *Æneidos*, de Animabus,

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethaum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant.
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

Nimirum Academici omnes animas ad vitam Corpoream reverti crediderunt: hoc tantum cum diſcrimine; quo magis defæcatæ ac puræ

ræ fuerint, eo diutius ſeparatæ atque immunes à corpore in Deorum conſortio manent. Impuriſſimæ vero, atque ægre, ſi omnino, ſanabiles, hoc corpore ſolutæ, in deterius ſtatim merguntur; ut *Servius* in hunc locum, ex mente Philoſophi plane loquitur. Hoc *Plato* Tartaro ſuo ſignificatum ibat; cujus ῥεύματα πάντα πάλιν κύκλῳ περιάγει εἰς τὴν ἀρχήν, ὅθεν ἤρξατο ῥεῖν· πολλὰ μὲν καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, τὰ δὲ καὶ καταντικρὺ τῇ θέσει τῆς ἐκροῆς. Hæc perperam intellexit *Ariſtoteles*, Meteorologicorum II. *Platonis* Tartarus idem hic valet quod ᾅδης vulgo, accipique itidem debet pro regione Naturæ corruptibilis, quo redeunt quæcunque effluxiſſe videbantur: *quædam juxta eundem locum per quem prius effluebant*, animæ nempe minime purgatæ, quæ ne tantillum poſſunt ex orbe Generationis emergere, quin denuo corruant: *alio vero ad extremam uſque diametrum ab exitus ſui loco* pertingunt, animæ nempe defæcatiores quæ diutiſſime manent à Generationis vicibus immunes. Iſtum *Platonis* locum etiam ſic exponit *Olympiodorus*, in Meteorologicorum Ariſtotelis II. Διὰ μὲν τοῦ ἐπ' ὀλίγον περιιόντος τοῦ ποταμοῦ καὶ παλινδρομοῦντος διὰ τῆς αὐτῆς πορείας, αἰνίττεται τὰς ψυχὰς αἵτινες δυσίατα ἁμαρτήσασαι ἢ καὶ ἀνίατα, οὐδ' ἐπ' ὀλίγον ἀναχωροῦσι τῆς γενέσεως, τουτέστι τοῦ ταρτάρου. ἥτις γένεσις ἀντὶ κολάσεως αὐταῖς δέδεικται, ἵνα καθαρθῶσιν· ἀλλ' εἰ καὶ δόξωσιν ἀναχωρεῖν διὰ τῆς τοῦ σώματος λύσεως, πάλιν διὰ τοῦ αὐτοῦ ἀνθυποστρέφουσιν εἰς τὴν γένεσιν ἐν τῷ σώματι οὖσαι. Αἱ δὲ εὐίατά ἐστι (lege εὐίατα) ἁμαρτήσασαι ψυχαί, αἷς οὐ πάνυ προσφιλὴς ὁ τάρταρος τουτέστιν ἡ γένεσις, μετὰ τὸ αὖθις προσελθεῖν οὐκ εὐθέως εἰς αὐτὸν ἐπείγονται, ἀλλὰ χρόνους τινὰς μακροὺς καὶ βίους ἐκτὸς μείνασαι τῆς γενέσεως, κατά τινα πάλιν περίοδον ἔρχονται ἐν τῇ γενέσει, χαίρειν τοῦ τὰ παθήμα-

μαπμύνα καθαρθῆναι. *Per fluvium paululum provectum, perque eandem viam remeantem, animas innuit quæ flagitia ægre ſanabilia, aut vero prorſus inſanabilia admiſerunt; quæ ne tantillum quidem à Generatione, quæ eſt Tartarus, recedunt: quæ Generatio pro pœna illis conſtituitur ut ea purgentur. Sin autem per corporis ſolutionem recedere videantur, eodem rurſus momento corpore clauſæ denuo in generationem redeunt. Animæ vero quæ facile ſanabilia commiſerunt, quibus Tartarus, id eſt Generatio, non admodum arridet, poſtquam inde emerſerunt, eodem ſtatim redire minime nituntur, ſed per longa vitæ ſpacia extra Generationem manentes per certam viciſſitudinem in Generationem relabuntur, uti pridem admiſſa purgentur.* Similia habet & Julianus in Solis Hymno. Lege & Proclum in Timæum non procul fine libri quinti. Sed & Tartari flumina pariter ἀλληγορεῖ *Plutarchus* in Conſolatorio ad *Apollonium*. *Hillelianorum* illud רב חסד מטה כלפי חסד *Dominus miſericordiæ inclinat ad miſericordiam*, quo freti בינונים *Mediocres* (quos *Plato* τὺς μέσως βεβιωκότας vocat) poſt certam luſtrationem in cœlum recipi credunt; ulterius protendit *Origenes*: cum ſatis cauſæ non perſpiceret quorſum veterum Cabalicorum atque Academicorum opinionem mediam amputare deberet. Divinam quippe Clementiam contemplatus, atque Tartareis pœnis luſtralem ac ſalubrem vim adſcribens (ut *Hebræi* & *Græci* faciunt) etiam profligatiſſimos (ἔπωσι ὀρθωτηρίοις) tam efficacibus remediis aliquanto, quamvis longiſſimo temporis tractu ſanari poſſe exiſtimavit. Purgatorium enim vete-

terum Chriſtianorum nihil aliud eſſe præter Cabalicorum atque Academicorum opinionem dimidiatam cuivis ingenuo plane liquet. At qui tantundem clam ſacris literis in re tam lubrica credere ſunt auſi, cauſam vix dicent quare ad Cabalicorum atque *Origenis* ſententiam non perrexerint. Utcunque quanquam vocibus iiſdem לעולם ועד & ſimilibus V. Teſtamenti, לדורי דורות Talmudicorum, Εἰς τὺς αἰῶνας τ̃ αἰώνων N. T.) & piorum in cœlo, & impiorum in tartaro duratio nitatur; cur tamen aliter his atque illis ea in re comparatum eſſe queat, nullo negotio oſtendi poſſet: Rabbinorum vero longe vulgatior ſententia eſt אין תשובה אלא עד המיתה *Nullus poſt mortem pœnitentiæ locus*, ut loquitur *Ben Azai* in *Pirke Eleaſari* cap. XLIII. Sed & ipſe *Origenes* ſententiam ſuam admodum caute ac timide produxit; Sic enim dicit, Adverſus Celſum libro VI. Ἀλλ' ὐδ' ἀκίνδυνον τὴν τ̃ τοιύτων σαφλεύζαν πιστεῦσαι γραφῇ· ἐπεὶ τ̃ πολλῶν ὐ χρηζόντων πλείονος διδασκαλίας παρὰ τὴν περὶ τ̃ κατὰ τ̃ ἁμαρτόντων κολάσεως· εἰς γὰρ τὰ ὑπερέκεινα αὐτῆς ὐ χρήσιμον ἀναβαίνειν, διὰ τὺς μόγις φόβῳ τ̃ αἰωνίυ κολάσεως κἂν συστέλλοντας ἐπὶ πόσον τ̃ κακίας, κ̀ τ̃ ἀπ' αὐτῆς ἁμαρτανομένων χύσιν. *Nec vero periculo vacat apertam de talibus ſententiam literis mandare: cum plerique ulteriore doctrina minime indigeant, quam* vulgari *illa, pœnam, quæ peccatores manet, exhibente: Neque expedit ad illa altiorem adſcendere, propter hos qui vix metu ſupplicii æterni continent ſeſe à nequitia quanta illa? atque inde natorum flagitiorum colluvie.* Quia utraque verſio & vetus *Chriſtophori Perſonæ*,

næ, & nova *Gelenii* diſplicebat; libuit (verbatim fere) de novo vertere. χύσις hoc loco *congeriem*, *cumulum*, *colluviem*, ut ſæpe alibi, ſignificat, præſertim apud Origenem.

SECT. XII.

Tartarus qua ratione in Imis habitus.

Tartari *notatio. Popularis mundi compages qualis* Hebræis, Græcis, & Mohammedanis. Deo *tributa pars mundi ſumma ac lutulentiſſima ab* Hebræis, Gehennæ *inſima atque obſcuriſſima.* Græcos *itidem de* Deo, *itidem etiam de* Tartaro *ſentire.*

TARTARI autem vox Etymologo à ταράσ-σω deducitur: aliis ab ἔταρον, ſecundo indefinito τοῦ πείρω, τείρω, atque κατ' ἀναδίπλωσιν, τάρταρος. Mihi origo *Chaldaica* multo magis arridet, à themate nempe דרדר *dardar*, *decidit*, quo ſenſu *Tartarus* pro eo quod *ſubſidit ac fundum petit*, accipitur. Hinc ἔσχατα γαίης & τάρταρα γαίης ad *inſima terræ* ſignificanda promiſcue poſuit *Heſiodus*, *Theogonia*; ſicut *Hebræi* תחתיות ארץ *inſima terræ* pro Gehenna uſurpant. *Tartara mundi* Cornelius Severus in Ætna, *fundum imum*, Virgilius, pariter uſurpant. Nimirum hoc dixerunt ad popularem atque obviam nimis compagem univerſi reſpicientes, quam ſic deſcribit R. *Eleaſarus* in *Pir-*

ke,

ke, cap. III. קודקוסי השמים במימי
אוקיינוס הם אחוזים שימי איקיינוס בין
קצות הארץ לבין קצות השמים וקצות
השמים על מימי אוקיינוס הם פרושים
שנאמר המקרה במים עליותיו תוכן של
שמים עולה למעלה כדורם היא כאהל
פרושים קצותיה למטה ותוכה למעלה
וכל בני אדם יושבים תחתיה כך הן
השמים קצתם למטה ותוכן למעלה כאהל
Margines שנאמר וימתחם כאהל לשבת
cœlorum aduſque aquas Oceani pertinent: aquis Oceani interfuſis inter extrema terræ ac cœli & extrema cœli ſuper aquas Oceani ſternuntur: Sicut dicitur, contignat cœnacula ſua in aquis (*Pſalmo* CIV. v. 3.) *Vertex cœlorum ſurſum aſcendit inſtar tentorii: cujus extrema deorſum expanduntur, medio ſurſum ſuſpenſo: intra* (hoc tentorium) *univerſa gens humana degit. Habent itaque cœli partem eccam inferius vergentem, habent & teſtudinem ſurſum evectam inſtar tentorii.* Ut dicitur, Extendit illos inſtar tentorii ad habitandum (*Eſaiæ* XL. v. 22.) Cœleſtem hunc amplexum Tabernaculi Conopeo ſignificatum volunt Hebræi: idem in Apollinis Cortina, indidem exſculpta, ſomniarunt Græci; Varro Linguæ Latinæ libro ſexto in Verſiculum Ennianum.

Quæ-

Quæque freto cava cæruleo cortina receptat,

inquit *Cava Cortina dicta quod eſt inter Terram & Cælum, ad ſimilitudinem cortinæ Apollinis. Fretum* enim *cæruleum* cœli περίφερασις eſt, ab agitatione; ut Scaliger obſervat. Tertius auctor de Morte *Moſis* (à *Gaulmino* editus) p. 36. אוקיאנוס מקצוי הארץ וסופו לקצות השמים יגיע וענני השמים יחבשו אותו ויכסוהי כלבוש *Oceanum à finibus terræ adusque fines cælorum extenſum nubes cæli cingunt teguntque veſtis ad inſtar.* Conſule Targum in *Eccleſiaſtæ* cap. I. v. 7. Hiſce etiam næniis plauſiſſe plebeculam Græcam nemo neſcit: atque etiam addidiſſe in ſolis occaſu ſtridorem edi prope fretum *Herculeum*, ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ, διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθὸν, ut loquitur *Poſidonius* apud Geographum, lib. III. Eadem Mohammedi impingit Euthymius p. 30., Excerptorum Sylburgii. Sed enim *Epicuri* ſancta ſagacitas porro invenit, ſolem ἀπὸ τοῦ ἀνατολικοῦ ὕδατος, ἐξάπτεσθαι· ἀπὸ δὲ τοῦ πρὸς δύσει, σβέννυσθαι, exprobante *Cleomede* κυκλικῆς θεωρίας libro II. p. 89. Eadem habet & R. *Eleaſarus* in *Pirke* cap. LI. Sect. רבי ינאי אומר quæ non vacat tranſcribere. Itidem intelliges illud *Lucretii* lib. IV.

——— Immania ponti
Æquora, ſubſtrata ætheriis ingentibus oris.

He-

Heſiodus in *Theogonia* de Tartaro

- - - - ἀμφὶ δέ μιν νὺξ
Τριστοιχεὶ κέχυται, περὶ δειρὴν αὐ-
τὰρ ὕπερθεν
Γῆς ῥίζαι πεφύκασι καὶ ἀτρυγέτοιο
θαλάσσης.

Alcoranus etiam Surata II. v. 20. Mundum pariter conſtruxit; de deo enim dicitur الذي جعلكم الارض في اشا والشما بناء *Qui poſuit vobis Terram in Fundamentum & Cælum in Ædem.* *Hebræi* autem Deum, utpote *cauſam cauſarum*, כבוד ראשון *Gloriam primitivam*, in Tentorii iſtius ſuprema apſide, ſummo nempe Cœlo collocant, atque ita intelligendum illud הקבה שהוא למעלה מעולמו *Deus incolit ſummitatem mundi ſui:* inde eum שמים *Cœlum* per metonymiam ſacræ literæ & RR. vocitant. Qui ergo Deum in ſupplicationibus verbis Prodigi interpellant, *In Cœlum atque in Te peccavimus*, plane ταυτολογοῦσι· tametſi Prodigus patrem ſuum, mortalem puta, ſic poterat affari. *Danielis* cap. IV. v. 23. etiam שלטן שמיא occurrit, quaſi *Sultanum cœleſtem* diceres. Cumque occurrit *Regnum cœlorum* (quod fit apud Matthæum tantum, qui hunc Danielis lo-

locum procul dubio reſpexit) *cœlum* illic μετωνυμικῶς pro *Deo* ponitur; ſic enim idem Matthæus *Regnum cœlorum* & *Regnum Dei* promiſcue uſurpat: in reliquo vero N. Teſtamento *Regnum Dei* tantum, nunquam *cœlorum* dicitur. Deum autem univerſam molem corporis mundani agitare, perinde ac anima noſtra corpus noſtrum, multis modis illuſtrant RR. more ſuo, in *Vajikra Rabba* pag. 169, & 170. Quo vero pacto à ſuprema ſede per Decem ὑποστολὰς (quas RR. עשר ספירות vocant) Divina virtus ſenſim emanans omnia pervadat, docet Liber *Jezirah*, R. *Joſeph Bar Abraham* in *Ginnat Egoz*, R. *Abraham Saſon* in ſuo *Côl*, R. Simeon Ben Jochay in Zohar, aliique Cabalici ὅσα κόνις. Iſtas ὑποστολὰς, *connatas proceſſibus diminutiones* vocat *Syrianus*. (in *Ariſtotelis* Metaphyſ. lib. XII. ex verſione *Bagolini*.) Quo enim unumquodque purioris naturæ digniorisque fuerit, eo altiore loco propius Primitivam Gloriam degit: quo naturæ deterioris, eo longius recedens inferius inde deſcendit. Ut ergo Divina Majeſtas ſummam totius mundi acropolin procul omni vel umbra corruptionis tenet; ita naturæ ſequiores perpetuis corruptionis vicibus obnoxiæ ad Inferiora mundani Tentorii vergunt: quo ſenſu *ſheol* (quod nominis regioni naturæ corruptibilis tributum oſtendimus) מקום עמוק הפך שמים שהוא מרום: *locum humilem oppoſitum cœlo quod eſt altum* appellat *Eben Eſdræ* loco prius laudato. Atqui Gehenna etiam & *ſheol* ipſius Infimus locus habetur, quem תחתיות ארץ vel מרכז הארץ *infima terræ* vel *centrum*

trum terræ paſſim vocant, *Eſaias* cap. XIV. v. 15. inter vaticinandum de Regis *Babylonii* caſu, ad illum Luciferi (quem rebellium angelorum principem vulgo faciunt) alludit; aſſerens Regem illum quoque detruſum iri אל ירכתי בור id eſt, *ad infima barathri.* Septuaginta vertunt εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς, & ab illis *Arabs* إساسات الارض *fundamenta terræ poſuit.* Targum ibidem, אברנא ברם לשאול תחתת לסיפי גוב בית *Verum ad orcum infimum deturbaberis, ad fundum tulliani carceris perditionis:* hunc locum negligenter tranſtulit Latinus interpres more ſuo. Verum & Terram in Aquis natare ſtatuentes, ut diſerte dicit R. *Eleaſar* in *Pirke* cap. V. *Abyſſi ſub terra ſunt, & terra ſuper abyſſum* כאניה שהיא צפה בלב ים כך הארץ מרוקעת על המים שנאמר לרוקע הארץ על המים *Etenim perinde ac navis in medio mari natat, ſic terra ſuper aquas expanditur, juxtra dictum* (*Pſalmo* XXXVI. v. 8.) *Qui extendit terram ſuper aquas:* Aquis locum omnino Infimum tribuunt; quo ſenſu *Aquæ ſubtus terram eſſe* dicuntur, *Exodi* XX. v. 4. Et ne Gehenna non ſatis profunda atque depreſſa videatur, eam infra ipſas aquas ſtatuunt: quo ſenſu *Rephaim* dicuntur *ſub aquis gemere, Jobi* XXVI. v. 5. quo loco per *aquas* non intelliges illas Diluvii, ut quidam faciunt: ſed illas ſubtus quas Gehenna ſternitur. Veriſſimum autem eſt quod ait *Ariſtoteles* primo De Cœlo

cap. III. Πάντες γὰρ τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι καὶ Βάρβαροι καὶ Ἕλληνες. ὅσοι περ εἶναι νομίζουσι θεοὺς, δηλονότι, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον· ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. Itidem auctor libri de Mundo (ſive *Nicolaus Damaſcenus* ut *Petrus Victorius* cenſuit, ſive quis alius) obſervat etiam ideo univerſim obtinere ut vota concipientes manus ad cœlum tendant: ἐπιμαρτυρεῖ δὲ ὁ βίος ἅπας, τὴν ἄνω χώραν ἀποδοὺς θεῷ· καὶ γὰρ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. Galeno (oratione ultima *De Partium in corpore humano uſu.*) Ille opifex rerum, ὁ κατὰ τὸν οὐρανὸν νοῦς, dicitur. *Poſidonius* ergo jure cœlum τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ Κόσμου dixit. *Plato* in *Phædro*, Divino Numini *ſupercœleſtem locum tribuit, quem nullus adhuc poetarum Græcorum celebravit aut unquam ſit digne celebraturus.* Τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον (inquit) οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητὴς, οὔτε ποθ' ὑμνήσει κατ' ἀξίαν. Quod Plato de poetis, RR. de Prophetis dicunt כל הנביאים כולם לא נתנבאו אלא לימות המשיח אבל העולם הבא עין לא ראתה וגו *Omnes univerſim prophetæ non niſi de diebus Meſſiæ cecinerunt: quod autem ad Ævum Futurum, Oculus non vidit,* &c. ut ex veteribus citat Maimonides ad caput Chelek. Quod autem ad Platonis τόπον ὑπερουράνιον attinet, etiam ipſe Chriſtus in noſtris literis dicitur adſcendiſſe ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *Epheſ.* IV. v. 10.

E regione vero etiam *Græci* τὸν ᾅδην, (ut vidimus) utpote univerſi fœcem (ὑποστάθμην Plato dixit, Synesius ὧν τρύγα κόσμου) in ultimis habentes, Tartarum ejus *Imum fundum* faciunt. *Homerus* Iliade θ'.

'H

Ἡ μιν ἑλὼν ῥίψω εἰς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι
βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς,
Τόσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ
γαίης.

Quem ultimum verſiculum, more ſuo exponit *Heſiodus* Θεογονίᾳ,

Τόσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ
γαίης.

Ad quem Poetæ locum reſpexit *Lucretius* lib. IV. in iſtis.

Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus.

Virgilius ſic expreſſit,

——— *Tum Tartarus ipſe*
Bis patet in præceps, tantum tenditque ſub
umbras,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum.

Æneide VI. Tartarus Ἀΐδεω δεινὸς μυχὸς Anacreonti dicitur. Orpheus apud Proclum Τάρταρον,

πυμάτην βάσιν vocat. Regiam ergo Divinam (quam *Hebræi cœlum cœlorum* vocant,) à Tartaro, tota univerſi diametro ſecernunt. Quocirca cœlo ſummam lucem tribuentes, Tartarum τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον *extremas illas Tenebras* vocant, quod inde longiſſimo intervallo diſtet: Quandoquidem Tenebræ ſimpliciter, nullibi ſunt, niſi in Conis planetarum nocturnis. Inque hunc imum carcerem mittuntur profligatæ mentes αἰωνίῳ ἐξορίᾳ multatæ, ut loquitur *Cyrillus* libro de exitu animæ. Etiam Mohammedi

الجنة في جهة العلو والنار في جهة السفل *Paradiſus in regione ſuprema, Ignis autem* (Gehennalis) *in regione infima.*

SECT. XIII.

De *Angelorum Tartaroſi* apud S. *Petrum.*

Voces καταρταρȣ̃ν *&* ταρταρȣ̃ν *ubinam occurrant & quid ſignificent.* Titanum *dejectionem iſti* Angelorum συςοιχεῖν. Græci *&* Hebræi *quid de utrorumque lapſu ſcripſerunt. Unde conſtet quam ſcita vox ſit* ταρτάρωσις *apud* S. Petrum. *Nimis populariter locutos eſſe* Hebræos *&* Græcos *Mundo Tentorii formam tribuendo. Quid iſta ſententia contineat veri. Gradus varios dari animalium*

malium inter ſummum & imum. Deum *tantum* Materiæ *purum eſſe. Angelis tribui corpora ex igne vel aëre ab* Hebræis. *Iiſdem Angelos impuros ac delatores aereos tractus occupare. Itidem per omnia ſentire* Græcos. *Expoſitio loci apud S.* Petrum, *corollarii vice.*

AB hac autem Tartari voce, ταρταροῦν verbum quin veniat nemo ambigit; unde & καταταρταροῦν apud *Apollodorum* in Bibliotheca. Fuit autem iſte *Apollodorus*, teſte *Heraclida Pontico*, ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινὸς, *ſcriptor celebratiſſimus A. Gellio*; habeturque *Ptolemæo Philometori* coævus, *Athenienſis*, *Aſclepiadæ* filius, *Panætii Rhodii* & *Ariſtarchi* Grammatici (iſtius qui tantum ſibi in *Homero* permiſit) diſcipulus; in iſto autem *Apollodori* libro in Centimanorum & Titanum hiſtoria aliquoties occurrit καταταρταροῦν. Eandem tunc etiam tibi vocem oſtendi, in Adverſariis meis relatam, reperiri in hiſtoria, quam ex *Euphorione* (poeta *Chalcidenſi*, quem expreſſit *Corn. Gallus*) citant vetera in *Homerum* Scholia, quæ vulgo *Didymo* χαλκεντέρῳ ſive Tarrhæo tribuuntur. Ea ſic habent, Ζεῦς τὸν μὲν, Εὐρυμέδοντα καταταρταρώσε, καὶ τὰ ἑξῆς. in *Iliada* ξ΄, pag. 235. edit. *Aldinæ*. *Parthenius* (ut cenſet *Janus Cornarius* in Epiſtola præfixa operibus *Marcelli Empirici*) vel quiſquis auctor libri περὶ ποταμῶν, qui in operibus *Plutarchi* habetur, ſic habet, Ζεῦς ἐπιφανεὶς, τὸν μὲν πατέρα, δήσας πλεκτῇ σειρᾷ, καταταρταρώσε. *Phurnuthus* libro de natura Deorum, De *Saturno*, Ζεῦς, ἐκβαλὼν αὐτὸν

αὐτὸν τῆς βασιλείας, κατεταρτάρωσεν· Eſt quidem iſta fabula ubi ubi occurrit, verbum ipſum καταταρταροῦν plane uſitatiſſimum, pro ῥίπτειν ἢ ἐμβαλεῖν εἰς τάρταρον: quos enim ῥιφθέντας εἰς τάρταρον appellarat *Apollodorus*, etiam (ἀπόδυσι) καταταρταρωθέντας appellat. Unde & apud Nonnum Hiſtoriarum συναγωγία ad S. *Gregorii Nazianzeni Steliteuticon* in *Julianum Emanſorem* habetur, Ζεὺς καταταρταροῖ αὐτὸν (τὸν Κρόνον) μετὰ τῶν Τιτάνων. Simplice pariter verbo uſus eſt Scholiaſta in Æſchyli Eumenides, ipſo initio, Πίνδαρος φησὶ πρὸς βίαν κρατῆσαι Πυθοῦς τὸν Ἀπόλλωνα, διὸ καὶ ταρταρῶσαι ἐζήτει αὐτὸν ἡ γῆ. *Pindarus memorat Apollinem vi Pythonem ſuperaſſe: quocirca Terra illum etiam in Tartarum dejicere ſtuduit.* Et Tzetzes doctiſſimus *Græculus*, in allegoriarum à Moreſlo editarum verſiculo centeſimo nono,

Πῶς ταρταροῖ Ζεὺς τὸν Κρόνον, μοι φασκέτω.

Et verſiculo CCLIX.

Καὶ ταρταρώσιν τοῦ πυκνοβρώτου Κρόνου

ita enim legendum. *Stephanus* ergo *Byzantius* Tartarum definivit, τόπον συνέχοντα τοὺς περὶ Κρόνον. Abunde autem conſtat ex *Græcorum* Patrum ſcriptis, fabuloſos Titanas in principali ſuo faſtigio conſtitutos Angelis reſpondere ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ, priuſquam τὸ ἴδιον οἰκητήριον (ut loquitur S. *Judas*) deſeruerant; iſtamque ἐξέλασιν τῶν Τιτάνων ἐξ Ὀλύμπου, συστοιχεῖν τῇ τῶν ἀγγέλων ἐξελάσει ἐξ οὐρανοῦ. Quo nomine Angeli Mali etiam Τιτανικοὶ ἢ Γιγάντιοι

ιοι

ζοι appellantur apud Origenem, adverſus Celſum libro quarto. Utrique & Angeli in Sacris, & Titanes in profanis literis, Dii dicti, utrique è cœlo ceciderunt, utrique vincti, utrique ταρταρωθέντες. De Angelis S. *Petrus* ὁ θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. Epiſt. II. cap. 2. v. 4. Dixit R. Eleaſarus in Pirke, cap. XIV. והפיל את־סמאל ואת הכת שלו ממקום קדושתן מן השמים *Samaelem autem & copias ejus è cœlo, loco ſancto illorum, dejecit (Deus.) Homerus* de Titanibus *Iliad.* ξ.

----θεοὺς ὀνόμηνεν ἅπαντας
Τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται.

Empedocles Δαίμονας θεηλάτους καὶ οὐρανοπετεῖς dixit apud *Plutarchum*, libro περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Hanc *Titanum* ταρτάρωσιν ſic expoſuit *Ælius Ariſtides* in *Romæ Encomio* (p. 396. τοὺς Τιτᾶνας εἰς τοὺς κατωτάτους μυχοὺς τῆς γῆς ἀπελθεῖν, συνωσθέντας ὑπ' αὐτοῦ τε (Διὸς) καὶ τῶν σὺν αὐτῷ θεῶν. Celſus apud Origenem libro ſexto, Expoſitionem proferens Fabulæ Homericæ, de Materiæ ornatu, ſubdit, Ὅτι τοὺς περὶ αὐτὴν Δαίμονας, ὅσοι ὑβρισταί, τούτους [Ζεὺς] ἀπορρίπτει κολάζων αὐτοὺς τῇ δεῦρο ὁδῷ. Ταῦτα δὲ τὰ Ὁμήρου ἔπη οὕτω νοηθέντα τὸν Φερεκύδην, φησὶν, εἰρηκέναι τὸ, Κείνης δὲ τῆς μοίρας ἔνερθέν ἐστιν ἡ Ταρταρίη μοῖρα· φυλάσσουσι δ' αὐτὴν θυγατέρες Βορέου Ἅρπυιαί τε καὶ Θύελλα, ἔνθα Ζεὺς ἐκβάλλει θεῶν, ὅταν τις ἐξυβρίσῃ. *Quod dæmonas, qui circa materiam verſabantur, quicunque nempe petulantes fuerunt, (Ju-*

piter) abigens huc mittendo punit. Carmina vero illa Homeri (inquit) pariter intellexit Pherecides: cujus verba ſunt, iſtam infra regionem, regio Tartarea eſt: quam cuſtodiunt Boreæ filiæ Harpyiæ & Procella, quo Jupiter deos, ſiquando petulantes, deturbat. Hebræi autem Gehennam ipſam *horribili nimbo ac turbini comparans*; alludentes ad Pſalmi undecimi verſiculum ſeptimum: [Dominus] *in impios tendiculas, ignem, ſulphur, atrocemque ventum depluet; hæc ſors eis exantlanda eſt.* Ad quem locum conſule ſi placet Targumim. Turbines autem & Procellas familiæ Boreali etiam imputavit R. Eleaſarus loco pridem adhibito. In libello Cabalico Chaldaice exarato Medrash Ruth inſcripto, qui Zohari Cremonenſi inſeritur: p. 184. ר חנינא פתח: ויראו בני האלהים עזא ועזאל תרין מלאכין הוו דקטרגו למריהון ואפיל לון קודשא בריך הוא מאתר קדושתהון מעילא: וכד נחתו אתגלימו באוירא ואתעבידו: כבני נשא R. *Chanina infit, Et viderunt filii Dei, &c. Aza & Azael duo Angeli fuerunt, qui accuſarunt Dominum ſuum: atque illos Deus O. M. præcipites egit è loco ſancto ſuo è ſupernis; cumque deſcenderent circumdederunt ſe aere, factique ſunt inſtar hominum.* Sed etiam *Jovem* Fulmini dejeciſſe rebelles illos teſtantur *Græci.* Eam rem facundiſſime expreſſit *Heſiodus* θεογονίᾳ.

Οὐδ' ἄρ ἔτι Ζεὺς ἴσχεν ἑὸν μένος, ἀλλά
νυ τοῦ γε

Εἶθαρ

Εἶθαρ μὲν μένεος πλῶντο φρένες, ἐκ δέ τε πᾶσαν
Φαῖνε βίην, ἄμυδις δ' ἄρ' ἀπ' οὐρανοῦ ἠδ' ἀπ' Ὀλύμπου
Ἀστράπτων ἔστειχε συνωχαδὸν· οἱ δὲ κεραυνοὶ
Ἴκταρ ἅμα βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο
Χειρὸς ἄπο στιβαρῆς. ---——

Itidem *Batrachomyomachias* auctor introducit Martem *Jovi* perſuadentem ut fulmine uti velit, his verbis

——— τὸ σὸν ὅπλον
Κινείσθω μέγα Τιτανοκτόνον, ὀβριμοεργὸν
Ὧι Τιτᾶνας πέφνες.——

Titanas etiam Fulmine dejectos memorat *Apollodorus*, nec quiſquam opinor *Cyclicorum* omiſit. *Virgilius* ab his dixit.

——— *Titania proles,*
Fulmine dejecti, ſundo volvuntur in imo.

Ipſe etiam Chriſtus ad caſum Angelorum alludere videtur dicendo ἐθεώρουν Σατανᾶν, ὡς ἀστραπὴν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. R. *Elcaſarus in Pirke*, cap. VII. memorat Angelos malos à cœlo abactos בשבט של אש *ſceptro igneo*, ceſſiſſe ad locum ſuum. Sceptrum igneum fulmen eſt, quod ὅπλον Τιτανοκτόνον *Homerus* vocavit; quo *Jovis* dextram hone-

honeſtare ſolent *Græci.* *De vinculis Angelorum lapſorum* ſuppoſititius *Enochus* (a quo omnia, quæ de Angelis veteres diverſe locuti ſunt, deſumpta ſunt: ut *Scaliger* recte dixit in notis in Græca *Euſebii)* diſerte meminit, dicendo, Πορεύου Ῥαφαὴλ καὶ δῆσον τὸν Ἐζαὴλ χερσὶ καὶ ποσὶ συμποδίσον αὐτὸν καὶ ἔμβαλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Et, mox etiam, Πορεύου Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιαζᾶν, &c. Zohar in Geneſeos caput II. p. 131. De Angelis Malis

קבה אפיל לין לתתא בשלשל אן ואינון עזא ועזאל המניהו נשמתהון דערב רב

Deus O. M. eos ad inferiora præcipites egit, concatenatos, Illi autem ſunt Aza & Azael; à quibus traducta eſt anima illorum, qui erant ex multitudine promiſcua. Capellus Exercitationis ſuæ ad hanc Zoaris locum pag. 244. & 271. (connectitur cum Diarriba de Literis Ebræorum) verba ultima ערב רב de *veſpera magna* accepit, nullo ſenſu. Quæque ſubinde adhibuit ad ſtabiliendam iſtam verſionem non ſunt caſſæ nucis. Nimirum Moſes memorat ערב רב *promiſcuam multitudinem* cum Iſraelitis Ægypto exceſſiſſe, Exodi c. XII. v. 38. Judæi enim perhibent ingentem vim *proſelytarum* fuiſſe, qui, Moſaicis miraculis victi, addixiſſent ſe deinceps religioni Judaicæ, cumque illis una Ægypto exibant. Advenas illos ducentas quadraginta myriadas confeciſſe, teſtatur Jonathan Paraphraſta ad locum. Atque in denis illis nefariis tentationibus, (in Vitulo Aureo conflando & reliquis) quibus Dominus in deſerto commotus eſt, primas ſemper partes hiſce Proſelytis tribuunt Rabbini; dicuntur ergo illi

illi animas traduxiſſe ab *Aza* & *Azaele*, quos iidem Rabbini principes rebellium Angelorum faciunt: qui in Geneſeos VI. שמחזאי ועזאל הינון נפילין מן שמיא *Shamchazai* & *Uziel*, *qui ceciderunt e cœlo*, Jonathani dicuntur. Legendum videtur שמעזאי ועזיאל. Ut autem demus gutturalium ח & ע per mutationem in voce prima; ſaltem ו ſuperfluum erit in ſecunda. Alcoranus etiam de dæmonibus في الاصفاد *in vinculis* meminit. Quæ cum ita ſint, nihil mirum ſi Apoſtolus *Petrus* hic uſus ſit voce ΤΑΡΤΑΡΩΣΑΣ ad exprimendam diram illam dejectorum Angelorum ſortem: cum nullibi totius *Græciſmi* occurreret vox aptior; utpote quam in eodem argumento (quamlibet fabuloſis larvis, ut ſit, vitiato) *Græculi* tralatitiam feciſſent.

Quod autem Gehenna ſive Tartarus & *Hebræorum* & *Græcorum* plebiſcito ſubter Terram vel etiam ſubter Aquas ſtatuatur; id eſſe popularis πραττείας figmentum abunde docuit totius orbis πελ'πλως, quem jamdudum magnanimi Semones citra novum ullum regni Tartarei proſpectum confecerunt. Sed & ipſe Servius *Antipodum* ſuſpicione commotus, jampridem docuit omnia, quæ divinus Poeta de Tartaro cecinerat, his ipſis in terris peragi. Idem ſenſiſſe *Julianum* τ̃ ὑπερβάτην ex Solis Hymno (pag. 10.) plane conſtat. Ipſe *Clemens*, centonum III, Angelorum lapſum putavit ſe ſatis belle conſignaſſe, dicendo, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν, id eſt, *cœlitus huc deciderunt*. Et Celſus ipſe (pridem citatus) dixit, δαίμονας ὑβερ-

ςάς

σαῖς τῇ δολερᾷ ὁδῷ κολάζεσθαι. Sed & eidem Origeni Δαίμονες ἐπὶ γῆς καλινδούμενοι dicuntur. Idem ſentire Cabalicos, Pythagoreos, & ab his etiam Academicos alibi fuſius dicendi locus erit. Academicorum ſententiam plane expreſſit *Olympiodorus* in Meteora *Ariſtotelis* loco ſuperius adhibito. Enimvero compages memorata, qua mundo Tentorii forma tribuitur, nihil ſolidi exhibere videtur, præterquam quod Deo locum ſummum ac maxime luculentum tribuens, extorres Angelos & perditas mortalium mentes ad ultimas tenebras, tanquam in maxime longinquum exilium mittat. Inter autem Summum atque Infimum plurimos animalium gradus intercedere ſtatuunt;

Ne regio foret ulla ſuis animalibus orba.

ut *Ovidius* extulit. Ὡς μηδὲν κόσμου μέρος ψυχῆς ἄμοιρον εἶναι, ut loquitur *Alcinous* cap. v. Sicuti nos autem in piſcium elemento degere nequiremus, ita illi noſtri aeris tenuitatem refugiunt: at nos ipſi ſuperiorem aeris puriorem-que regionem tolerare non poſſemus; ſunt autem animalia, quæ puriſſimum aerem tolerantia, ætherem quamlibet infimum non ferrent, atque ita porro. *Platonicis* iſtos utcunque gradus ſuggeſſiſſe videatur *Socrates* in *Phædone*. Utrique autem & *Hebræi* & *Græci* Deum *actum ſive formam puram* in ſummis ſtatuunt; *Materiam* autem *informem* in imis: Intermediis vero naturis ſingulis ſuam materiam tribuunt, puriorem vel ſecus, pro gradu quem obtinent; ita ut ne ſummus quidem ordo, ſecundum Deum,

Deum, materiæ purus ſit. Ejus rei indolem ſic ergo expreſſit Magnus Origenes, περὶ ἀρχῶν lib. II. cap. II. prope finem, *Materialis ſubſtantia hujus mundi; habens naturam quæ ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quouſque trahitur, in craſſiorem corporis ſtatum, ſolidioremque formatur, ita ut viſibiles iſtas mundi ſpecies variaſque diſtinguat: Cum vero perfectioribus miniſtrat & beatioribus, in fulgore cæleſtium corporum micat, & ſpiritualis corporis indumentis, vel angelos Dei, vel filios reſurrectionis exornat: ex quibus omnibus diverſus ac varius mundi complebitur ſtatus.* כל מה שנמשך מאת השם מיד נתהוה המר *Quodcunque à Deo recedit è veſtigo in materiam faceſſit*, ut ſciſcunt Cabalici. Origenes libro ſecundo περὶ ἀρχῶν cap. II. *Solius Trinitatis incorporea vita exiſtere recte putabitur.* Libro primo cap. VI. *Solius Dei, i. e. Patris & Filii & Spiritus Sancti naturæ id proprium eſt, ut ſine materiali ſubſtantia, & abſque ulla corporæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere.* Angelos etiam corporea munera obiiſſe volunt Rabbini, Apocrypha Enochi, & patres Chriſtiani. Etiam Angeli Alcoranici Surat. II. هاروت وماروت *Harut* & *Marut*, quos creavit Mohammedes, ſimilia patrarunt. Geniorum vero corpora מן האב והאויר *ex igne vel aëre* conflant *Hebræi*; abutentes verbis *Pſalmi* CIV. v. 4. *Faciens angelos ſuos ſpiritus; miniſtros ſuos flammam ignis.* Quæ *Dionyſius*, *Nazianzenus*, *Baſilius* (libro de Spiritu S. ad *Amphilochium Epiſcopum Iconii*, cap. 16.)

πολλάκις γὰρ πολλοί εἰσιν, recte exponit. Aereæ hujus δυναστείας Principem *Samaelem* faciunt RR. ut pridem commemini. *Samaelem* autem *Satanam*, id eſt Inimicum, per Eminentiam dici docet *Rambam* in More. Is diſerte dicitur ראשן של שטנין *Princeps Satanarum*; *S. Paulo* ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *Epheſ.* II. 2. Adverſus aëreos hoſce graſſatores compoſitum fuiſſe Pſalmum XCI. dicunt RR. ejuſque bonam partem ſub nomine שיר של פגעים *Cantici ſpectrorum* citavit *Rambam* in *More*, parte III. cap. LI fol. CLXXII. p. 1. quod nomen etiam in *Talmude Hieroſolymitano* occurrit, Codice Schabbat fol. 8. pag. 2.

Græci etiam *Ætheris* atque *Aëris* διακόσμησιν non abſimiliter abſolvunt; omnibuſque Geniis ſua corpora tribuunt non tantum Academici, qui ζῶα familiariter compellant; verum & ipſe *Ariſtoteles* Metaphyſ. lib. V. cap. 8. Οὐσία λέγεται τά τε ἁπλᾶ σώματα, οἷον γῆ, καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ ὅσα τοιαῦτα· καὶ ὅλως σώματα, καὶ τὰ ἐκ τούτων συνεστῶτα ζῶά τε καὶ δαιμόνια, καὶ τὰ μόρια τούτων. Superioribus Geniis corpora Ignea (ut *Hebræi*) tribuunt; quocirca θεοὺς πυρίνους indigitavit *Plato*. Reliquis Corpora *Aërea* donant. Proclus ad Heſiodeum de Dæmonibus

Ἠέρα ἑσσάμενοι, - - - -

inquit id dici διὰ τὸ τὰ σώματα αὐτῶν ἀέρια εἶναι κατὰ τὴν σύστασιν, ὥσπερ τὰ τῶν θεῶν ἐμπύρια, καὶ τὰ ἡμέτερα χθόνια. *Propterea quod corpora illorum aëreæ conſiſtentiæ ſint, ſicuti deorum corpora ignea ſunt,*

noſtra

noſtra terrena. Non eſt hic locus quid Diis, Dæmonibus ac animabus interſit, pluribus στενολεσχεῖν· neque ſingillatim perſtringam κοσμοκράτορας τῆς πονηρίας, πλανάρχας καὶ λογοθέτας καὶ πρακτοψηφιστὰς τοῦ ἀέρος ut *Cyrillus* diſtinguit. Neque vero libet repetere quæ *Jamblichus* MS. & ſequiores *Græci* de his à Chriſtianis furati ſunt. Hoc ſaltem notabo ex Pſello, Univerſam Dæmonum gentem in ſublunaribus verſari; ſuperioreſque Dæmones περὶ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀέρα περιπολεῖν· τῶν γὰρ περὶ σελήνης τόπων, ὡς ἱεροῦ τι βέβηλον, ἀπεληλάσθαι δαιμόνιον πᾶν. *In aëre qui ſupra nos eſt verſari: è locis enim Lunæ finitimis, tanquam profanum à ſacro, penitus exulare dæmonium omne.* Secundus Dæmonum ordo τὸ περὶ τὸν προσεχέστατον ἡμῖν ἀέρα πλαζόμενον, ὃ καὶ καλεῖται, παρὰ πολλοῖς ἰδίως ἀέριον· mox, recenſitis etiam Dæmonibus Terreſtribus, Aquatilibus, Subterraneis & Lucifugis, inquit Pſellus, εἶναι δὲ πάντα ταῦτα τὰ δαιμόνων θεομισῆ καὶ ἀνθρώποις πολέμια, πλὴν εἶναι κακοῦ φασὶ κάκιον, τὸ γὰρ ὑδραῖόν τε καὶ ὑποχθόνιον, ἔτι δὲ καὶ τὸ μισοφαὲς, ἐσχάτως ἐπιχαιρέκακα καὶ ὀλέθρια. Dæmonum autem Corpora quamlibet ſubtilia, atque oculorum aciem fugientia, ſunt tamen materialia patiliaque: ſic enim *Pſellus*, Τὰ δὲ δαιμόνια σώματα, κἂν ὑπὸ λεπτότητος ἀφανῆ καθέστηκεν, ἀλλ' ὅμως ἔνυλά πη, καὶ ἐμπαθῆ· καὶ μάλιστα ὅσα τοὺς ὑπὸ γῆν ὑποδέδυκε τόπους· ταῦτα γὰρ παχυτέραν ἔχει τὴν σύστασιν ὡς καὶ ἁφαῖς ὑποπίπτειν, καὶ πληττόμενα ὀδυνᾶσθαι, καὶ πυρὶ προσομιλήσαντα καίεσθαι, ὡς καὶ ἔνια τούτων ἀπολιπεῖν τέφραν. *Dæmonum corpora, tametſi præ tenuitate minime compareant, materiæ tamen aliquatenus participia ſunt, patiliaque: illa præſertim quæ in locis ſubterraneis verſantur, talium enim craſſities ipſa palpabilia præſtat, ac percuſſa dolere, ignique accedentia comburi, ita*

cap. III. Πάντες γὰρ τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι καὶ Βάρβαροι καὶ Ἕλληνες. ὅσοι περ εἶναι νομίζουσι θεούς, δηλονότι, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον· ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. Itidem auctor libri de Mundo (ſive *Nicolaus Damaſcenus* ut *Petrus Victorius* cenſuit, ſive quis alius) obſervat etiam ideo univerſim obtinere ut vota concipientes manus ad cœlum tendant: ἐπιμαρτυρεῖ δὲ ὁ βίος ἅπας, τὴν ἄνω χώραν ἀποδοὺς θεῷ· καὶ γὰρ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. Galeno (oratione ultima *De Partium in corpore humano uſu.*) Ille opifex rerum, ὁ κατὰ τὸν οὐρανὸν νοῦς, dicitur. *Poſidonius* ergo jure cœlum τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ Κόσμου dixit. *Plato* in *Phædro*, Divino Numini *ſupercæleſtem locum tribuit, quem nullus adhuc poetarum Græcorum celebravit aut unquam ſit digne celebraturus.* Τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον (inquit) οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητής, οὔτε ποθ' ὑμνήσει κατ' ἀξίαν. Quod Plato de poetis, RR. de Prophetis dicunt כל הנביאים כולם לא נתנבאו אלא לימות המשיח אבל העולם הבא עין לא ראתה וגו *Omnes univerſim prophetæ non niſi de diebus Meſſiæ cecinerunt: quod autem ad Ævum Futurum, Oculus non vidit,* &c. ut ex veteribus citat Maimonides ad caput Chelek. Quod autem ad Platonis τόπον ὑπερουράνιον attinet, etiam ipſe Chriſtus in noſtris literis dicitur adſcendiſſe ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *Epheſ.* IV. v. 10.

E regione vero etiam *Græci* τὸν ᾅδην, (ut vidimus) utpote univerſi fœcem (ὑποστάθμην Plato dixit, Syneſius ὧν τρύγα κόσμου) in ultimis habentes, Tartarum ejus *Imum fundum* faciunt. *Homerus* Iliade θ'.

H

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι
βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐ-
δὸς,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ
γαίης.

Quem ultimum verſiculum, more ſuo exponit *Heſiodus* Θεογονίᾳ,

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ
γαίης.

Ad quem Poetæ locum reſpexit *Lucretius* lib. IV. in iſtis.

Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus.

Virgilius ſic expreſſit,

——— *Tum Tartarus ipſe*
Bis patet in præceps, tantum tenditque ſub
umbras,
Quantus ad æthereum cæli ſuſpectus Olympum.

Æneide VI. Tartarus Ἀΐδεω δνιὸς μυχὸς Anacreonti dicitur. Orpheus apud Proclum Τάρταρος, πυ-

Digitized by Google

πυμάτην βάσιν vocat. Regiam ergo Divinam (quam *Hebræi cœlum cœlorum* vocant,) à Tartaro, tota univerſi diametro ſecernunt. Quocirca cœlo ſummam lucem tribuentes, Tartarum *τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον* *extremas illas Tenebras* vocant, quod inde longiſſimo intervallo diſtet: Quandoquidem Tenebræ ſimpliciter, nullibi ſunt, niſi in Conis planetarum nocturnis. Inque hunc imum carcerem mittuntur profligatæ mentes *αἰωνίῳ ἐξορίᾳ* multatæ, ut loquitur *Cyrillus* libro de exitu animæ. Etiam Mohammedi

الجنة في جهة العلو والنار في جهة السفل *Paradiſus in regione ſuprema, Ignis autem* (Gehennalis) *in regione infima.*

SECT. XIII.

De *Angelorum Tartaroſi* apud S. *Petrum*.

Voces καταρταρῶν & ταρταρῶν ubinam occurrant & quid ſignificent. Titanum *dejectionem iſti* Angelorum *συστοιχεῖν*. Græci *&* Hebræi *quid de utrorumque lapſu ſcripſerunt. Unde conſtet quam ſcita vox ſit ταρτάρωσις apud* S. Petrum. *Nimis populariter locutos eſſe* Hebræos *&* Græcos *Mundo Tentorii formam tribuendo. Quid iſta ſententia contineat veri. Gradus varios dari animalium*

malium inter ſummum & imum. Deum *tantum* Materiæ *purum eſſe. Angelis tribui corpora ex igne vel aëre ab* Hebræis. *Iiſdem Angelos impuros ac delatores aereos tractus occupare. Itidem per omnia ſentire* Græcos. *Expoſitio loci apud S.* Petrum, *corollarii vice.*

AB hac autem Tartari voce, ταρταροῦν verbum quin veniat nemo ambigit; unde & καταταρταρῶν apud *Apollodorum* in Bibliotheca. Fuit autem iſte *Apollodorus*, teſte *Heraclida Pontico*, ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινὸς, *ſcriptor celebratiſſimus A. Gellio*; habeturque *Ptolemæo Philometori* coævus, *Athenienſis*, *Aſclepiadæ* filius, *Panætii Rhodii* & *Ariſtarchi* Grammatici (iſtius qui tantum ſibi in *Homero* permiſit) diſcipulus; in iſto autem *Apollodori* libro in Centimanorum & Titanum hiſtoria aliquoties occurrit καταταρταρῶν. Eandem tunc etiam tibi vocem oſtendi, in Adverſariis meis relatam, reperiri in hiſtoria, quam ex *Euphorione* *(poeta *Chalcidenſi*, quem expreſſit *Corn. Gallus*) citant vetera in *Homerum* Scholia, quæ vulgo *Didymo* χαλκεντέρῳ ſive Tarrhæo tribuuntur. Ea ſic habent, Ζεὺς τὸν μὲν, Εὐρυμέδοντα καταταρτάρωσε, καὶ τὰ ἑξῆς. in *Iliada* ξ΄, pag. 235. edit. *Aldinæ*. *Parthenius* (ut cenſet *Janus Cornarius* in Epiſtola præfixa operibus *Marcelli Empirici*) vel quiſquis auctor libri περὶ ποταμῶν, qui in operibus *Plutarchi* habetur, ſic habet, Ζεὺς ἐπιφανεὶς, τὸν μὲν πατέρα, δήσας πλεκτῇ σειρᾷ, καταταρτάρωσε. *Phurnuthus* libro de natura Deorum, De *Saturno*, Ζεὺς, ἐκβαλὼν αὐτὸν

αὐτὸν τῆς βασιλείας, καταταρταρῶσαι. Eſt quidem iſta fabula ubi ubi occurrit, verbum ipſum καταταρταρῦν plane uſitatiſſimum, pro ῥίπτειν ἢ ἐμβαλεῖν εἰς τάρταρον: quos enim ῥιφθέντας εἰς τάρταρον appellarat *Apollodorus*, etiam (ἀπῳδῶν) καταταρταρωθέντας appellat. Unde & apud Nonnum Hiſtoriarum συναγωγίᾳ ad S. *Gregorii Nazianzeni Steliteuticon in Julianum Emanſorem* habetur, Ζεὺς καταταρταρoῖ αὐτὸν (τὸν Κρόνον) μετὰ τῶν Τιτάνων. Simplice pariter verbo uſus eſt Scholiaſta in Æſchyli Eumenides, ipſo initio, Πίνδαρος φησὶ περὶ βίαν κρατῆσαι Πυθοῦς τὸν Ἀπόλλωνα, διὸ καὶ ταρταρῶσαι ἐζήτει αὐτὸν ἡ γῆ. *Pindarus memorat Apollinem vi Pythonem ſuperaſſe: quocirca Terra illum etiam in Tartarum dejicere ſtuduit.* Et Tzetzes doctiſſimus *Græculus*, in allegoriarum à Morello editarum verſiculo centeſimo nono,

Πῶς ταρταροῖ Ζεὺς τὸν Κρόνον, μοι φασκέτω.

Et verſiculo CCLIX.

Καὶ ταρταρῶσιν τοῦ πυκνοβρώτου Κρόνου.

ita enim legendum. *Stephanus* ergo *Byzantius* Tartarum definivit, τόπον συνέχοντα τοὺς περὶ Κρόνον. Abunde autem conſtat ex *Græcorum* Patrum ſcriptis, fabuloſos Titanas in principali ſuo faſtigio conſtitutos Angelis reſpondere ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ, priuſquam τὸ ἴδιον οἰκητήριον (ut loquitur S. *Judas*) deſeruerant; iſtamque ἐξέλασιν τῶν Τιτάνων ἐξ Ὀλύμπου, συστοιχεῖν τῇ τῶν ἀγγέλων ἐξελάσει ἐξ οὐρανοῦ. Quo nomine Angeli Mali etiam Τιτανικοὶ ἢ Γιγάντιοι

ζοι appellantur apud Origenem, adverſus Celſum libro quarto. Utrique & Angeli in Sacris, & Titanes in profanis literis, Dii dicti, utrique è cœlo ceciderunt, utrique vincti, utrique ταρταρωθέντες. De Angelis S. *Petrus* ὁ θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. Epiſt. II. cap. 2. v. 4. Dixit R. Eleaſarus in Pirke, cap. XIV. והפיל את־סמאל ואת הכת שלו ממקום קדושתן מן השמים *Samaelem autem & copias ejus è cœlo, loco ſancto illorum, dejecit* (*Deus.*) *Homerus* de Titanibus *Iliad.* ξ'.

---- θεοὺς ὀνόμηνεν ἅπαντας
Τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται.

Empedocles Δαίμονας θεηλάτους καὶ οὐρανοπετεῖς dixit apud *Plutarchum*, libro περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Hanc *Titanum* ταρτάρωσιν ſic expoſuit *Ælius Ariſtides* in *Romæ Encomio* (p. 396. τοὺς Τιτᾶνας εἰς τοὺς κατωτάτους μυχοὺς τῆς γῆς ἀπελθεῖν, συνωσθέντας ὑπ' αὐτοῦ τε (Διὸς) καὶ τῶν σὺν αὐτῷ θεῶν. Celſus apud Origenem libro ſexto, Expoſitionem proferens Fabulæ Homericæ, de Materiæ ornatu, ſubdit, Ὅτι τοὺς περὶ αὐτὴν Δαίμονας, ὅσοι ὑβρισταί, τούτους [Ζεὺς] ἀπορρίπτει κολάζων αὐτοὺς τῇ δεῦρο ὁδῷ. Ταῦτα δὲ τὰ Ὁμήρου ἔπη οὕτω νοηθέντα τὸν Φερεκύδην, φησίν, εἰρηκέναι τὸ, Κείνης δὲ τῆς μοίρας ἔνερθέν ἐστιν ἡ Ταρταρείη μοῖρα· φυλάσσουσι δ' αὐτὴν θυγατέρες Βορέου Ἅρπυιαί τε καὶ Θύελλα, ἔνθα Ζεὺς ἐκβάλλει θεῶν, ὅταν τις ἐξυβρίσῃ. *Quod dæmonas, qui circa materiam verſabantur, quicunque nempe petulantes fuerunt, (Jupiter)*

piter) abigens huc mittendo punit. Carmina vero illa Homeri (inquit) pariter intellexit Pherecides: cujus verba ſunt, iſtam infra regionem, regio Tartarea eſt: quam cuſtodiunt Boreæ filiæ Harpyiæ & Procella, quo Jupiter deos, ſiquando petulantes, deturbat. Hebræi autem Gehennam ipſam *horribili nimbo ac turbini comparant*; alludentes ad Pſalmi undecimi verſiculum ſeptimum: [Dominus] *in impios tendiculas, ignem, ſulphur, atrocemque ventum depluet; hæc ſors eis exantlanda eſt.* Ad quem locum conſule ſi placet Targumim. Turbines autem & Procellas familiæ Boreali etiam imputavit R. Eleaſarus loco pridem adhibito. In libello Cabalico Chaldaice exarato Medrash Ruth inſcripto, qui Zohari Cremonenſi inſeritur: p. 184. ר חנינא פתח : ויראו בני האלהים עזא ועזאל תרין מלאכין הוו דקטרגו למריהון ואפיל לון קודשא בריך הוא מאתר קדושתהון מעילא : וכד נחתו אתגלימו באוירא ואתעבידו : כבני נשא *R. Chanina infit, Et viderunt filii Dei, &c. Aza & Azael duo Angeli fuerunt, qui accuſarunt Dominum ſuum: atque illos Deus O. M. præcipites egit è loco ſancto ſuo è ſupernis; cumque deſcenderent circumdederunt ſe aere, factique ſunt inſtar hominum.* Sed etiam *Jovem* Fulmini dejeciſſe rebelles illos teſtantur *Græci.* Eam rem facundiſſime expreſſit *Heſiodus* Θεογονίᾳ.

Οὐδ' ἄρ ἔτι Ζεὺς ἴσχεν ἑὸν μένος, ἀλλά
νυ τοῦ γε

Εἶθαρ

Εἶθαρ μὲν μένεος πλῆτο φρένες, ἐκ δέ τε πᾶσαν
Φαῖνε βίην, ἄμυδις δ᾽ ἄρ ἀπ᾽ οὐρανοῦ ἠδ᾽ ἀπ᾽ Ὀλύμπου
Ἀστράπτων ἔστειχε συνωχαδὸν οἱ δὲ κεραυνοὶ
Ἴκταρ ἅμα βροντῇ τε καὶ ἀστεροπῇ ποτέοντο
Χειρὸς ἀπὸ στιβαρῆς. ---——

Itidem *Batrachomyomachias* auctor introducit Martem *Jovi* perſuadentem ut fulmine uti velit, his verbis

——— τὸ σὸν ὅπλον
Κινείσθω μέγα Τιτανοκτόνον, ὀβριμοεργὸν
Ὧι Τιτᾶνας πέφνες.——

Titanas etiam Fulmine dejectos memorat *Apollodorus*, nec quiſquam opinor *Cyclicorum* omiſit. *Virgilius* ab his dixit.

——— *Titania proles,*
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Ipſe etiam Chriſtus ad caſum Angelorum alludere videtur dicendo ἐθεώρουν Σατανᾶν, ὡς ἀστραπὴν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. R. *Eleaſarus in Pirke*, cap. VII. memorat Angelos malos à cœlo abactos בשבט של אש *ſceptro igneo*, ceſſiſſe ad locum ſuum. Sceptrum igneum fulmen eſt, quod ὅπλον Τιτανοκτόνον *Homerus* vocavit; quo *Jovis* dextram hone-

honeſtare ſolent *Græci. De vinculis Angelorum lapſorum* ſuppoſititius *Enochus* (a quo omnia, quæ de Angelis veteres diverſe locuti ſunt, deſumpta ſunt: ut *Scaliger* recte dixit in notis in Græca *Euſebii)* diſerte meminit, dicendo, Πορεύου Ῥαφαὴλ καὶ δῆσον τὸν Ἐξαὴλ χερσὶ καὶ ποσὶ συμπόδισον αὐτὸν καὶ ἔμβαλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Et, mox etiam, Πορεύου Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιαζᾶν, &c. Zohar in Geneſeos caput II. p. 131. De Angelis Malis

קבה אפיל לין לתתא בשלשל אן ואינון עזא ועזאל המניהו נשמתהון דערב רב

Deus O. M. eos ad inferiora præcipites egit, concatenatos, Illi autem ſunt Aza & Azael; à quibus traducta eſt anima illorum, qui erant ex multitudine promiſcua. Capellus Exercitationis ſuæ ad hanc Zoaris locum pag. 244. & 271. (connectitur cum Diarriba de Literis Ebræorum) verba ultima ערב רב de *veſpera magna* accepit, nullo ſenſu. Quæque ſubinde adhibuit ad ſtabiliendam iſtam verſionem non ſunt caſſæ nucis. Nimirum Moſes memorat ערב רב *promiſcuam multitudinem* cum Iſraelitis Ægypto exceſſiſſe, Exodi c. XII. v. 38. Judæi enim perhibent ingentem vim *proſelytarum* fuiſſe, qui, Moſaicis miraculis victi, addixiſſent ſe deinceps religioni Judaicæ, cumque illis una Ægypto exibant. Advenas illos ducentas quadraginta myriadas confeciſſe, teſtatur Jonathan Paraphraſta ad locum. Atque in denis illis nefariis tentationibus, (in Vitulo Aureo conflando & reliquis) quibus Dominus in deſerto commotus eſt, primas ſemper partes hiſce Proſelytis tribuunt Rabbini; dicuntur ergo illi

illi animas traduxiſſe ab *Aza* & *Azaele* , quos iidem Rabbini principes rebellium Angelorum faciunt: qui in Geneſeos VI. שמחזאי ועזאל הינון נפילין מן שמיא *Shamchazai* & *Uziel* ; *qui ceciderunt e cœlo* , Jonathani dicuntur. Legendum videtur שמעזאי ועזיאל Ut autem demus gutturalium ח & ע per mutationem in voce prima; ſaltem ו ſuperfluum erit in ſecunda. Alcoranus etiam de dæmonibus في الاصفاد *in vinculis* meminit. Quæ cum ita ſint , nihil mirum ſi Apoſtolus *Petrus* hic uſus ſit voce ΤΑΡΤΑΡΩΣΑΣ ad exprimendam diram illam dejectorum Angelorum ſortem : cum nullibi totius *Græciſmi* occurreret vox aptior; utpote quam in eodem argumento [quamlibet fabuloſis larvis, ut fit, vitiato) *Græculi* tralatitiam feciſſent.

Quod autem Gehenna ſive Tartarus & *Hebræorum* & *Græcorum* plebiſcito ſubter Terram vel etiam ſubter Aquas ſtatuatur; id eſſe popularis τερατείας figmentum abunde docuit totius orbis περίπλους, quem jamdudum magnanimi Semones citra novum ullum regni Tartarei proſpectum confecerunt. Sed & ipſe Servius *Antipodum* ſuſpicione commotus , jampridem docuit omnia , quæ divinus Poeta de Tartaro cecinerat , his ipſis in terris peragi. Idem ſenſiſſe *Julianum* τὸν παραβάτην ex Solis Hymno (pag. 10.) plane conſtat. Ipſe *Clemens* , centonum III , Angelorum lapſum putavit ſe ſatis belle conſignaſſe, dicendo , οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν , id eſt , *cœlitus huc deciderunt*. Et Celſus ipſe (pridem citatus) dixit , δαίμονας ὑβρι-

ςάς

σοὺς τῇ δόξῃ οὐδ' ἐγκαλάζειν. Sed & eidem Origeni Δαίμονες ἐπὶ γῆς καλινδούμενοι dicuntur. Idem ſentire Cabalicos, Pythagoreos, & ab his etiam Academicos alibi fuſius dicendi locus erit. Academicorum ſententiam plane expreſſit *Olympiodorus* in Meteora *Ariſtotelis* loco ſuperius adhibito. Enimvero compages memorata, qua mundo Tentorii forma tribuitur, nihil ſolidi exhibere videtur, præterquam quod Deo locum ſummum ac maxime luculentum tribuens, extorres Angelos & perditas mortalium mentes ad ultimas tenebras, tanquam in maxime longinquum exilium mittat. Inter autem Summum atque Infimum plurimos animalium gradus intercedere ſtatuunt;

Ne regio foret ulla ſuis animalibus orba.

ut *Ovidius* extulit. Ὡς μηδὲν κόσμου μέρος ψυχῆς ἄμοιρον εἶναι, ut loquitur *Alcinous* cap. v. Sicuti nos autem in piſcium elemento degere nequiremus, ita illi noſtri aeris tenuitatem refugiunt: at nos ipſi ſuperiorem aeris puriorem que regionem tolerare non poſſemus; ſunt autem animalia, quæ puriſſimum aerem tolerantia, ætherem quamlibet infimum non ferrent, atque ita porro, *Platonicis* iſtos utcunque gradus ſuggeſſiſſe videatur *Socrates* in *Phædone*. Utrique autem & *Hebræi* & *Græci* Deum *actum ſive formam puram* in ſummis ſtatuunt; *Materiam* autem *informem* in imis: Intermediis vero naturis ſingulis ſuam materiam tribuunt, puriorem vel ſecus, pro gradu quem obtinent; ita ut ne ſummus quidem ordo, ſecundum Deum,

Deum, materiæ purus ſit. Ejus rei indolem ſic ergo expreſſit Magnus Origenes, περὶ ἀρχῶν lib. II. cap. II. prope finem, *Materialis ſubſtantia hujus mundi; habens naturam quæ ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quouſque trahitur, in craſſiorem corporis ſtatum, ſolidioremque formatur, ita ut viſibiles iſtas mundi ſpecies variaſque diſtinguat: Cum vero perfectioribus miniſtrat & beatioribus, in fulgore cœleſtium corporum micat, & ſpiritualis corporis indumentis, vel angelos Dei, vel filios reſurrectionis exornat: ex quibus omnibus diverſus ac varius mundi complebitur ſtatus.* כל מה שנמשך מאת השם מיד נתהוה חמר *Quodcunque à Deo recedit è veſtigo in materiam faceſſit*, ut ſciſcunt Cabalici. Origenes libro ſecundo περὶ ἀρχῶν cap. II. *Solius Trinitatis incorporea vita exiſtere recte putabitur.* Libro primo cap. VI. *Solius Dei, i. e. Patris & Filii & Spirius Sancti naturæ id proprium eſt, ut ſine materiali ſubſtantia, & abſque ulla corporæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere.* Angelos etiam corporea munera obiiſſe volunt Rabbini, Apocrypha Enochi, & patres Chriſtiani. Etiam Angeli Alcoranici Surat. II. هاروت وماروت *Harut & Marut*, quos creavit Mohammedes, ſimilia patrarunt. Geniorum vero corpora מן האש והאויר *ex igne vel aëre* conſtant *Hebræi*; abutentes verbis *Pſalmi* CIV. v. 4. *Faciens angelos ſuos ſpiritus; miniſtros ſuos flammam ignis.* Quæ *Dionyſius, Nazianzenus, Baſilius* (libro de Spiritu S. ad *Amphilochium Epiſcopum Iconii*, cap. 16.)

16.) pariter exponunt. Idem etiam ſenſerunt S. *Juſtinus*, *Tatianus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes* aliique: Ordinibus Cœleſtibus *ſex alas, atque corpora ignea* tribuentes, deſignant τὸ ἀεικίνητον αὐτῶν περὶ τὰ θεῖα, καὶ ἀκατάληκτον, καὶ τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ὀξὺ, καὶ ὑπερζέον τῆς προσεχοῦς καὶ ἀνενδότου καὶ ἀκλινοῦς ἀεικινησίας, ut loquitur *Dionyſius*.

Cabalicorum eſt, כל מלאך שיש לו שש כנפים אינו משתנה *Nullus angelus habens ſex alas unquam transformatur.* Exiſtimant autem transformationem poſſe competere utriſque Hierarchiis inferioribus, quibus *corpora aërea* atque univerſa ſpatia à cœlo uſque ad nos tribuere ſolent. Sed & *Græci* Geniis aeriis, Dæmonibus atque Heroibus, ſimiles transformationes viciſſim adſcribunt. Corpora his autem *aerea* tribuunt *Hebræi* propter ἀνεμιαίαν ἐπωνυμίαν (ut loquitur *Dionyſius*) quam *Pſaltes* loco memorato iis impertit, dicendo, *Faciens angelos ſpiritus, vel ventos.* R. *Joſeph in Shaare Orah*, בי מן הארץ ועד הרקיע אין שם מקום פנוי אלא הכל מלא המונים מהם טהורים בהם מעלי חסד ורחמים ויש למטה כמה בריאות טמאות סזיקות ומקטרגות וכלם עומדים ופורחים באויר ואין מן הארץ ועד הרקיע מקום פנוי אלא הכל המונים מהם לשלום מהם למלחמה מהם לטובה מהם לרעה מהם לחיים מהם למות וכל זה במדור התחתון שאנו בו *A terra uſque ad cœlum nullus locus vacat, ſed univerſus multitu-*

titudinibus (vel ſpectris) *repletur: ex quibus aliquæ puræ ſunt, ac clementia benevolentiaque prædita. Sunt autem Inferius multæ creaturæ impuræ, noxiæ ac delatrices. Omnes autem ſtabulantur, volitantque in aëre, ita ut nullus locus à terra uſque ad cœlum vacet, quin totus multitudinibus* occupetur. *Aliis ex illis ad pacem, aliis ad bellum, aliis ad bonum, aliis ad malum; aliis ad vitam, aliis ad mortem* inſtigantibus: *atque id omne hoc ipſo in orbe Inferiore, in quo nos ſumus*, tranſigitur. Vides hic Angelos impuros, ac delatores in aere Inferiore ſtabulari. Iſti Angeli apud Talmudicos שטנים *Satanæ*, vel מלאכי הבלה *angeli corruptores* dicuntur. Horum magnam vim eſſe oportet, cum centum *octoginta quatuor myriades*, in una re occupatæ, totidem *Iſraëlitas*, pro *Moſe* ſupplicare nitentes ſuffocarunt; memorante Auctore vitæ *Moſaicæ*, fol. 54. pag. 1. Sed & noſtræ literæ unicum homuncionem *Legione* integra obſeſſum oſtendunt. Maximus Tyrius, Diſſertatione XXVI, inquit, Πολλὴ δὲ ἡ δαιμόνων ἀγέλη,

Τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς πρόπολοι.

Heſiodus habet Ζηνὸς φύλακες, Moſchopulus illud

Τρὶς γὰρ μύριοι - - - -

πολλάκις γὰρ πολλοί εἰσιν, recte exponit. Aereæ hujus δυναστείας Principem *Samaelem* faciunt RR. ut pridem commemini. *Samaelem* autem *Satanam*, id eſt Inimicum, per Eminentiam dici docet *Rambam* in More. Is diſerte dicitur ראשן של שטנין *Princeps Satanarum*; *S. Paulo* ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *Epheſ.* II. 2. Adverſus aëreos hoſce graſſatores compoſitum fuiſſe Pſalmum XCI. dicunt RR. ejuſque bonam partem ſub nomine שיר של פגעים *Cantici ſpectrorum* citavit *Rambam* in *More*, parte III. cap. LI fol. CLXXII. p. 1. quod nomen etiam in *Talmude Hieroſolymitano* occurrit, Codice Schabbat fol. 8. pag. 2.

Græci etiam *Ætheris* atque *Aëris* διακόσμησιν non abſimiliter abſolvunt; omnibuſque Geniis ſua corpora tribuunt non tantum Academici, qui ζῶα familiariter compellant; verum & ipſe *Ariſtoteles* Metaphyſ. lib. V. cap. 8. Οὐσία λέγεται τά τε ἁπλᾶ σώματα, οἷον γῆ, καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ ὅσα τοιαῦτα· καὶ ὅλως σώματα, καὶ τὰ ἐκ τούτων συνεστῶτα ζῶά τε καὶ δαιμόνια, καὶ τὰ μόρια τούτων. Superioribus Geniis corpora Ignea (ut *Hebræi*) tribuunt; quocirca θεοὺς πυρίνους indigitavit *Plato*. Reliquis Corpora *Aërea* donant. Proclus ad Heſiodeum de Dæmonibus

Ἠέρα ἑσσάμενοι, - - - -

inquit id dici διὰ τὸ τὰ σώματα αὐτῶν ἀέρια εἶναι κατὰ τὴν σύστασιν, ὥσπερ τὰ τῶν θεῶν ἐμπύρια, καὶ τὰ ἡμέτερα χθόνια. *Propterea quod corpora illorum aëreæ conſiſtentiæ ſint, ſicuti deorum corpora ignea ſunt,*

noſtra

noſtra terrena. Non eſt hic locus quid Diis, Dæmonibus ac animabus interſit, pluribus στενολεσχεῖν neque ſingillatim perſtringam κοσμοκράτορας τῆς πονηρίας, πλανάρχας καὶ λογοθέτας καὶ πρακτοψηφιστὰς τοῦ ἀέρος ut *Cyrillus* diſtinguit. Neque vero libet repetere quæ *Jamblichus* MS. & ſequiores *Græci* de his à Chriſtianis furati ſunt. Hoc ſaltem notabo ex Pſello, Univerſam Dæmonum gentem in ſublunaribus verſari; ſuperioreſque Dæmones περὶ τὸν ὕπερθεν ἡμῶν ἀέρα περιπολεῖν· τῶν γὰρ περὶ σελήνης τόπων, ὡς ἱεροῦ τὸ βέβηλον, ἀπεληλάσθαι δαιμόνιον πᾶν. *In aëre qui ſupra nos eſt verſari: è locis enim Lunæ finitimis, tanquam profanum à ſacro, penitus exulare dæmonium omne.* Secundus Dæmonum ordo τὸ περὶ τὸν προσεχέστατον ἡμῖν ἀέρα πλαζόμενον, ὃ καὶ καλεῖται, παρὰ πολλοῖς ἰδίως ἀέριον· mox, recenſitis etiam Dæmonibus Terreſtribus, Aquatilibus, Subterraneis & Lucifugis, inquit Pſellus, εἶναι δὲ πάντα ταῦτα τῶν δαιμόνων θεομισῆ καὶ ἀνθρώποις πολέμια, πλὴν εἶναι κακοῦ φασὶ κάκιον, τὸ γὰρ ὑδραῖόν τε καὶ ὑποχθόνιον, ἔτι δὲ καὶ τὸ μισοφαές, ἐσχάτως ἐπιχαιρέκακα καὶ ὀλέθρια. Dæmonum autem Corpora quamlibet ſubtilia, atque oculorum aciem fugientia, ſunt tamen materialia patiliaque: ſic enim *Pſellus*, Τὰ δὲ δαιμόνια σώματα, κἂν ὑπὸ λεπτότητος ἀφανῆ καθέστηκεν, ἀλλ' ὅμως ἔνυλά ἐστι, καὶ ἐμπαθῆ· καὶ μάλιστα ὅσα τοὺς ὑπὸ γῆν ὑποδέδυκε τόπους· τοσαύτην γὰρ παχύτητα ἔχειν τὴν σύστασιν ὡς καὶ ἁφαῖς ὑποπίπτειν, καὶ πληττόμενα ὀδυνᾶσθαι, καὶ πυρὶ προσομιλήσαντα καίεσθαι, ὡς καὶ ἔνια τούτων ἀπολιπεῖν τέφραν. *Dæmonum corpora, tametſi præ tenuitate minime compareant, materiæ tamen aliquatenus participia ſunt, patiliaque: illa præſertim quæ in locis ſubterraneis verſantur, talium enim craſſities ipſa palpabilia præſtat, ac percuſſa dolere, ignique accedentia comburi, ita*

ut illorum nonnulla etiam cineres reliquerint. Dicendum ergo Angelos prævaricatores à luculenta illa regione, quam pridem incolebant, exulare : detinerique in obſcuro caliginoſoque Atmoſphærio, perinde ac malefici in carcere vinculis conſtricti : quoad poſt ultimum Judicium, fatalis illa hujuſce mundi conflagratio ceſſerit: quæ illos ſimul cum impiis hominibus horribili ruina peſſundatos æternum cruciabit. At pii interim *Æthereis* vehiculis (*Eliæ* inſtar) ſublati, procul omni noxa, cœleſti felicitate fruentur.

SECT. XIV.

Receptæ *Tartari* notioni non obeſſe mundi compagem apparentiis maxime conſentaneam.

SI vero popularem hanc univerſi compagem, qua *Hebræi* & *Græci* in hiſce explicandis freti ſunt, ut minime genuinam rejeceris : certi tamen ſumus non neſcire te veriſſima ſæpe argumenta popularibus opinionibus ſuperſtrui ; quibus refutandis minus opportunis in locis velle defungi, operæ non videbatur. Nec vero ibimus inficias quin *Pythagorica* Compages, naturalis uniformitatis æmula, omnibus quidem phænomenis uno ſimplice motu ſatis faciens, doctiſſimorum aſtronomorum jam puncta tulerit. Videtur autem *noſter* hic *vortex ex tredecim magnis corporibus* coaluiſſe: *Sole*

le nempe *ac duodecim Planetis*. *Sex* autem *Planetæ Primarii Majores* immediate à *Sole* colluſtrati, hoc eum ordine ambiunt; Proxime *Solem Mercurius*, deinde *Venus*, tunc *Terra*: quarto ordine *Mars*, quinto *Jupiter*, ſexto *Saturnus*. Sex vero *Planetæ Secundarii Minores*, ſunt, *Luna*, quæ illuſtratur à *Sole* mediante *Terra*: quatuor *Satellites*, qui mediante *Jove*; & *Satelles* ille, qui mediante *Saturno* illuſtratur (quamvis de *Phænomenis Martis* & *Saturni* nondum omnis ſcrupulus exemptus ſit.) Etiam *Stellæ fixæ*, *ſinguli Soles*, totidem vorticum *Planetas*, illuminantes, videntur. Et ſic Mundum ultra ambitionem Macedonicam protendi gaudemus. Neque omnino ſuppetit unde quid ſit Univerſi centrum, quid in eo ſummum, quid imum colligamus. Et enimvero quis infinitæ Majeſtatis operibus limites ponat! Si autem in omnibus undique Vorticibus res perinde ac in noſtro expetant, ab uno aliquatenus didiciſti omnes: ſin ſecus, noſſe non licet.

Vides quam longam laciniosſamque Epiſtolam tibi miſerim, ſed & idem ignoſces, qui nimium brevibus quæſtioni tuæ reſponſum noluiſti; facile enim fuit etiam multo plura adjeciſſe, atque hæc ipſa lucido magis ordine diſtinxiſſe, verum non potui ipſe à me reſcribendi laborem impetrare, Vale.

Ἐν τραγῳδίᾳ τινὶ Ἀγγλιστὶ γραφθείσῃ,
ΜΟΥΣΤΑ΄ΦΑ ἐπίκλην ἐχούσῃ,
χορὸς ἱερέων [Μωαμμηδικῶν]
οὕτωσὶ φλυαρεῖ.

Ποῖ᾽ ἄθλα κήδη τλήμοσιν πεπρωμένη
Νέμει βροτοῖσιν! οἷς ἕτερον γράφει
Φύσις,
Ἕτερον θέσις ἢ θεσμὸν ἀντικειμένη.
Σκαιῶς πεφυκότας, ἔμμεναι χρηστοῖς θέλει,
Ὑγιέσιν εἶναι, νοσερῶς πετυγμένους·
Πόποι! μαχόμενα τί πλὴ ταῦτ᾽ ἐντάλματα;
Πάθος λόγος τε σφὰς διέχουσιν ἀνέρας.

Ἄγαλμα τοῦτο μῶν πέλει τὸ κρείττονος,
Φύειν ἀπάθαλ᾽ ὥστε συγγνώμην ἔχοι;
Αὐτὴ ἑαυτὴν φορτικὴ συλᾷ Φύσις
Μισοῦσα τὴν ἔδωκεν ἡδ᾽ ἁμαρτίαν.
Τίς δῆθ᾽, ὃ μὴ δεῖ δρᾶν, ἐνὶ φρεσὶν βάλοι,
Εἰ μὴ, σφαλεῖσα, καὶ τιμωρήσῃ Φύσις;
Ἄλλοις τυραννὶς, ἡδ᾽ ἑαυτῇ δήμιος,
Μόνον κελεύει δυσχερῆ καὶ ὄρθια,
Τῆλ᾽ ἀπαγορεύουσ᾽ ὅσα μὲν οἶδεν ἡδέα,
Πόνος ἐν ἑτοίμῳ, ἀλλ᾽ ἀνήνυστον γέρας.
Εἰ δ᾽ αἷμα χάνδον μὴ πίοι λυγρὰ Φύσις,

Ῥᾷον

Ῥᾷον μὲν εἶεν τυγχάνειν ἀμεινόνων.

Ἡμῖν δ᾽ ἐνόρκοις, ἠδέ τ᾽ ἐν τέλει, πρέπον
Σπονδῆσι λαμπρῆς καὶ λιτῶν ἐννόμοις,
Ἐς δυσσεβῶν μὲν πάρφασιν, διωκτῶς
Μακάρων ἐναυλεῖν ἡδονὰς ὑπερφυεῖς.
Ἡμῶν δ᾽ ἕκαστος, καρδίας ἔσω βλέ-
πων,
Ἕτερον θεωρεῖ, οὐκ ἐνὶ στίχοις, θεόν.

Ἀποκρίνεται ἐκ νέας Ἀκαδημίας ὁ δεῖνα.

Τί μεμψίμοιρε, οὐ θεοῦ κατήγορος,
Ἀνάγεις ἐκείνῳ τοὺς ποὺς νοθηγενεῖς;
Ἔοργεν οὔτι φλαῦρον οὐράνιος πατήρ.
Νεοστόρῳ γὰρ ἀνδρὶ νοῦς ὁ θέσφατος
Τὸ κρήγυον πέφηνεν, οὐδέ τ᾽ ἄγρια
Ἀφωνιάζειν οἶδε τοῦ λόγου πάθη.
Ψυχὴ διαύλοις ἄνδιχα πλανωμένη
Ἐκεῖσε τῇδέ τ᾽, οὐ ποτ᾽ εἴωθε στάσιν
Ὕβριν τε λυγρὰν πλημμελημάτων φέρειν.
Τότε νόσος οὔτις καρδίας δηκτήριος·
Πραπίδων δ᾽ ὑγιεία σεμνότης ἔφυ καλή,
Ἀρετάς τε πάσας ἐσκέπαζεν ἱερὰ
Αἰδώς, θυρωρὸς εὐπρεπῶς κεκασμένη.

Γήθησεν ἀνὴρ ἐντὸς ἀξιώματος
Ἰδίου, ξενάων οὔτε λιχνὸς ἡδονῶν
Δίωκε θηρῶδες ἀχέτῳ ποδί.

Τὸ δὲ φρύαγμα, τὸ κλύω θεοῦ κάτω,
Ἐνθένδ᾽ ὀρίνθη, ὅτι θήρειον φύσιν
Οὔποτ᾽ ἔνι κτᾶσθαι, σχετλίων φρενῶν ἄπερ
Χαλεπὰ χραφουσῶν· οὔτ᾽ ὀλύμπονδε ῥέπειν
Ἀκονιτὶ, χωρὶς ἀλγέων τε καὶ πόνων.

Σέθεν περιρρύησιν, οὐ θεόθεν, παθὼν,
Ἄνθρωπε, νῆφε· καὶ κεχηνυῖαν βλέπων
Γένεσιν, χάους τε δυσμόρου βορὸν στόμα,
Ἐπὶ κενεῶνας ὀλβίους ὅσον σθένος
Μολεῖν ἔπειγε, μηδέ τοι τάδ᾽ ἐμποδὼν,
Ἀλαπαδνὲ, δείσῃς· θεοῦ γὰρ ἀντιλήπτορος
Τάξῃ παλαιῶν. Ἀλλὰ τοῦ ἐμπάζεο
Θεοπροπίης, χ᾽ ἕπου λόγῳ διαμπερές.
Οἷον κέλευσμα δαίμονος πειθηνίως
Θεόσσυτός πως Σωκράτης ἐπέκλυεν.

Φύσιν μαθόντες καὶ ἐφετμὰς μετρίους
Αὐτῆς πλουτοῦντες, ἐν θαλείης ἀμβρότοις
Γαληνιῶσιν. Ἀλλὰ ταῦτ᾽ οὐκ ἀθεεί.

JOH.

XVI.

JOH. VORSTII,

DISSERTATIONUM SACRARUM,

EARUMQUE

HISTORICARUM

ET

PHILOLOGICARUM

BREVE SYNTAGMA:

In quo agitur,

Primo de tenente Sceptrum ac Magiſtratu, qui ex Juda poſteris non deficere debuerunt, antequam Meſſias veniſſet: tum de quatuor vulgo ſic dictis Monarchiis: denique & de Paradiſo.

Digitized by Google

Celſiſſimo ac Illuſtriſſimo Principi ac Domino,

D. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Meclenburgenſi, Principi Vandalorum, Suerini & Razeburgi, ut & Comiti Suerinenſi, terrarum Roſtochij & Stargardiæ Domino,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Poſtquam in tuas terras te reducem factum percrebuit, Celſiſſime & Illuſtriſſime Princeps, obſervare licuit, univerſos fauſta ominari, deque tam bono, tam clementi, tam denique ſapienti Principe gaudere ſibi ac gratulari. Nec defuerunt, qui gaudium iſtud quod ex proſpero tuo ad has terras reditu intra ſe conceperant, expromendum publicè, tibique demonſtrandum putarunt. Atque inter hos congratulantes tibique deditos, Celſiſſime Princeps, nec ipſe deeſſe velim: qui, dum in tuis terris, tuaque Academiâ egi, de raris tuis, Vtroque Principe digniſſimis virtutibus ſæpe multumque inaudivi, teque propterea ex animo venerari & admirari jampridem cœpi. Quis noſtrum enim tam ferreus ſit, ut univerſo populo ob felicem tuum reditum, tuaſque virtutes ſeſe efferente, non unà cum cæteris conſimili gau-

dio perfundatur? Gratulor ergo tibi, Celſiſſime Princeps, quòd poſtquam, ut Græcus Poëta ait,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδες ἄστεα καὶ νόον ἔγνως,

ſalvus tandem ac ſoſpes ad tuas terras tuumque populum redux es factus: precorque Deum, ut iſtum corporis animique vigorem, iſtas undique emicantes virtutum ſtricturas, iſtum recti cultus ſummo Numini præſtandi Zelum, diutiſſimè tibi ſervet, tuumque populum te principe longùm feliciter agere jubeat. Sed & venerationis iſtius quâ tuam Celſitudinem proſequor jampridem, ſignum aliquod prodere velim. Cum igitur inter præcipuos honores, quibus alios afficimus, librorum nuncupatio & olim recepta fuerit, & hodieque publico populi ſuffragio recepta ſit; nuperque mihi in hac Ill. tuâ Academiâ hiſtoricæ quædam ac Philologicæ Diatribæ ſint natæ: ſubiit has ipſas meas noviſſimas φροντίδας, *quamvis leves illas, tuoque conſpectu minimè dignas, Tuæ Celſit. inſcribere & nuncupare. Tu, Celſiſſime Princeps, levia iſta, ſed à venerationis tui pleniſſimo profecta animo, ſerenâ fronte ſuſcipies: idque ut facias, humilime te oro ac obteſtor.*

TUÆ CELSITUDINIS

humilimus Servus

JOH. VORSTIUS, PHIL. M.

ΣΥΝ

Digitized by Google

Σ Υ Ν Θ Ε Ω.

DE

Sceptro ac Magiſtratu, non Receſſuris à Juda, antequam veniſſet Meſſias.

CUm divus Patriarcha Jacobus jamjam exceſſurus è vitâ eſſet, diſſeruit is divino afflatu apud filios ſuos, hiſque prædixit, quibus fatis ipſorum, atque adeò ſui quoque ipſius poſteri uſuri eſſent. Et de aliis quidem aliter, de Judæ verò poſteris hunc in modum, atque his inter alia verbis vaticinatus eſt: לֹא יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחוֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי יָבוֹא שִׁילֹה Quæ verba non inconcinnè ſic verti poſſe arbitramur: *Non recedet ſcepcrum à Judâ, nec judex (qui cauſas cognoſcat & ſecundum leges judicet) à femoribus ejus, donec veniat Schilo.* Varia ſuper his interpretamenta uſque ad hanc noſtram ætatem ſunt prodita: alia quidem veteri ævo, alia verò noſtrâ ac patrum memoriâ. Eorundem porrò alia longiſſimè abſunt à vero: alia prope modò: alia nihil quicquam. Quæ verò interpretatio maximè concinna eſt, quæque antiquiſſima, eam vulgò ab hominibus noſtræ ætatis obſervamus negligi. Quamobrem operæ pretium exiſtimamus, eam ipſam interpretationem quaſi in uſum revocari, quamque concinna rectaque ea ſit, hominibus probè ob oculos poni.

II. Prin-

II. Principio id ſatis apparet, in iſtis S. Patriarchæ verbis certum temporis terminum figi, ad quem uſque non deſitura quædam ſint. Iſque terminus exprimitur iſtis verbis, עד כי יבוא שילה *donec veniat Schilo, uſque ad iſtud tempus quo Schilo veniet.* Ut autem ſciamus quodnam tempus deſignatum ſit, cogitare oportet, quis per vocem *Schilo* intelligendus ſit: quid item illud ſit, *Schilonem venire.* Hic verò ſententiæ atque interpretationes adeò congruunt, *per Schilonem intelligendum eſſe Meſſiam*, ut ne Judæi quidem diſſentiant. De Chriſtianis res ſatis nota eſt. Veteres Paraphraſtæ Chaldæi autem, manifeſtè vertunt in eam ſententiam. Et Onkelos quidem: עד דייתי משיחא *uſque ad illud tempus quo Meſſias veniet.* Jonathan autem: עד זמן דייתא מלכא משיחא *uſque ad illud tempus, quo veniet Rex Meſſias.* Targum Hieroſolymitanum item non diſcrepat. In Talmude quoque non deſunt, quæ huc faciant. In Codice *Sanhedrin cap. IX.* quæritur inter alia, quodnam futurum ſit nomen Meſſiæ. Et reſpondetur, *familiares R. Schela dixiſſe, quod nomen ejus futurum eſſet* שילה *Schilo, juxta illud quod dictum ſit, donec veniat Schilo.* In antiquo Commentario, *Bereſchith Rabba* dicto, legitur itidem: שילה זה מלך המשיח, *Schilo, hic Rex Meſſias.* Nec diſſentiunt recentiores Interpretes Judæi, R. Kimchi, R. Salomon, R. Bechai, aliique. Per Cabalam quoque ex vocibus יבא שילה confi-

Digitized by Google

conficiunt משיח. Utrumque ſcilicet nomen habet numerum CCCLVIII.

III. Quodnam autem vocis ſit etymon, de eo diſcrepant auctores. Quidam putant, שִׁילֹה eſſe nomen cum ſuffixo, & ſignificare idem quod בְּנוֹ *filius ejus*. Sciunt illi, vocem שִׁיל ſignificare *ſecundinam*. Conjectant igitur, vocem שִׁילֹה eſſe eandem illam; ſed cui ſuffixum ה adhæreat, quemadmodum & alias quandoque pro ſuffixo ; ſolet τὸ ה apparere. Significationem autem ſtatuunt metonymicam, dum vocem eam quæ alias *ſecundinam* ſignificat, hoc in loco *filium* ſignificare putant. Alii, & fortaſſe rectiùs, exiſtimant, omnes vocis literas eſſe radicales, & formatum eſſe nomen שילה à Rad. שלה *tranquillum eſſe*, quemadmodum à ſuis Radicibus formata ſunt nomina קִיטוֹר *fumus*, קִימוֹשׁ *carduus*. Ita שִׁילֹה *tranquillum*, *tranquillitatis autorem* ſignificaverit. Et hoc nomine κατ᾽ ἐξοχὴν dictus fuerit Chriſtus, quemadmodum & nomine משיח κατ᾽ ἐξοχὴν eſt dictus. Talia autem nomina, cum nominibus propriis æquipolleant, in verſionibus concinnum videtur non apparere verſa unà cum cæteris; æquè ſcilicet ac ipſa nomina propria verti non debent. Sic etiam, ſi in cap. IX. Dan. vertere velis iſta יכרת משיח; rectè ſic vertas, *exſcindetur Maſchiah* ſive *Meſſias*. Poſitum hîc quoque eſt vocabulum commune κατ᾽ ἀντονομασίαν, pro Salvatoris noſtri proprio. Quamobrem & hic rectè fiet, ſi vox iſta non vertatur. In Evangelio Johannis, cum verba Hebræa Græcè exprimenda eſſent, repe-

reperimus ſic verſum: Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν. οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται. Vides, vocem משיח, quæ κατ᾽ ἀντονομασίαν pro proprio nomine uſurpatur, cum alia Hebræa verterentur, non unà eſſe verſam.

IV. Cum igitur conſtet, per vocem שילה deſignatum eſſe Chriſtum, facilè etiam liquere poteſt quid illud ſit, *Schilonem venire.* Nimirum ejus ἐνσάρκωσιν ſive *adventum in carnem*, iſto verbo ſignificatum apparet. Ergo hactenus id conſtat, *uſque ad illud tempus quo Chriſtus natus fuit, non debuiſſe fieri, ut ſceptrum à Judâ, & judex à femoribus ejus recederet.* Quid autem illud, *ſceptrum à Juda non receſſurum*? Nos hîc ferè jam pro conceſſo ſumimus, vocem שֵׁבֶט in verbis Patriarchæ ſignificare *ſceptrum.* Id verò non facilè conceſſerint alii. Quamobrem cum his primò congrediendum fuerit. Eſt omnino vox שֵׁבֶט πολύσημον in ſacris, ſignificatque tum *baculum, virgam:* tum *ſtylum, calamum:* tum *telum, ſpiculum:* tum *ſceptrum*, inſtrumentum & inſigne Regum: tum *tribum, familiam.* Sed & metonymicè *percuſſionem, plagam*, quæ ſc. baculo fit, ſignificat. Eſt verò inter omnes iſtas ſignificationes homonymia propinqua: quam ipſam *homonymiam conſilio* appellare ſolent. *Baculus, ſtylus, telum, ſceptrum* aliquâ ratione inter ſe conveniunt; eo puta, quod omnia iſta unam quandam formam, oblongam ſc. & teretem habent. Deinde *baculus & percuſſio* ſunt itidem aliquâ ratione cognata. Nec non & *baculus & tribus ſive familia* aliquâ ratione congruere videntur. Quæ autem convenientia his proximis intercedat, de eo variè conjecta-

jectarunt Philologi, Schindlerus putat, *tribum* dici שבט, *quòd ex uno patre, tanquam baculus ex unâ arbore ſit enata.* Avenarius verò ſic dictam putat, *quòd duodecim tribus in totidem virgis deſcriptæ eſſent.* Marcus Marinus denique, *quòd XII. tribus Patriarchæ quaſi baculus & fulcimen fuerint.*

V. Ex variis iſtis ſignificationibus Judæi quidam arripiunt iſtam, quâ vox metonymicè *percuſſionem, plagam* ſignificat. Hos verò multis refellere nunc non placet. Alii, & illi quidem Chriſtiani, cogitarunt, שבט in noſtris verbis ſignificare *tribum, familiam, cœtum hominum ab unâ ſtirpe criundorum.* Prodiderunt hanc ſententiam Tremellius & Junius in verſione ſuâ. Verterunt enim ſic: *Non deſiſtèt tribus à Jhudâ.* Secutus poſtea illos eſt Piſcator. Iſque in Quæſt. in Gen. ſcripſit, *vaticinii ſenſum eſſe, non deſituram tribum Judæ, antequam veniret Chriſtus.* Secutus item eſt Cl. quidam Theologus ex noſtris. Ea verò interpretatio nobis minùs concinna videtur, propterea quòd ſic nihil peculiare prædictum eſſet de tribu Juda. Sanè & cæteræ tribus uſque ad ἐνσάρκωσιν Chriſti à ſe invicem diſtinctæ manſerunt. Scivit S. Hanna, ſe ex tribu Aſeris eſſe. Scivit & S. Eliſabetha, ſe ex poſteris Aaronis, atque adeò ex tribu Levi eſſe. De tribu Judæ autem plus ſanè quam veriſimile eſt S. Patriarcham peculiaria quædam voluiſſe prædicere; quemadmodum & de cæteris tribubus, quæ quibuſque peculiaria futura eſſent, prædixit. Accedit quòd alii cuidam interpretationi plus favet ζυνάφεια

textus, omniumque veterum interpretum conſenſus.

V I. An igitur *ſceptrum* intelligemus? σκῆπτρον illud atque inſigne, quo Reges uti ſolent. Sanè iſtiuſmodi σκῆπτρον voce שבט ſignificatur in Pſ. XLV. v 7. in his verbis, שבט מישור שבט מלכותך *ſceptrum rectitudinis* (rectum) *eſt ſceptrum regni tui.* Sic & Ezech. XIX. v. 11. dicitur, שבטי מושלים, *ſceptra dominantium.* Et v. 14. שבט למשול *ſceptrum ad dominandum.* Eſt ibi allegoria quædam de urbe Hieroſolymis; *fuiſſe eam tanquam vitem ad aquas plantatam, ejuſque ſurculos adeò excreviſſe, ut ex his ſceptra Regum confieri potuerint: poſt hinc verò eandem vitem non ampliùs tales ſurculos habituram.* Senſus verborum, ut facilè apparet, eſt iſte: Hieroſolyma adhuc Reges ex ſuâ gente habuiſſe, poſthinc verò ex eadem gente non ampliùs Reges exſtituros. D. Amos in cap. I. de Aſcalone prædicit, *exciſum iri ex illâ* תומך שבט *tenentem ſceptrum*, hoc eſt שַׂר *principem Aſcalonitarum.* In cap. X. Zach. item, v. ult. de temporibus N. T. prædictum reperimus hiſce verbis, שבט מצרים יסור *ſceptrum Ægypti recedet.* Senſus eſt, *Regem Ægypti non ampliùs dominaturum in Iſraëlitas, eoſque affliturum: ſed contrà Iſraëlitas dominaturos Ægyptiis,* dominio ſcilicet ſpirituali, quod tùm in V. T. tùm & in N. T. verbis dominium mundanum ſignificantibus ſæpe deſcribitur. An igitur,

tur, ut dicebam, in noſtro quoque loco *ſceptrum*, inſigne illud regium, intelligemus? Sanè ubi vertendum eſt, ſic omnino verterimus nos, ut initio jam ſignificatum eſt: *Non recedet ſceptrum à Judâ.* Non tamen per vocem שבט ipſum illud σκῆπτρον regium intelligendum fuerit, ſed illud potiùs cujus ſignum eſt ſceptrum illud, hoc eſt, *poteſtas & imperium regium*: quin & amplius ipſe *homo qui poteſtatem ac imperium regium habet.* Sic duplex metonymia intercedet; una quidem *ſigni pro ſignato*: altera verò *adjuncti pro ſubjecto.* Porrò & in Latinâ verſione, ubi vox *ſceptrum* apparet, eadem illa vox per duplicem metonymiam uſurpata eſt. Neque enim opus eſt, ſi quid vertere velis, mera vocabula propria uſurpare; ſed ipſos tropos in verſione quoque apparere ſatis concinnum eſt.

VII. Si igitur per vocem שבט intelligamus *ipſum hominem, qui ſceptrum tenet*, תּוֹמֵךְ שֵׁבֶט ut in cap. I. Amos appellatur, *ipſum illum qui regiam poteſtatem habet*; ſi inquam, talem hominem intelligamus, ſenſus verborum exiſtet talis, *Non receſſurum Regem à Judâ, nec judicem à femoribus ejus, antequam veniat Meſſias.* Quid autem illud eſt, *non receſſurum Regem à Juda*? An ampliùs hic ſenſus erit, *non deſiturum Regem à Juda* (*ſemper ex Judâ Regem exſtiturum, ſemper ex Judæ poſteris aliquem futurum Regem*) Sanè hunc intellectum ex iſtis verbis ceperunt veteres. Ταύτῃ μὲν οὖν καλῶς. Addiderunt autem quidam illorum, S. Jacobum id voluiſſe, ex Judæ poſteris continuè Reges exſtituros, donec Chriſtus naſceretur. Atque idem illud eventu quoque fuiſſe comprobatum, nihil dubita-

bitarunt. Cyrillus Alexandrinus in lib. VIII. contra Julianum in eam ſententiam ſic ſcripſit: *Cum rediiſſent in patriam, tunc apud illos accepit ſceptrum Zorobabel, Salathielis filius de tribu Juda Quomodo igitur ceſſaſſe dicitur regnum David in Zedekiâ, cum Zorobabel, ut dixi, poſt captivitatis tempus in regni ſolio conſederit, fueritque è tribu Juda & David; transmiſſumque ſit per poſteros illius ſceptrum uſque ad regnum Herodis, qui ex matre quidem Judæâ fuit, ſed ex patre alienigenâ.* Apparet ex his ſatis manifeſte, ſanctum iſtum doctiſſimumque Patrem ſic omnino perſuaſum habuiſſe, Zorobabelem, & poſt hunc longâ ſerie alios ex ipſo ortos, ſuæ gentis Reges fuiſſe. Ante illum verò ſenſerat jam ita Origenes, & in hom. XVII. in Gen. hæc ſcripſerat: *Conſtat uſque ad nativitatem Chriſti non defeciſſe principes ex genere Judæ, nec duces de femoribus ejus uſque ad Herodem Regem, qui ſecundum hiſtoriæ fidem, quam Joſephus ſcribit, alienigena fuiſſe & per ambitionem in regnum Judæorum dicitur irrepſiſſe. Statim ergo ut hoc factum eſt, & ut defecit dux de femore tribus Judæ, advenit cui erat regnum repoſitum.* Scripſit & Hieronymus in eam ſententiam in Comment. ad cap. I. Zephanjæ: *Quia ſemel tropologicè exponere cœpimus, Viſitabit Dominus in adventu & paſſione Salvatoris, id eſt, in die hoſtiæ filii ſui ſuper Pontifices & ſuper ſacerdotes populi Judaici & ſuper domum regiam. Uſque enim ad illud tempus perſeveraverunt Reges Juda de ſtirpe Davidis ſecundum prophetiam Jacob, Non deficiet Princeps &c. Poſt hoſtiam enim Domini ſublatum eſt regnum de Judæis.* Porrò & Auguſtinus lib.

XII. cont. Fauſt. Manich. cap. 47. *Sunt literæ certiſſimæ, hiſtoriæ ipſorum quoque Judæorum, quibus oſtenditur, primum alienigenam Regem fuiſſe in gente Judæorum, quo tempore natus eſt Chriſtus. Ita non defuit Rex de ſemine Judæ, donec venirent quæ repoſita erat.* Allegavit pleraque iſta loca jam ante nos Vir ſummus, Iſ. Caſaubonus in Exercit. primâ c. Baron. Ampliùs verò & Ruffinum, Theodoretum, Iſidorum Hiſpalenſem, Venerabilem Bedam. Quòd verò & Paraphraſtas Chaldæos huc trahere voluit, nos ei non adſtipulamur. Sed de eo videbimus poſtea.

VIII. Omnes iſti Patres, ut apparet, inſigniter hallucinati ſunt: unaque cum illis Cæſar Baronius, qui meritò quoque eo nomine à Caſaubono eſt reprehenſus. Certa enim res eſt, ultimum Judæorum Regem ex tribu Judæ oriundum, fuiſſe Zedekiam: qui cum in fide non maneret, à Nabuchodonoſoro captus & oculis privatus fuit. Vixit autem Zedekias iſte IↃC. circiter annis ante natum Chriſtum. De poſteris Jechoniæ, qui Zedekiam proximè anteceſſit, clarè vaticinatus eſt S. Jeremias cap. XXII. v. 30. non futurum eorum quenquam qui rex eſſet. Verba ſic habent: *Non tam felix erit quiſquam de ſemine Iechoniæ, ut ſedeat ſuper ſolium Davidis, & in Judâ ampliùs regnet.* Pari ratione & Ezechiel in cap. XXI. v. 27. prædixit, inde à Zedekiæ temporibus uſque ad tempora Meſſiæ ex ejus poſteris neminem futurum qui Rex eſſet. Verba ibi ſic habent: *Tu autem Dux Iſraël, qui profanus & impius es & cujus dies veniet cum tempus iniqui-*

tatis exactum erit: ſic dicit Dominus, depone cidarim, & tolle coronam, hoc non ampliùs ſic erit (non ampliùs erit iſte rerum ſtatus.) *quod enim depreſſum fuit id exaltabitur, quodque exaltatum, id deprimetur.* עוה עוה אשימנה גם זאת לא היה עד בוא אשר לו המשפט ונתתיו *Vanitatem, vanitatem, vanitatem faciam illam* (coronam) *Etiam hoc non ampliùs ſic erit* (non erit ampliùs talis rerum facies) *donec veniat is cujus eſt judicium* (Meſſias) *& illi dabo* (coronam.) Inſignia planè ſunt iſta Ezechielis verba. Latinus autem ita vertit, ut intellectus eorum non facilè appareat. Germanicus noſter ſic habet: *Ich wil die Krone zu nichte, zu nichte, zu nichte machen, biſz der komme der ſie haben ſoll, dem wil ich ſie geben.* Quod ad priora quidem perconcinnè. Hæc autem verba אשר לו המשפט, in eâ verſione non apparent expreſſa. Idem planè eorum ſenſus eſt qui horum apud Jeremiam cap. XXIII. עשה משפט וצדקה בארץ, faciet judicium & juſtitiam in terrâ.

IX. Et ſic ſanè, ut Prophetæ vaticinati fuerunt, poſtea quoque fuiſſe factum, ex hiſtoriâ poſteriorum temporum liquidò apparet. Poſt remotum Zedekiam & templum urbemque exuſtam, captivitas intervenit complurium annorum, quinquaginta circiter: uſque ad vigeſimum primum Cyri ſcilicet, qui in ſacris literis II. Par. ultimo, Eſr. I. *Cyri primus* appellatur, quoque Iſraëlitis permiſſum fuit, ut ad anti-

antiquas ſedes remigrarent. Cum verò in Palæſtinam reduces eſſent facti, Zorobabel, Salathiel filius, Jechoniæ autem nepos, inter ſuos primarius quidem, non tamen Rex fuit, nec unquam hoc nomine fuit appellatus. An verò & poſteri ejus conſimili inter ſuos dignitate fuerint, de eo non conſtat. In *Seder Olam* quidem, libro Chronico non ita antiquo, legimus Zorobabeli ſucceſſiſſe filium Meſullam, & ex ejus ſtirpe alios quoſdam. Sed quis ſecurè his credendum dicet? Cl. Helvicum ſanè mirum eſt, cum is in Comp. ſuo Chronologico Pſeudophilonis Anniani nugas rejiceret, iſti Chronico de conditione poſterorum Zorobabelis tam ſecurè accredidiſſe. Tempore Artaxerxis Longimani ab hoc ipſo Rege illuſtris poteſtas delegata fuit D. Eſræ, ſummi ſacerdotis qui tum erat, patruo; ut is in Palæſtinâ cauſarum arbitros ac judices conſtitueret. Ita nim. verba habent in cap. VII. Eſræ, v. 25: *Tu autem Eſra conſtitue judices & præſides ut judicent omnem populum, qui eſt trans flumen.* Aliquot annis pòſt, vigeſimo anno puta Artaxerxis Longimani, illuſtrem poteſtatem ſortitus fuit Nehemias; ut nim. in Palæſtinam iret & urbem curaret mœnibus cingendam.

X. Interjecto deinde tempore præcipuam poteſtatem, quam quidem Hebræi, Perſarum Regibus ſubjecti illi, habere poterant, penes Pontifices Maximos fuiſſe proditum eſt. Cum Alexander M. indignabundus Hieroſolyma contenderet, præcipua inter Judæos dignitas atque autoritas fuit Jadduæ. Quod liquidò apparet ex eo, quòd cum de ſucceſſibus Alexandri inau-

diviſſet, ipſe præcipuè curam geſſit, quo pacto cum Alexandro agendum foret. Vide extremum l. XI. Ἀρχαιολ. Joſephi. Aliquanto tempore poſt, cum rerum in Ægypto potiretur Ptolemæus Evergetes, ſummum ſacerdotem itidem obtinuiſſe præcipuam poteſtatem inter ſuos, apparet ex rebus geſtis Oniæ Simonis Juſti filii. In cap. IV. lib. XII. Ἀρχαιολ. Joſephi legimus, *Oniam habuiſſe* προστασίαν τοῦ λαοῦ καὶ ἀρχιερατικὴν τιμὴν, *adminiſtrationem ſive præfecturam populi, & Pontificalem honorem.* Ibidem quoque profitentem reperimus ipſum Oniam, ſe μήτε ἄρχειν θέλειν, καὶ τὴν ἀρχιερωσύνην, εἰ δυνατὸν, ἑτοίμως ἔχειν ἀποθέσθαι. *neque cupere imperare ampliùs, & paratum eſſe Pontificatum, ſi fieri poſſit, deponere.* Imò de ſummis Sacerdotibus iſtorum temporum in univerſum, Joſephus in lib. XI. cap. 4. his verbis prodidit: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους. *Summi autem Sacerdotes rebus præfuerunt, donec Aſamonæi* (Matthiæ) *poſteros contigit regnare.* Loquitur ibi de iſtis temporibus quæ poſt dedicationem templi fuerunt. Alibi verò comprehendit iſta quoque tempora, quæ poſt reditum Iſraëlitarum in Palæſtinam prima fuerunt. In cap. VIII. lib. XX. hæc habet: *Poſt ſeptuageſimum Babylonicæ captivitatis annum Cyrus Perſarum Rex dimiſſis Babylone Judæis, & reverſis in antiquam patriam, permiſit templum denuo condere, quando Jeſus Joſedeci filius aſſumpſit ſummum ſacerdotium.* οὗτος δὲ καὶ οἱ ἔκγονοι αὐτοῦ, πεντεκαίδεκα ἅπαντες, μέχρι βασιλέως Ἀντιόχου τοῦ Εὐπάτορος ἐπολιτεύοντο δημοκρατικῶς, ἔτη τετρακόσια δεκατέσσαρα. *Hic &*

ejus

ejus poſteri, quindecim in univerſum, uſque ad Regem Antiochum Eupatora ſtatum Reip. popularem rexerunt per annos CCCCXIII.

XI. Cum Mattathias ad arma contra Antiochum Epiphanem ſumenda ſuam gentem vocaſſet, ejuſque deinde filii contra hoſtem egregiè rem gererent, hi ipſi præcipuâ inter ſuos poteſtate atque autoritate fuerunt. Notum eſt, ipſos illos ſummum geſſiſſe ſacerdotium. Tandem & Reges ſe appellaſſe. Et primum quidem inter illos Ariſtobulum, Johannis Hircani Filium, Simonis verò nepotem, & Matathiæ pronepotem. Hi verò non ex tribu Judæ, ſed ex tribu Levi oriundi fuerunt. In lib. I. Maccab. cap. II. apertè proditum eſt, *Matathiam fuiſſe ſacerdotem ex familiâ Jojaribi.* Quòd autem nonnulli contendunt, & inter hos Baronius, Matathiæ Aſamonæi filios, quod ad matrem attinet, ad tribum Judæ retuliſſe originem ſuam, id ſi maximè verum eſſet, non tamen eo oſtendi poſſet, eoſdem Matathiæ filios tribui Judæ quoque accenſeri poſſe. Notum enim eſt, *familiam matris apud Hebræos non fuiſſe familiam*, hoc eſt, ejus nullam rationem fuiſſe habitam, quâ matre natus quis eſſet: nec ei tribui fuiſſe accenſos, ex quâ mater eſſet, ſed illi, cui pater accenſeretur.

XII. Apparet ſatis ſuperque inde ab excidio urbis uſque ad natum Chriſtum nullos exſtitiſſe Reges ex tribu Judæ oriundos. Et graviter igitur hallucinatos eſſe S S. Patres, qui illud aſſeruerunt. Quoniam autem illud non ita ſe habet, non integrum nobis erit, D. Patriarchæ verba ſic ut iidem Patres fecerunt intelligere;

perpetuò nim. ex Judæ poſteris Reges exſtituros fuiſſe donec Chriſtus naſceretur. Quærendus omnino eſt alius intellectus. Vir ſummus, Iſ. Caſaubonus Exerc. I. cont. Baron. num. II. & III. cum de iſto S. Patrum παροράματι & ipſe monuiſſet, addit deinde, quid ſibi veriſſimum videatur. Nos ipſa ejus verba huc tranſcribemus, quantumque illa veri habeant, poſtea diſpiciemus. *Nos contrà probavimus*, inquit, *regnum quidem Judæ non promitti in ipſius tribu perpetuò ad Chriſtum uſque duraturum*: (non hoc velle S. Jacobum, ex Judæ poſteris uſque ad nativitatem Chriſti perpetuò exſtiturum Regem quendam) *ſed huic quidem tribui dignitatis quandam præcellentiam; cunctis verò tribubus, Reipublicæ aliquam fore inter ipſos formam, donec adveniat Silo.* Et paucis interjectis: *Quis non intelligit rationi apprimè conſentaneum eſſe, ut defectum ſive* ἄρσιν καὶ ἀφαίρεσιν *ſceptri & legiſlatoris accipiamus de Republicâ Judæorum tum penitus everſâ. Quin ipſa oraculi verba, niſi* ἐθελοκωφῶμεν, *eò nos planiſſimè deducunt.* שבט *enim* virga *ſive* ſceptrum, *pars eſt Reip. primaria, penes quam ſumma rerum, & ut appellat Ariſtoteles,* κύριον τῆς πολιτείας. Ex his non difficulter intelligitur, quid Vir ſummus ſibi voluerit. Non capit ipſe hunc intellectum ex verbis Jacobi, *ex Judæ poſteris Reges orituros*: ſed quod Patriarcha dixit, *non receſſurum ſceptrum à Judâ*, ex eo capit hunc intellectum, *Judæ poſteros atque adeò omnes quoque cæteros Iſraëlitas habituros ſummam rerum, &* κύριον τῆς πολιτείας.

XIII. Ut autem intelligas, quantum iſta duo

duo diſcrepent, dicam adhuc clariùs. Per ſceptrum intelligit Cl. Caſaubonus talem ſummam poteſtatem, qualem vulgò in variis gentibus obſervamus. Eſt una quædam ſumma poteſtas, quæ Venetorum eſt. Eſt alia, quæ fœderatis Belgicis provinciis competit. Aliam quandam habet Ruſſorum Princeps. Aliam rurſus Rex Turcorum. Pari ratione Cl. Caſaubonus exiſtimat, D. Jacobum nihil aliud quàm hoc voluiſſe dicere, *Judæ poſteros, cumque his cæteros quoque ab Iſraële ortos, habituros ſuam ſibi ſummam poteſtatem ac imperium: fore eos Rempublicam ab aliis gentibus ſeparatam.* Ita שבט *ſumma poteſtas* non uni homini inter Hebræos tributa fuerit, ſed toti genti. Et, ſi S. Jacobus hoc præcipuè dicere voluit, *poſteros ſuos ſuam ſibi ſummam poteſtatem ac imperium habituros*, idem ille non & hoc dicere voluit, *ex Judâ, uno filiorum ſuorum, ejuſque poſteris longâ ſerie Reges exorituros.* Plurimum ſanè intereſt inter hanc enunciationem, *Ex Judæ poſteris perpetuò exſiſtet Rex aliquis, donec Meſſias veniet*, & inter illam, *Judæ poſteri cumque his omnes cæteri Iſraëlitæ ſuam ſibi ſummam poteſtatem* & κύριον *habebunt, donec Meſſias veniet.* Habent iſtæ enunciationes diverſa ſubjecta, & diverſa item prædicata. Poſterioris quidem ſubjectum eſt, *Judæ poſteri, omneſque cæteri Iſraëlitæ.* Et huic ſubjecto tribuitur τὸ *habere ſuam ſibi ſummam poteſtatem* & κύριον τῆς πολιτείας. Prioris verò ſubjectum eſt *Rex aliquis.* Deque hoc dicitur, *exſtiturum eum omni tempore ex Judæ poſteris, donec Meſſias veniat.* Credo nunc tandem ſic ſatis apparere duarum prædicta-

dictarum enunciationum diſcrepantiam. Si igitur poſterior illa enuntiatio mentem D. Jacobi repræſentat, non poteſt ex ipſius verbis hoc quoque intelligi, *ex Judæ poſteris longo ordine Reges exſtituros.* Qui dicit, *omnes Iſraëlitas ſimul ſumptos ſuam ſibi ſummam poteſtatem & κύριον τῆς πολιτείας habituros*, is ſanè non hoc intelligendum dat, *inter Iſraëlitas fore unum qui cæteris præſit.* Multò minùs idem ille & hoc exponit, *ex quanam Iſraëlitarum familiâ Rex iſte oriturus ſit.* Nihil aliud ex iſtiuſmodi verbis intelligi poteſt, quàm hoc, *Iſraëlitas habituros ſummam poteſtatem, & κύριον τῆς πολιτείας, inter eos futuram democratiam quandam, τὸ κύριον penes omnem populum fore.*

XIV. Obſervemus porro & illud, qvòd Cl. Caſaubònus per vocem יְהוּדָה *Jehuda* non *Judæ* modò *poſteros*, *ſed omnes Iſraëlitas ſive Hebræos* intelligat. Eâ de re adſcribam plura ejuſdem verba ex Exerc. I. num. III. *Judæ appellatione*, inquit, *in hoc oraculo populum univerſum Judæorum intelligi, mirum non eſt; ſed prorſus ἀδιαλογώτατον, vel propter ejùs tribus dignitatem, vel quia norat Spiritus Sanctus, qui per Jacobi os loquebatur, fore ut tempore illo quo hæc erant eventura, omnium tribuum commune nomen eſſet, populus Judæ ſive JUDÆI, & terræ JUDÆA vel γῆ Ἰούδα, quam nominis aſſumptionem multis pòſt ſeculis, divino conſilio factam eſſe, ut de hujus prophetiæ fide luculentiùs conſtaret, cum Euſebio credimus.*

XV. Quòd Caſaubonus per vocem יְהוּדָה *omnes Iſraëlitas* intellexit, id non placuit Cl. Petro Cunæo: de cætero autem non malè ipſi

cum

cum Caſaubono convenit. Adſcribam huc ipſius quoque Cunæi verba ex l. I. de Rep. Hebr. cap. IX. *Equidem ego ſceptrum eſſe nihil aliud, niſi majeſtatem imperii opinor, eam nempe quæ ipſi Reip. aſſidet. Quare quorum Reſp. eſt, eorum & ſceptrum dici debet. Reſp. autem Hebræa à Moſis ſeculo ad uſque Roboami regnum non Judæorum, ſed duodecim tribuum fuit. Ex quo efficitur, etiam ſceptrum per ea tempora omnium fuiſſe Iſraëlitarum. Cæterum de hoc ſceptro quod diu commune XII. tribuum fuit, non locutus eſt divinus Patriarcha. Seros enim annos & ventura ſpectavit ſecula, cum tribus Juda, ſciſſo in contrarias partes populo, ſuam ſibi Remp. habere ſeorſim ab Iſraëlitis cœpit, quam probavit dilexitque Deus, atque appellari de ſolo Judæ nomine Judaicam voluit, donec is mortalium datus cœtibus eſſet cui imperium deſtinabatur, non Judæorum modò, ſed gentium omnium. Atque hanc quidem ſceptri majeſtatem, ex quo tempore ſemel eſſe Judæorum cœpit, manſiſſe eorundem dicimus, etſi mutatus interdum Reip. ſtatus, ac penes optimates modò pontificeſque, modò penes reges principeſque ſumma fuerit imperii.* Liquidò ex his apparet, quid inter ſententiam Caſauboni atque Cunæi interſit. Caſaubonus exiſtimat de *omnibus Iſraëlitis* prædictum eſſe, eos ſceptrum habituros uſque ad adventum Chriſti. Cunæus vero, de *Judæ poſteris ſeorſim id eſſe dictum:* & tum quidem poſteros Judæ cœpiſſe ſceptrum habere, cum decem tribus peculiarem ſibi Regem ſumpſerunt Jeroboamum. In cap. X. lib. I. ut ſuam ſententiam ampliùs firmet Cunæus, profert locum ex Joſepho, quo dicitur, decem tri-

tribus in Palæſtinam nunquam rediiſſe, ſed trans Euphratem ad Joſephi uſque ætatem manſiſſe, atque igitur accenſeri haud poſſe Judæis (Judæ poſteris) qui in Palæſtinâ agebant.

XVI. Porrò Cunæi ſententiam amplexus eſt Joh. Wandalinus, qui nuper contra Wilh. Langium popularem ſuum noſtrumque amicum ſcripſit, cujus diatriben à venerabilibus Theologis approbatam video. Scribit is in cap. IX. Diatribes ſuæ, *ſe illorum ſententiam amplecti, qui ſolam tribum Judæ à moribundo Vate intelligi cenſent, in eo tamen ſtatu conſideratam, in quo demum poſt decem tribuum à domo Davidicâ defectionem uſque ad Meſſiæ tempora perſeveratura erat. Duas quidem è Leviticâ & Benjamiticâ tribu mantiſſas ſimul promiſſione hâc comprehendi ſe non diffiteri. At reliquas tribus ſceptro Davidico graves eò non pertinere ſe prorſus perſuaſum eſſe.* Aſſenſus etiam eſt amicus noſter Georg. Ericus Phaletranus. Scribit is in cap. VI. ſuæ de ſceptri Judaici ablatione diſſertationis, *D. Jacobum locutum eſſe non de tribu Juda, nec de toto populo Hebræorum, ſed de regno Juda ſpeciali, ad quod pertinuerint tribus Juda, Benjamin & Levi.*

XVII. Quod igitur inter Caſaubonum & alteros illos non convenit, id nos leve judicamus Nam nec Caſaubonus tam imperitus fuit, ut neſciret, multa millia Judæorum in Palæſtinam nunquam rediiſſe. Quòd verò ſcripſit, omnium tribuum Iſraëlitas à D. Jacobo indigitatas eſſe, eo ſine dubio nihil aliud voluit, quàm, *indigitatos eſſe omnes illos Iſraëlitas qui in Palæſtinâ conſederunt.* Inter hos verò poſterioribus

quo-

quoque temporibus plurimos fuiſſe non ex tribubus Judæ, Benjamini & Levi, ſed ex aliis tribubus oriundos, quis dubitet? Scimus inter illos quos Salmanaſſarus deportavit, fuiſſe qui rectum Dei cultum ſervarint, & in Palæſtinam redire cupiverint. De Tobiâ ejuſque cognatis nota res eſt. Rediiſſe verò eorundem poſterorum nonnullos in Palæſtinam, id cum Wolfg. Franzio haud ineptè colligas ex divinis prædictionibus, quas in Prophetarum monumentis reperimus. S. Jeremias cap. III. v. 18. ita habet: *In diebus illis ibit domus Juda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terrâ Aquilonis ad terram quam dedi patribus veſtris.* Si verò maximè ex poſteris deportatorum à Salmanaſſaro, nulli in Palæſtinam migraſſent, nondum tamen concedi neceſſe eſt, nullos ex cæteris decem tribubus oriundos, poſterioribus ſeculis unà cum Judæ poſteris in Palæſtinâ egiſſe. Conſtat enim tum cum Salmanaſſarus gentem Hebræam deportavit, plurimos in antiquis ſedibus manſiſſe, nec cum cæteris unà fuiſſe deportatos. Manifeſtè id apparet ex II. Par. XXX. 6. ubi quippe legimus, quoſdam evaſiſſe manus Regis Aſſyriorum. Apparet item ex S. Hiskiæ literis, quas ad illos qui in Palæſtinâ remanſerant, miſit, cum feſtum Paſchatos prope eſſet ut agitaretur. Verba literarum ita habuerunt: *Si reverſi fueritis ad Iehovam, fratres & filii veſtri miſericordiam conſequentur coram illis qui captivos eos duxerunt, ut revertantur ad terram iſtam.* Cum poſt captivitatem Babylonicam in templo jam reædificato ſacrificia immolarentur, omnium XII. tribuum nomine immolatum fuiſſe liqui-

liquidò apparet ex cap. VI. Eſræ. v. 17. Verba ſic habent: *Obtulerunt in dedicatione domus Dei hircos caprarum pro peccatis totius Iſraël* duodecim לְמִנְיַן שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *ſecundum numerum tribuum Iſraëlis.* In libris N. T. memoratur S. Hanna, ab Aſero oriunda. Dicitur item de terrâ Zabulon & Naphthali in cap. IV. Matthæi.

XVIII. Cæterum nec cauſa magnopere erat, quamobrem Cunæus contenderet, decem tribus nunquam appellationem ſortitos fuiſſe à Judâ, nec communi nomine unâ cum cæteris Iſraëlitis *Judæos* fuiſſe appellatos. Scripſerat Euſebius in octavo ἀποδείξεων, μίαν καθόλου τὴν τοῦ Ἰούδα φυλὴν κατὰ τοῦ παντὸς ἔθνους ἐπιπεφημίσθαι *unam tribum Juda toti genti illuſtre nomen impertiviſſe, ſive univerſam Iſraëlitarum gentem à tribu Juda fuiſſe denominatam.* Euſebium verò ſecutus fuerat Vir ſummus Iſ. Caſaubonus. An verò id meritò reprehendit Cunæus? Scribit quidem ſatis confidenter in lib. I. de Rep. Hebr. c. X. *Sed quid illud eſt quod toties & tam fidenter ait* (Euſebius) *duodecim tribus in univerſum fuiſſe Judæorum nomine appellatas? Eſt hoc Euſebii delirium &c. Nos id nunquam factum dicimus, ſive tu tempora iſta quæ ſciſſionem regni Iſraëlitici antecedunt, ſive ea ſpectes quæ inſecuta poſt fuere.* Bona verba, Cunæe. Non deliravit Euſebius, cum iſtæc ſcripſit. Primò id notum eſt, profanis ſcriptoribus τῶν Ἰουδαίων *Judæorum* nomine comprehendi omnes Hebræos. Deinde nec ſacros Scriptores aliter feciſſe ſatis conſtare poteſt. An tam abſurdus quiſquam erit ut putet, cum in N. T. dicitur βασιλεὺς Ἰουδαίων, πρεσβύτεροι τῶν Ἰουδαί-

Ἰουδαίων, ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καθαρισμὸς τῶν Ἰουδαίων, voce Ἰουδαίων neminem comprehenſum eſſe, qui ex unâ decem tribuum quæ à cæteris ſeceſſerant, ortus eſſet? Ergone S. Hanna, quæ ex tribu Aſeri fuit, τοῖς Ἰουδαίοις *Judæis* accenſeri haud potuit? Sed de illis fortaſſe conceſſerit Cunæus, qui in ipſa Palæſtinâ egerunt inter Judæ poſteros, eos omnes communi nomine Ἰουδαίους fuiſſe dictos. An ergo negabit, inter iſtos τοὺς Ἰουδαίους quos ad feſtum Pentecoſtes agitandum Hieroſolyma veniſſe in cap. II. Actor. eſt proditum, ullum fuiſſe ex cæterarum tribuum aliquâ oriundum? & omnes ad unum oriundos fuiſſe contendet ex Judæ poſteris? Venerunt Ἰουδαῖοι iſti ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν, *ex Parthiâ, Mediâ, Meſopotamiâ, aliiſque locis*: ex illis, inquam, provinciis, in quas decem tribuum homines deportaverat Salmanaſſarus. Eoſdem igitur ex variis tribubus fuiſſe ortos, plus ſanè quàm veroſimile eſt. Quid quòd tam latè patuit nomen Ἰουδαίων, ut proſelyti quoque, ex gentilibus oriundi illi, eodem nomine appellarentur. Nec poſterioribus modò temporibus tam latè patere cœpit nomen iſtud, ſed & antiquiſſimis Mardochæi & Eſtheræ temporibus: imò & jam antea. Certè *religione eâ imbui*, quâ non tantum Judæ poſteri, ſed & alii Iſraëlitæ utebantur, in cap. VIII. Eſth. v. 17. Hebraicè dicitur מִתְיַהֲדִים *Judaizare, Judæum fieri.* Item, *eâ lingua uti, quâ non tantùm Judæ poſteri, ſed & cæteri Iſraëlitæ uſi fuerunt*, dicitur *loqui* יְהוּדִית *Judaicè.* Idque jam ante captivitatem Babylonicam, tempore Hiskiæ puta, fuit factum. Hujus enim ſubditi à Rabſake, ad

porras Hieroſolymorum יהודית *Judaicè* loquente petierunt, ut loqueretur ארמית *Aramicè*. Intelligi quoque ex eo poteſt, appellationem τῶ יהודים *Judæorum* valde latè patuiſſe, & comprehendiſſe eos quoque qui ex cæteris tribubus oriundi fuerunt, quòd in libro Eſtheræ cap. III. proditum eſt, Hamanem cogitaſſe omnes יהודים *Judæos* perdere, qui in toto regno Ahaſveri fuerunt. Quis dubitet, hîc comprehendi etiam tales qui ex cæteris tribubus fuerunt?

XIX. Id leve eſt, ut dixi, quo Caſaubonus diſcrepare putatur à cæteris. Inter prædictos omnes autem illud convenit, per *ſceptrum* intelligendum eſſe κῦρος τῆς πολιτείας *ſummam poteſtatem, ac imperium:* & ſceptrum illud tributum eſſe *Judæis;* ſive jam ſoli Judæ poſteri intelligantur, ſive unà comprehendantur cæterarum quoque tribuum homines. Putant illi omnes, S. Jacobum id voluiſſe, *ſummam poteſtatem & κῦρος non receſſurum fuiſſe à Judæis, antequam Meſſias veniret, ſive Judæos ſummam poteſtatem atque imperium uſque ad illud tempus uſque habituros.* Sed ex adverſo dicat aliquis, non poſſe id ita intelligi; quandoquidem, cum Hebræi Reges haberent ex ſuâ gente, ſumma poteſtas & imperium non penes populum, ſed penes ipſos Reges; Davidem, Salomonem, aliosque fuerit. Dicat quis, inquam, multis ſeculis non univerſum populum, ſed homines ſingulos, Reges ſcilicet ſummam poteſtatem ac imperium habuiſſe. De hoc igitur dubio eximendo non Caſaubonus, ſed poſt eum Cunæus cogitavit. In cap. IX. lib. II. in eam ſententiam

Cu-

Cunæus ſic diſſerit: *Nimis ineptè faciunt qui hîc in arctum deſiliunt, & nominis hujus honorem haud pertinere niſi ad Reges autumant. Quicunque enim populus ſuâ quadam Republicâ ſuisque legibus utitur, is rectè gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt.* Et paucis interjectis: *Ne illud quidem noſtrâ intereſſe arbitramur, quâ de gente aut tribu fuerint, qui Judaicas res moderati ſint rexerintque. Etſi enim per annos ſanè multos regnum tenuerint Levitæ Haſmonæi, fuit tamen nihilominus Reſp. Judæi populi.* Addit deinde nonnulla de majeſtate quam populus Rom. habuerit, judicibus Senecâ & Ulpiano: ut quòd Neroni dixit Seneca, *non Remp. Principis eſſe, ſed principem Reipublicæ:* quòd item Ulpianus ſcripſit, *majeſtatis crimen id demum eſſe, quod adverſus populum Rom. vel adverſus ſecuritatem ejus admittitur.* Cunæum κατὰ πόδας ſecutus, & iiſdem quoque teſtimoniis uſus eſt nuperus ſcriptor Joh. Wandalinus in cap. IX. Diatribes ſuæ. Habet is inter alia ſic: *Quid quæſo intereſt, qua de tribu fuerint qui Judaicas res moderati ſunt, modò ipſa Reſp. & majeſtas realis penes Judæum populum fuerit? An putas, Langi, fœderati Belgii Remp. majeſtatem ſuam perdidiſſe cum Dictatorem ſibi è Naſſovica domo adſcivit? An imperium non penes Romanum populum extitiſſe cenſes, cum Galli, Thraceſve Imperatores eligerentur?*

XX. An credendum eſt, iſtos homines eſſe ex Joh. Miltoni grege? Sanè verba ipſorum nihil ferè aliud tinniunt. Contendunt ſcilicet, majeſtatem & ſummam poteſtatem ſemper eſſe populi, ſive populus Regem habeat, ſive non

habeat. Nihil quicquam ſecundum ipſos diſcrepant, quod ad ſummam poteſtatem quidem, hodierna fœderati Belgii Reſpublica, & Reſp. Romana, cum Cæſares & Imperatores jam exiſterent. Et, quemadmodum non unus Princeps Auriacus ſummam poteſtatem in Belgio habet, ita nec apud Romanos ſummum imperium ac poteſtatem habuiſſe Auguſtos, Tiberios, Conſtantinos: ſed tum quoque imperium penes populum Rom. fuiſſe. Quid igitur his hominibus faciemus? Non libet in præſentiâ de abſurdo ipſorum epicheremate refutando multùm laborare. Defuncti ſumus iſtoc labore jam antehac in de ſumma poteſtate civitatem gubernandi quam unus habet, diſſertationibus. Sed nec ſatis cohærent, quæ illi ſcriptitant. Cunæus dicit, ipſum populum qui Regem habet, gloriari poſſe de imperio ac ſceptro, id eſt, niſi nos omnia fallunt, ipſum populum habere imperium. Paulò poſt autem addit, Levitas Haſmonæos regnum tenuiſſe, Remp. autem fuiſſe Judæi populi. Sanè *regnum tenere in Hebræo populo*, nihil aliud eſt, quàm imperium ac ſceptrum tenere. Si igitur Haſmonæus quidam regnum tenuit, tenuit quoque idem ille imperium ac ſceptrum: non verò hoc tenuit populus. Deinde quam ἁπλῶς dicitur illud, *etſi per annos multos regnum tenuerint Haſmonæi, fuiſſe tamen nihilominus Remp. Judæi populi.* Quaſi verò, ſi Reſp. ſit Judæi populi, ipſe Hebræus populus continuò & ſceptrum teneat. Fuit ſanè Reſpublica Judæi populi, hoc eſt, ipſe ille populus fuit ipſa Reſpublica Judaica. Non tamen ille populus qui

Reſ-

Reſpublica fuit, ſceptrum tenuit: ſed hoc tenuerunt Reges. Diverſa hæc ſunt, populum quendam eſſe Rempublicam, & eundem habere ſceptrum. Sed fortaſſe per Remp. intelligit ipſam ſummam poteſtatem: quod & Wandalinus facere videtur, cum ſcribit, *Remp. fuiſſe penes Judæum populum.* Tum verò uſus vocis non ſatis concinnus videtur. Cæterum nec illud concedent fœderatæ Belgicæ provinciæ, ſe Dictatorem è Naſſovicâ domo adſciviſſe. Sanè permultum eſt inter illum quem iſta Reſp. ſibi ex domo Naſſovicâ legere ſolet, & inter veteris Reip. Rom. Dictatores. Qui autem amicus noſter Wilh. Langius tam abſurdus ſit, ut fœderati Belgii Remp. dicat majeſtatem ſuam perdere, cum è domo Naſſovicâ legunt cui στρατηγίαν committant, quemadmodum Regibus ſuis ſolebant Spartani. Non abdicant illi majeſtatem ac poteſtatem ſuam, cum tale quid faciunt. Apud Romanos verò longè aliter ſe res habebat, cum populus Rom. *omne ſuum imperium & poteſtatem* in principem conferret, ut eſt in leg. 1. Digeſt. de conſt. Principum.

XXI. Falſum omnino eſt, ſi populus quidam Regem habeat, ipſum populum ſummam poteſtatem ac imperium habere. Quamobrem nec de populo Hebræo, cum is Reges habuit, dici poteſt, ipſum ſummam habuiſſe poteſtatem: ſed dicendum eſt ipſos Reges habuiſſe poteſtatem illam. Cumque S. Patriarcha hæc ſatis præviderit, non putandum eſt, ipſum verbis ſuis hoc voluiſſe dicere, populum Hebræum perpetuò ſummam poteſtatem habiturum, donec

nec Chriſtus veniret. Si nunc porrò ad vocem שֵׁבֶט *ſceptrum* attendamus, facilè ex eâ quoque id quod dixi liquere poterit. Crediderunt prædicti Viri clariſſimi, eâ voce ſignificari etiam poſſe *talem ſummam poteſtatem quam univerſus populus habet.* Is. Caſaubonus in Exerc. I. cont. Baron. Sect. III. ita habet: שבט *virga ſive ſceptrum, pars eſt Reip. primaria, penes quam ſumma rerum, & ut appellat Ariſtoteles,* τὸ κύριον τῆς πολιτείας. Cunæus item: *Quicunque populus ſuâ quadam Republicâ ſuiſque legibus utitur, is rectè gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt.* Nec diſcrepat is qui nuper ſcripſit, Joh. Wandalinus: *Quòd ſceptri notione non neceſſariò regalis majeſtas, ſed quævis alia ἀνυπεύθυνος ſub quacunque regiminis formâ deſignetur, in omnibus linguis & inter omnes gentes in confeſſo eſt.* Et aliquibus interjectis: *Quævis majeſtas ſub quavis Reip. formâ ſceptri notione deſignatur, aliuſque quàm regius Magiſtratus eo nomine nonnunquam appellatur.* Contra ea nos aſſerimus, atque etiam demonſtrare poſſumus, voce שֵׁבֶט *ſceptrum* non niſi *eam poteſtatem quam unus habet*, ſolere ſignificari. In Caſauboni autem verbis id ſeorſim non placet, quòd ſcribit ſceptrum eſſe *primariam partem Reipublicæ, penes quam ſit ſumma rerum.* Quid illud eſt dicere, *pars Reip. penes quam eſt ſumma rerum.* Dicat potiùs, ſceptrum eſſe *ipſam ſummam rerum, ipſum* κύριον, *ipſam ſummam poteſtatem.* Super Cunæi verbis jam ſuprà quædam diſſeruimus. De Wandalini autem verbis quid dicam? Voluit is amicum noſtrum refellere, qui ſcripſerat, poſt captivitatem Babylonicam ſceptrum non penes Judam,

ſed

ſed penes Reges Babyloniæ, Chaldæos nempe, Perſas & Græcos fuiſſe. Id igitur putavit ſe egregiè præſtitiſſe, ſi diceret, *quamvis majeſtatem ſub quavis Reip. formâ ſceptri notione deſignari, aliumque quàm regium magiſtratum nonnunquam eo nomine appellari.* Verùm enimvero iſta Wandalini, amico noſtro minimè ſatisfacient. Si maximé id probari poſſet, vocem שבט poſſe *quamvis majeſtatem* ſignificare, nihil tamen eo proficeret. Statim enim amicus noſter rurſus negabit, Hebræos tum majeſtatem ſive ſummam poteſtatem habuiſſe, cum Chaldæorum ac Perſarum Regibus illi ſubeſſent. Habebant quidem Hebræi poteſtatem aliquam: ſed ea non dici poteſt majeſtas. Hac enim voce deſignare ſolemus eam poteſtatem quæ alii non ſubjacet. Quòd nec ipſe Wandalinus aliter intelligat, id videor colligere poſſe ex alteris ipſius verbis, quibus dicit, *ſceptri notione non neceſſariò regalem majeſtatem, ſed quamvis aliam ἀνυπεύθυνον deſignare.*

XXII. Sed nunc oſtendendum nobis, vocem שֵׁבֶט *ſceptrum*, quandocunque dominium & poteſtatem politicam ſignificat, *talem* deſignare *quam unus habet.* In Pſal. XLV. de Chriſto dicitur: שבט *ſceptrum regni tui eſt ſceptrum rectum.* Hic videmus, ſceptrum eſſe *regni*, atque adeò & Regis. In Ezech. XIX. v. 11. eſt allegoria de civitate Hieroſolymis, his ferè verbis contexta, *fuiſſe iſtam civitatem tanquam vitem* ad aquas plantatam, ejuſque ſurculos adeò excreviſſe, ut ex his ſceptra Regum conferi potuerint: poſthinc verò eandem vitem tales ſurculos non ampliùs habituram. Appa-

tet ibi quoque ſceptra non niſi perſonis ſingulis, & quidem Regibus, attribui, vel potiùs, ipſos Reges in iſtâ allegoriâ dictos eſſe שבטים *ſceptra.* Porrò in cap. I. Amoſi prædictum eſt, excisum iri ex Aſcalone תומך שבט *tenentem ſceptrum*, hoc eſt, principem Aſcalonitarum. Vides hic quoque uni ſeorſim ſceptrum attribui. In cap. X. Zachariæ quoque per שבט מצרים *ſceptrum Ægypti* ipſe Rex Ægypti intelligitur. Nec non & in 2 Sam. VII. v. 7. Judices Hebræorum qui ante Reges fuerunt, dicuntur שפטים. Verba ibi ſic habent: *An verbum ullum dixi* את־אחד שבטי ישראל *ad unum ſceptrorum Iſrael* (ad unum Judicum Iſraël) *quibus præcepi ut paſcerent populum meum Iſraël.* Vulgatus vertit: *ad unum de tribubus Iſraël.* Sed minùs concinnè, ut nobis quidem videtur. Intellexit iſte Interpres non *unam tribuum*, non *unam quandam tribum*: ſed *unum hominem ex tribu quadam.* Sed hunc intellectum, ſi maximè per שבט tribum intelligas, non tamen videntur iſta verba ferre. Sic enim dicendum fuiſſet, אחד מן שבטי יש׳ Nunc verò dictum eſt, אחד שבטי יש׳. Si igitur vox שבט tunc tribum ſignificare poſſet, neceſſariò vertendum ſic foret, *una tribuum Iſraël.* Et ſic quidem vertit Ar. Montanus. Pari ratione & Græci Interp. Εἰ ἐλάλησα πρὸς μίαν φυλῶν Ἰσραήλ. Verùm enimvero ſi ita vertas, non congruit id cæteris verbis: imò nec cum loco parallelo, qui in cap. XVII. lib. I. Paralip. eſt. De iſto אחד שבטי יש׳ in prædictis verbis legimus, *mandatum ei fuiſſe ut paſceret populum Iſraël.* Hoc autem *toti cuidam tribui* non competit. Deinde in parallelo loco verba

ſic

ſic habent : *An verbum ullum locutus ſum* אֶת־אַחַד שֹׁפְטֵי יִשְׂרָאֵל *ad unum judicum Iſraël, cui præcepi ut paſceret populum meum Iſraël.* Apparet ſatis manifeſtè, ipſos Hebræorum שׁוֹפְטִים *judices* in 2 Sam. VII. dictos eſſe שִׁבְטֵי Hoc autem nomen, quòd alias ipſum ſceptrum ſignificat, nunc per metonymiam quandam eſt poſitum, & ſignificat idem quod תּוֹמְכֵי שֵׁבֶט *ſceptra tenentes*, ut in cap. I. Amoſi dicitur. Nec mirum id videri debet, judices Hebræorum dictos eſſe שבטים *ſceptrum tenentes.* Non quidem propriè dicti Reges, illi fuerunt. Sic enim nihil ipſi differrent à Saulo, Davide, cæteriſque Regibus. Nunc verò notum eſt, fuiſſe inter judices Hebræorum & eorundem Reges, qui pòſt ſucceſſerunt, differentiam quandam. Si Reges ſe habuiſſe putaſſent Hebræi, non poſtulaſſent iidem, ut ſibi novâ ratione Rex daretur. In cap. VIII. Judicum legimus, cum Gideon *Judex*, feliciter rem geſſiſſet, eique regnum adjudicaretur, ipſum recuſaſſe illud, ſuamque gentem fuiſſe hortatum, ut ipſum Deum ſatis haberent Regem habere. Ex quo ſatis intelligitur, cum Gideon eſſet שופט *judex*, Hebræos ex hominibus Regem non habuiſſe. Iidem tamen Judices qui propriè dicti Reges non fuerunt, in libro Judicum non ſemel מלכים *Reges* appellantur. Exemplum habes in extremo libro iſto, in his quidem verbis: *In diebus illis non erat Rex in Iſraël: unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, id faciebat.* Quòd verò judices iſtos videmus in 2 Sam. VII. dictos eſſe שִׁבְטֵי, ex eo quoque ſatis apparet, vocem שבט non niſi

perſonis ſingulis qui exortem quandam poteſtatem habent, competere.

XXIII. Porrò & in aliis linguis *ſceptra* non niſi perſonis ſingulis attribuuntur: non verò ea vox ſignificare ſolet eam poteſtatem, quam plures, e. g. totus populus, habent. Græci non totum quendam populum qui ſummam poteſtatem ac imperium habet, σκηπτοῦχον vocant: ſed id nominis tantummodo *perſonis ſingulis* attribuunt. Apud Homerum frequens eſt, σκηπτοῦχοι βασιλῆες. Heſychius σκηπτοῦχοι non niſi per βασιλεῖς exponit. Sic & σκηπτροφόρος non niſi per βασιλεύς. De voce σκῆπτρον autem cum notaſſet, ſignificare eam quamvis ῥάβδον, addit deinde, καὶ τὸ βασιλικὸν δὲ σύμβολον. Jovi quem inter Deos Regem fecerunt, ſceptrum tribuunt Poëtæ, regiæ majeſtatis ſignum. Ovidius I. Metamorphoſeon:

Celſior ipſe loco, ſceptroque innixus eburno.

Apud Homerum Ulyſſes ubi de imperio unius loquitur, ſceptri itidem meminit, nim. Iliad. β.

——— Εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

Ibidem & de Rege Agamemnone ad naves deſcenſuro:

Εἵλετο

Εἵλετο σκῆπτρον πατρώϊον ἄφθιτον αἰεί.

Chryſes Apollinis ſacerdos filiam ſuam redempturus in caſtra Græcorum venit,

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Habuit igitur & ſacerdos iſte ſceptrum. Quod quidem non regiæ poteſtatis ſymbolum fuit, ſed talis tamen, quæ unius erat, non plurium. Per ſceptrum quoque jurabant Reges, aut ad juramentum adigebantur. De Regibus qui heroicis temporibus fuerunt, Ariſtoteles in III. Polit. cap. IV. prodidit, eos populo jurare ſolitos: juramentum autem fuiſſe τοῦ σκήπτρου ἐπανάστασιν, *ſceptri elevationem.*

Apud Homerum, Iliad. K. Dolon ad Hectora:

Ἀλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο καί μοι ὄμοσσον.

De Hectore verò ſic habet divinus Poëta:

ὁ δ' ἐν χερσὶ σκῆπτρον βάλε καί οἱ ὄμοσσε.

XXIV. Satis, credo, ſuperque apparet, vocem שבט *ſceptrum*, ubi poteſtatem ac imperium

perium deſignat, eam duntaxat poteſtatem deſignare quam unus habet. Si igitur S. Patriarcha id ſibi voluiſſet, ſummam poteſtatem ab univerſo populo Judaico non receſſuram, ſive quod idem eſt, populum Judaicum ſummam poteſtatem retenturam; ſi, inquam, id voluiſſet, non uſus fuiſſet voce שבט ad id ſignificandum. Et quoniam eâ voce eſt uſus, apparet manifeſtè, verborum ipſius alium omnino quærendum eſſe intellectum. Cæterum adhuc aliam quoque ob cauſam minùs recta videtur tum Caſauboni, tum Cunæi expoſitio, eam puta, ob quam ſuprà Fr. Junii ſententiam rejecimus. Nimirum ſi vel Caſauboni vel Cunæi ſententia obtineat, D. Jacobus iſtis ſuis verbis de tribu Judæ nihil peculiare prædixit, nec de eadem tribu diſſeruit ſeparatim. Caſaubonus credit, ipſum hoc voluiſſe, *ſummum imperium ac poteſtatem politicam non receſſuram à Judæis*, hoc eſt, ab omnibus Iſraëlitis ſimul ſumptis. Cunæus verò, *non receſſurum ſummum imperium à poſteris Judæ, iiſque junctis Benjamini & Levi poſteris, qui unà cum poſteris Judæ unam Remp. conſtituerint.* Juxta has igitur expoſitiones non aliquid peculiare attribuitur tribui Judæ, ſed tale modò, quod vel cum cæteris tribubus omnibus, vel minimùm cum tribu Benjamin & Levi eſſet commune. Veroſimile autem eſt, S. Jacobum, cum de tribu Judæ diſſerere cœpiſſet, de eâ ſeorſim voluiſſe diſſerere, quemadmodum & de cæterarum tribuum unaquaque ſeorſim diſſeruit: eidemque peculiaria quædam voluiſſe attribuere.

XXV. Ex interpretationes quas Caſaubonus

& Cunæus prodiderunt, propter tres graviſſimas quas jam expoſui, cauſas probari nobis non poſſunt. Optimum a. factu videtur, veſtigiis inſiſtere antiquiſſimorum Interpretum ac Paraphraſtarum: à quibus tam leviter receſſum eſſe, idque feciſſe Viros undiquaque doctiſſimos, non parum ſanè miramur. Dicimus igitur, S. Patriarcham, cum *ſceptrum* dixit *à Judâ non receſſurum*, iſtis verbis ſibi hoc voluiſſe, *ex tribu Judæ longâ ſerie Reges exorituros, non defecturum Regem ex Judæ poſteris.* Ita per שבט *ſceptrum* intelligendus eſt תּוֹמֵךְ שֵׁבֶט, σκηπτοῦχος, σκηπτροφόρος, *ſceptrum tenens ſive tractans, hoc eſt, unus quidam qui κῦρον τῆς πόλεως habet*, qualem vulgo Regem appellamus. Nec mirum id eſſe debet, vocem שֵׁבֶט, & in verſionibus quoque vocem *ſceptrum* per metonymiam quandam ſignificare *ipſum illum qui ſceptrum tenet.* Nam & in lib. II. Sam. cap. VII. Hebræorum Judices, quos quandoque etiam Reges appellatos eſſe ſuprà diximus, manifeſtè appellantur שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל, uti id itidem jam ſuprà clariſſimè expoſitum eſt. Si judices iſti שבטי ישראל *ſceptra Iſraëlis* ſunt appellati, quidni & in verbis S. Patriarchæ per שֵׁבֶט intelligi poſſet תומך שבט, *ipſe homo qui ſceptrum tenet, ipſe Rex.* Cæterum de Rege dicitur, eum *non receſſurum à Judâ.* Hîc per *Judam nos* intelligimus *tribum* ſive *familiam Judæ.* Verbum סור autem, quod vulgò *recedere* ſignificat, quamvis iſtâ Latinâ voce in verſionibus quoque verſum tolerari poſſit, concinniùs tamen exprimetur Latinis vocibus

defi-

Digitized by Google

deficere, deſinere. Quæ ſignificatio & alibi occurrit. In cap. X. Zach. v. ult. prædictum legimus his verbis שבט מצרים יסור. Eorum verò non alius intellectus quàm hic eſt, *ſceptrum Ægypti deſiturum, non ampliùs futurum eſſe.*

XXVI. Atque iſta noſtra interpretatio mentem veterum Interpretum planiſſimè exprimit. Græci interpretes quid ſenſerint, ex ipſorum verſione apparet. Habet autem ſic, ὀυκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰȣδα. Vides, ipſos vocem שבט vertiſſe voce ἄρχων, quæ *principem, & imperantem* ſignificat, *talem hominem qui* שבט *ſceptrum habet & tractat.* Deinde verbum יסור verterunt ſuo ἐκλείψει *deficiet, deſinet.* τὸ מיהודה verò verterunt non ἀπὸ Ἰȣδα, ſed ἐκ Ἰȣδα *ex Judâ*: ut nim. *ipſam originem & proſapiam* ſignificarent. Ex Judæ poſteris erant Reges orituri: erant iſtis Judæ poſteris multi Reges naſcendi. Porrò nec diſcrepant Chaldæi Paraphraſtæ. Onkelos ita habet: לָא יֶעְדֵי עָבֵיד שׁוּלְטָן מִדְבֵית יְהוּדָה *Non recedet habens principatum de domo Juda.* Vides & hunc per vocem שבט *ſceptrum* intellexiſſe *ipſum hominem qui poteſtatem habeat & exerceat.* Et talem hominem non deſiturum ex domo ſive familiâ Judæ, ex Judæ poſteris. Jonathan quoque alter Paraphraſtes Chaldæus, valde concinnè, clareque vertit: לָא פָּסְקִין מַלְכִּין וְשַׁלִּיטִין מִדְבֵית יְהוּדָה *Non deſinent Reges & Princeps de domo ſive familiâ Judæ.* Targum Hieroſolymitanum habet ſimiliter: לא פסקין מלכין מדבית יהודה Omnes iſti Interpretes, ut apparet, per שבט *ſceptrum* in verbis Patriarchæ intellexe-

lexerunt תומך שבט *tenentem & tractantem ſceptrum, Regem, Principem.* Et *talem* unanimi conſenſu crediderunt *non deſiturum fuiſſe de ſive ex familiâ Judæ; ex familiâ, Judæ, ut ex origine, talem exoriturum.* Conſentiunt quoque Veteres Eccleſiæ Patres, quorum ipſa verba ſuprà retulimus. Tantùm illud minùs rectè ſe habet, ut dicebamus, quod putarunt, perpetuò *ad nativitatem Chriſti uſque Reges exſtituros ex Judæ poſteris.* Quòd verò S. Patriarcha id ſibi voluerit, ex Judæ poſteris longâ ſerie Reges exorituros, id omnes illi ſatis rectè collegerunt.

XXVII. Non autem ſolâ veterum Interpretum autoritate ſtare opus eſt, verùm etiam, quòd eorum interpretatio rectè ſe habeat, id ex antecedentium & conſequentium *ſυναφεία* clariſſimè oſtendi poteſt. Sanè & in antecedentibus S. Patriarcha jam locutus fuerat de potentiâ eminentiaque poſterorum Judæ. Verba ſic habent, *Juda, te laudebant fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris ſui. Catulus leonis Juda, de prædâ fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti, ut leo & quaſi leæna quis ſuſcitabit eum?* Quòd dicit Patriarcha, cæteros ſuos filios Judam adoraturos, eo ſanè non aliud ſibi quàm hoc voluit, *cæterorum ſuorum filiorum poſteros veneraturos eſſe poſteros Judæ.* Nihil enim dubium eſt, quin nominibus filiorum ſuorum S. Patriarcha deſignarit non ipſos illos filios ſuos, apud quos poſtremùm tum differebat, ſed iſtorum filiorum poſteros. Rurſus tamen non ſic intelligi poteſt,

teſt, ſingulos Judæ poſteros ſive ſingulos ex Judâ, orituros adoratum iri à poſteris cæterorum filiorum: ſed reſtringendum utique illud eſt ad quoſdam modò ex Judà orituros, nim. ad Reges illos qui bene longâ ſerie regnarunt, Davidem, inquam, Salomonem cæteroſque: & deinde ad alios quoſdam, qui cum itidem ex Judâ oriundi eſſent, eximiam quandam inter ſuos autoritatem ac poteſtatem habuerunt. Cum igitur iſta in eam ſententiam Patriarcha diſſeruiſſet, mox idem illud adhuc aliis verbis exprimit, & paulo quidem manifeſtioribus: terminum item temporis figit, ad quem uſque iſthæc ita ſe habitura ſint. *Non recedet ſive deficiet*, inquit, *ſceptrum*, (Rex) *à Judâ*, (*ex Judæ poſteris*,) *neque judex de femoribus ejus*, *donec veniat Schilo.* Sed de horum ipſorum verbornm aliquibus paulò adhuc ampliùs eſt diſpiciendum, de illis puta, *neque judex de femoribus ejus.* Faciunt enim & ipſa ad intelligendum illud, quid proxima præcedentia ſibi velint.

XXVIII. Hebræa ſic habent: ומחוקק מבין רגליו. Ad hæc verò ſine ſubaudienda quædam ſunt, & ex proximis ſuperioribus repetenda: nim. voces לא יסור, *non recedet*, *non deficiet*. Porrò hæc ipſa quæ ex prioribus repetenda ſunt, non totum prædicatum, ſed hujus modò partem habent. Totum autem prædicatum apparebit, ſi hæc conjungas, לא יסור מבין רגליו *non recedet ſive deficiet de femoribus ejus* (Judæ.) Qui verò non receſſurus ſive defe-

defecturus dicitur de femoribus Judæ, is מְחֹקֵק dicitur. Sed quid מחוקק? Græci vertunt, ἡγούμενος. Hoſque imitans Latinus Interpres, *Dux.* Vetus Interpres Chaldæus Onkelos vocem ספרא hic uſurpat. Jonathan item, alius Chaldæus Interpres ſimiliter habet, וספרין מאלפי אורייתא *ſcribæ docentes legem.* Targum Hieroſolymitanum quoque non diſcrepat. Pagninus, Arias Montanus, Junius & Tremellius ad vocem מחוקק vertendam uſurpant vocem *Legiſlator.* Nos intelligi velimus *judicem, qui cauſas civiles ſuæ gentis ſecundum leges, aut ſi hæ deficiant, ſuo arbitratu judicet.* חקק ſignificat *ſcribere, deſcribere, ſculpere, pingere, præſcribere, ſtatuere, decernere.* Nobis verò præcipuè obſervandum illud eſt, quòd verbum illud ſignificat *decernere, judicare.* Quam eandem ſignificationem verbum quoque in Piel habet. Ejus exemplum eſt Prov. VIII. 15. *Per me reges regnant, & magnates* יְחֹקְקוּ צֶדֶק *decernunt jus.* Item Eſ. X. v. 1. הוֹי הַחֹקְקִים חִקְקֵי אָוֶן *Væ illis qui decernunt decreta iniqua, & injuſtitiam ſcribunt, ut pauperes in judicio opprimant, & vim faciant cauſæ humilium populi mei.* Vulgatus vertit: *qui condunt leges iniquas.* Id verò nobis non placet. Non agitur ibi de ipſarum legum latione: ſed de iniquis judicum ſententiis. Aliud eſt, *leges condere*: aliud *ſecundum leges, & contra eas decernere.* Illud τοῦ νομοθέτου *legiſlatoris* eſt: hoc verò *judicum & prætorum.* Satis verò apparet, in verbis Eſaiæ non hos qui leges primùm condunt, ſed *ipſos Judices*, qui cauſas civi-

Digitized by Google

civiles ſecundum leges latas, aut ubi illæ deficiunt, pro arbitratu ſuo, & quàm rectiſſimè poſſunt, decernunt, aut ſi ita non faciant, ſaltem ita facere debebant. Dicitur ibi de oppreſſione pauperum, de vi quæ illis inferatur. De his verò non leges condi ſolent: ſed ſi iſtà fiant, fiunt contra leges, & per ipſorum judicum qui ſecundum leges decernere debebant, malitiam. Ipſum participium מחוקק quoque ſignificatione *judicis* non ſemel apparet. Exemplum eſt Eſ. XXXIII. v. 22. *Jehova* שופטנו, *Jehova* מחוקקנו. Hic ſanè vox מחוקק videtur ἰσοδύναμος eſſe voci proximæ שופט, quæ ſine controverſiâ *judicem* ſignificat. In Pſ. CVIII. itemque in LX. S. David de amplitudine regni, quam ſibi Deus conceſſerit, diſſerens, hæc inter alia uſurpat verba, יְהוּדָה מְחֹקְקִי *Juda eſt Judex meus.* Quorum verborum utique is intellectus eſt, Davidem ex tribu Judæ per terras ſuas conſtituiſſe judices. Non debebant illi leges condere, ſed modò ſecundum jam latas leges decernere & cauſas judicare. Vide & Deut. XXXIII. 21. & Num. XXI. 18. Cæterum nec diſſentit hic à nobis, à quo nos diſcrepabamus ſuprà, ὁ πάνυ Caſaubonus. Scribit is in Exerc. I. cont. Bar. ſect. 3. מחוקק *ſive legiſlator eſt Reip. pars altera, Magiſtratus & judices, & qui dicuntur Græcis Nomothetæ. Ariſtoteles nominat τὰς ἀρχὰς καὶ τὸ δικάζον.*

XXIX. Nunc penſitemus, quid de judice ſive magiſtratu in noſtris verbis dicatur. Expreſ-

preſſum id eſt hiſce verbis , לא יסור מבין רגליו *non recedet ſive non deſinet ex femoribus ejus* (Judæ.) Rectè ſanè vox רַגְלַיִם hic vertitur Græcâ voce μηρῶν, & Latinâ *femora*. Significat nim. iſta vox non tantùm *pedes* , ſed & *partes corporis genitales* , tum virorum , tum fœminarum. Cujus rei clariſſima exempla ſunt Deut. XXVIII. v. 57. & Eſ. XII. 20. Patet & ex eo , quòd Hebræi urinam vocant מֵימֵי רַגְלַיִם *aquas partium genitalium.* Cæterum qui naſcitur ab aliquo , is Hebræis dicitur יָצָא יְרֵכוֹ *egredi ex femore alicujus* , item יָצָא מֵחֲלָצָיו *egredi ex lumbis alicujus* : quarum phraſium exempla ſunt Gen. XXXV. 11. I. Reg. VIII. 19. Gen. XLVI. 26. Formavit item juxta iſtas Hebræas phraſes Autor epiſt. ad Hebr. cap. VII. v. 5. phraſin ἐξέρχεσθαι ἐξ ὀσφύος τινός Quæ verò iſtarum Hebræarum phraſium ſit ratio , id obſcurum eſſe non poteſt. Cognata quoque illis eſt iſta phraſis, quæ in prædicto loco Deut. XXVIII. legitur , צאת מבין רגלים *exire ex genitalibus* : quæ phraſis ibi de *ſecundinâ* puerperarum uſurpatur. Satis manifeſtè hic apparet vocis רגלים ſignificatio. Sed dices , differentiam tamen aliquam eſſe inter hanc ſignificationem , & alteram illam , quam Græci voce μηρῶν, & Latinus voce *femora* expreſſit. Eſt ſanè differentiæ nonnihil : ſed leve illud. Græcos autem conjicere licet eò libentiùs uti voluiſſe voce μηρῶν ad exprimendam vocem רַגְלַיִם , quæ eſt in noſtro loco , quod ſcirent , ubi de genera-

tione agitur, ibi frequentem eſſe vocis *femora* uſurpationem. Sic etiam verterunt Deut. XXVIII. 57. τὸ ἐξελθὸν διὰ τῶν μηρῶν αὐτῆς. Sed nunc totam phraſin conſideremus סור מבין רגלים *recedere, deficere de femoribus.* Significat ea nihil aliud quàm *non ampliùs egredi de femoribus: non naſci ſive generari ab aliquo.* Et quod Patriarcha dicit, *judicem ſive magiſtratum ex femoribus Juda non receſſurum ſive defecturum*, ejus hic intellectus eſt, *judicem ſive magiſtratum ex femoribus Judæ ſemper egreſſurum, eum ex Judâ naſciturum.* In hanc ipſam ſententiam ſic verterunt Græci καὶ ἡγέμενος (οὐκ ἐκλείψει) ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ (Ἰούδα.) Satis etiam intellexerunt Chaldæi Paraphraſtæ, S. Patriarcham voluiſſe *generationem, procreationem* exprimere. Hinc Onkelos ſic παρέφρασε: וספרא (לא יעדי) מִבְּנֵי בְנוֹהִי *non deficiet ſcriba de filiis filiorum ejus.* Et Jonathan ita: וספרין מִזַּרְעֵיהּ (לא פסקין) *& ſcribæ de ſemine ejus* (non deficient.) Targum Hieroſolymitanum ſic habet ut Onkelos.

XXX. Cum igitur proxima iſta ſic ſe habeant, licet & hinc colligere, alterorum quoque verborum expoſitionem, quam nos ſuprà dedimus, rectè ſe habere. Id ſolenne eſt ſacræ ſcripturæ, unam phraſin mox per aliam explicare. Quia igitur iſtis verbis, *Nec magiſtratus ſive Judex recedet ſive deficiet à femoribus Judæ*, generatio ſive procreatio judicum exprimitur, qui ex Judâ naſcituri erant: alteris quoque prioribus, *non recedet ſive deficiet ſceptrum à Judâ*, gene-

generationem ſive procreationem expreſſam eſſe verò apprimè conſentaneum eſt. *Tò recedere ſive deficere à Judâ*, inquam, nihil aliud eſt, quàm *recedere ſive deficere à femoribus Judæ*, hoc eſt, ex Judâ non naſci, non procreari. Ex adverſo autem *τὸ non recedere ſive deficere à Judâ* ſignificat idem quod *non recedere ſive deficere à femoribus Judæ*, hoc eſt, *à Judâ procreari, ex Judâ naſci.* Porrò quod dicitur *ſceptrum non receſſurum ſive defecturum à Judâ*, id ſignificat, *ex Judæ femoribus non defecturum Regem, ex Judâ Regem eſſe naſciturum, à Judâ Regem procreatum iri.* Nam per שבט *ſceptrum* intelligendum eſſe *eum qui ſceptrum gerit & tractat, quique imperium obtinet, cujus ſceptrum illud eſt ſymbolum*, id jam ſuprà monitum atque probatum eſt.

XXXI. Sed hîc nos urgebunt *ἀδύνατῳ* quodam, dicentque, non poſſe ex verbis iſtis, *ſceptrum non recedet à Judâ*, intelligi illud, *non defecturum Regem à Judâ*, ſive *Regem ex Judâ ſemper naſciturum eſſe*, propterea quòd mox temporis quidam terminus eſt additus, ad quem uſque ſic futurum fuerit, is puta qui expreſſus eſt hiſce verbis, *donec veniat Schilo.* Conſtare enim ſatis liquidò ex hiſtoriâ, non ſemper exſtitiſſe Reges ex Judâ ortos, donec Chriſtus veniſſet. Sexcentis circiter annis iſtis, qui inter excidium templi, & nativitatem Chriſti interceſſerunt, neminem ex Judæ poſteris Regem fuiſſe: idque ita fore, tum à Jeremiâ, tum ab Ezechiele clariſſimè prædictum fuiſſe. Venerabilis Theologus in prolixâ ſua de noſtro dicto diſſertatione ſcribit, poſſe dici, quòd vis *ſceptri* ſub Macca-

bæis poſt Duces tranſlata fuerit ad ipſum Sanhedrin, quodque ſummus iſtius Synedrii præſes ſemper ex Davide, adeoque Judæ tribu oriundus fuerit. Hæc tamen reſponſio non perinde ipſi placet, ut alia quædam. Et habet ſanè illa dubium non unum. Primò ſumitur illud, quod probari vix poteſt, inde à captivitate Babylonicâ ad Haſmonæorum uſque ætatem ſemper exſtitiſſe Duces ex tribu Juda. Nos hoc ſcimus, præcipuâ quadam autoritate in ſuâ gente fuiſſe Zorobabelem. De poſteris ejus an ſimili illi autoritate fuerint, non ſatis liquet. Deinde Synedrii M. præſidem ſemper ex tribu Judæ, & ampliùs ex familiâ Davidis ſumptum fuiſſe, unde, quæſo, probabitur? Non ſanè id congruit cum illis, quæ Moſes Maimonides in Halachâ Sanhedrin prodidit: הגדול בחכמה שבכלן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמין נשיא בכל מקום: *Qui cæteris ſapientiâ antecellit, eum conſtituunt caput ſuper ſe, & hic eſt caput conſeſſus. Et hic ille eſt, quem ſapientes ubique vocant N A S I.* Si is conſtitutus fuit N A S I & præſes Synedrii, qui cæteris ſapientiâ antecelluit, certè non ex Judæ poſteris is perpetuò eſſe potuit. Quis enim credat, ſemper exſtitiſſe quendam ex Judæ poſteris, qui cæteris omnibus ſapientiâ antecelleret?

XXXII. Prædictus venerab. Theologus utitur deinde aliâ reſponſione: quam ſibi quoque magis placere profitetur. Exponit autem illam his verbis: *Non auferetur de Judâ ſceptrum & reg-*

regnum, aut diſſipato eo, ad minimum Mechokek & Legiſlator, donec veniat Meſſias. Paucis interjectis addit, *tempore Maccabæorum à Judâ ſceptrum fuiſſe ſublatum, relicto in eâ tribu Legiſlatore uſque ad natum Chriſtum.* Habet porrò & hæc, *ſceptrum exſpiraſſe in ultimo Duce Hiskiâ, ſuperſtes interim manſiſſe, quòd in vaticinio noſtro, ſceptro ad latus ponitur, Legiſlatorem & Sanhedrin, de quo libri Hebræorum Seder Olam, Zemach David, Talmud* lib. Sanh. c. I. *tradant, præſidem illius Conſiſtorii ſemper fuiſſe ex poſteris Davidis perinde ut cæteros aſſeſſores præcipuos.* Concedit Venerabilis Theologus, ſceptrum ex tribu Judæ ante defeciſſe, quàm Meſſias veniret: & quidem defeciſſe in ultimo Duce Hiskiâ. Ampliùs, tempore Maccabæorum id fuiſſe factum, atque tum ad ipſos Maccabæos fuiſſe tranſlatum. Sed de ducibus iſtis qui ad Maccabæorum uſque ætatem exſtiterint, eorumque poſtremo Hiskiâ non ſatis certò conſtare poteſt. Recenſentur quidem in Seder Olam, Chronico Judaico non ita antiquo, nonnulli Duces qui Zorobabelis fuerint poſteri, eidemque in officio ſucceſſerint, interque eos poſtremo loco Hiskias quidam. Sed quis ſecurè credat iſtiuſmodi Judæorum libris, ubi de rebus perantiquis produnt? Placet nobis judicium magni Caſauboni, qui cum de iſtis Zorobabelis poſteris atque ſucceſſoribus dixiſſet, mox ſubdit: *Sed Rabbinis in hiſtoriâ etiam ſacrâ (nam in omni aliâ talpis ut plurimum cæciores ſunt) quàm parum fidei ſit tribuendum, ignorat eruditorum nemo.* Porrò & de τῷ *Mechokek* omnino adſtipulari haud ſuſtinemus, quòd id referri

 ferri

ferri videmus ad præſidem Synedrii Magni, qui perpetuò fuerit ex tribu Judæ. Monuimus de hoc jam antè. In demonſtrato Talmudis loco nihil tale reperimus. Cæteris a. libris, Seder Olam & Zemach David, de talibus ſecurè ac credere non licet.

XXXIII. Si dicendum ſit, ſceptrum antè deſiiſſe, quàm Meſſias venerit, diceremus potiùs, ſceptrum deſiiſſe tum temporis cum ex tribu Judæ Rex deſiit, hoc eſt, cum Zedekiam ab imperio removeret Nabuchodonoſorus Chaldæorum Rex. Poſt illa certe ex tribu Juda nullus ampliùs Rex exſtitit, uti id ſuprà contra quoſdam veteris Eccleſiæ Doctores aſſeruimus. Sed dicat quis: ſi jam tum ſceptrum defecit à Judâ, cum Zedekias ab imperio amoveretur, ſexcentis circiter annis ante natum Chriſtum, *quomodo* S. Patriarchæ vaticinio conſtabit fides ſua? Annon id voluit Patriarcha, ſceptrum non antè deſiturum quàm Meſſias veniſſet? Reſponderi fortaſſe poſſit, non dixiſſe D. Jacobum, *ſceptrum non defecturum ex Juda, antequam Meſſias veniſſet*: ſed dixiſſe, *ſceptrum & judicem ſive magiſtratum non defecturum.* Ut hoc ſibi voluerit Patriarcha, non deſiturum utrumque. Foret ita enunciatio ejus compoſita, & quidem copulata negativa: cujus vis talis eſſet qualis hujus, *Non deficiet & ſceptrum & judex* ſive *magiſtratus: non & ſceptrum & judex deficiet, donec venerit Schilo.* Sic unum horum defecturum concederet, antequam Meſſias veniret, ſceptrum nimirum. Defecturum autem utrumque ante illud tempus, id verò negaret. De מחוקק autem, hoc eſt, judi-

judice & magiſtratu ſatis conſtat, non defeciſſe illum ex tribu Juda, antequam Meſſias veniſſet Non verò opus eſt ad illud recurrere, quod paulò ante diximus venerabilem Theologum ſibi velle, quod ſcil. præſes Synedrii M. ſemper ex tribu Juda fuerit: ſed intelligere hic licet alios quoque magiſtratus. Exſtiterunt igitur ex poſteris Judæ, judices ac Magiſtratus, donec Chriſtus venit. Ex illis ſine dubio fuit Zorobabel, quem Cyrus Perſarum Rex una cum aliquot millibus permiſit in Palæſtinam commigrare. Interjecto deinde tempore, cum permiſſu Artaxerxis in Palæſtinam ivit D. Eſras, conſtituit hic regio mandato judices ac præſides, uti legere eſt in cap. VII. lib. Eſræ v. 25. Horum verò judicum plurimi ſine dubio ex tribu Judæ fuerunt. De ſecutis quoque temporibus ſatis conſtat, ex tribu Judæ judices exſtitiſſe, qui ſuæ gentis cauſas cognoverint ac judicarint, qui merum mixtumque imperium in ſuâ gente habuerint. Sinebantur Hebræi ſuis inſtitutis ac legibus vivere à Perſarum Regibus. Cum deinde Macedones rerum potirentur, eâdem uſi illi fuerunt libertate. Haſmonæorum temporibus ex tribu Judæ exſtitiſſe מחוקקים *judices ac magiſtratus*, id quoque nihil dubium eſt. Cum autem Chriſtus jam veniſſet, tum idem illud ἀξίωμα ſublatum fuit. Notum eſt, quid coram Pilato profeſſi fuerint Judæi, cum Salvatorem noſtrum ad ſupplicium raperent, ὀυκ ἐξεῖναι αὐτοῖς ἀποκτεῖναι ὀυδένα, *Non licere ſibi quenquam interficere:* ut eſt in cap. XVIII. Joh. v. 31. Ipſi quoque Rabbini in ſcriptis ſuis prodiderunt, quadraginta

annis ante excidium urbis judicia capitalia Judæis fuiſſe adempta. Maimonides in Hal. Sanh. c. 14: ארבעים שנה קודם הרבן בית שני בטלו דיני נפשות מישראל אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו הסנהדרין ולא היו שם במקומם במקדש וכשנתקלקלה השורה גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן בטבריא ומשם לא עמד בד גדול עד עתה *Quadraginta annis ante excidium templi ſecundi ablata fuerunt judicia animarum* (capitalia) *ab Iſraël; quamvis ſanctuarium adhuc duraret: propterea quòd Synedrium magnum migravit, & non ampliùs fuit in loco ſuo. Et poſtquam legitimus ordo turbatus fuit, migrarunt de loco in locum, & quidem in decem loca migrarunt, & ultimus locus fuit Tiberias. Atque ab eo tempore non fuit Synedrium M. uſque ad hæc tempora.*

XXXIV. Quod prodiderunt, XL. annis ante excidium urbis capitalia judicia Judæis fuiſſe adempta, id ſi verum eſſet, colligi ex eo liceret, paucis id annis ante paſſionem Chriſti fuiſſe factum; cum Româ in Judæam Procurator à Tiberio mitteretur Pontius Pilatus. Sed veriſimilius videtur, LX. circiter annis ante excidium urbis idem fuiſſe factum; tum puta cum Archelaus, Rex Judææ, relegaretur Viennam in Galliam, & miſſo Româ Coponio, Judæa in provinciæ formam redigeretur, quâ de re in lib. II. ἁλώς. c. VII. prodidit Joſephus.

Sic

Sic planè & Johanni Druſio viſum fuit, ut ex lib. IV. Præteritorum p. 147. apparet. Ibi nim. ſic habet : *Adempta illis fuerunt capitalia judicia LXI. annis ante Jeroſolymorum caſum Archelao Viennam relegato.* Falſus autem fuit ex Batavis Vir Clariſſimus, qui oræ Druſiani ſui codicis allevit : *forte XLI.* Viſus huic fuerat Druſius ex mente Maimonidæ & aliorum voluiſſe ſcribere, XL. nim. annis ante excidium urbis capitalia judicia fuiſſe ablata : & numerum LXI. per typothetarum incuriam poſitum eſſe pro numero XLI. Sed revera Druſius ſcripſerat ex ſuâ mente, & à Rabbinis voluerat nonnihil diſcrepare. Liquet ex eo, quòd addidit, *Archelao Viennam relegato.* Factum hoc fuit, non XL. annis ante excidium urbis, ſed LX. circiter. De ipſo Coponio, qui poſt relegatum Archelaum in Judæam venit, diſertè Joſephus l. II. ἁλώς. c. VII. prodidit, ipſum *à Cæſare poteſtatem accepiſſe* μίχει τῦ κτείνειν, hoc eſt, ut JCti loquuntur, cum imperio mero mixtoque. Judæi autem ſolam cognitionem de crimine retinuerunt; pronuntiandi ſententiam cum effectu tum non ampliùs habuerunt poteſtatem, uti contra Baronium rectè judicavit Vir ſummus If. Caſaubonus, Exerc. XVI. ſect. LXXI. Appoſitè quoque in eam ſententiam ſcribit Venerabilis Dn. D. Calixtus in lib. VI. Harm. Evangelicæ, cap. X. *Ex quo, inquit, Archelaus Viennam relegatus, & Judæa in provinciam redacta eſt, judicia capitalia Judæis à Romanis adempta erant, ut patet ex ipſorum confeſſione Joh. 18. v. 31. Neque Præſides, tranſlatâ in ſe omni juriſdictione, quicquam reliqui fecerant, niſi*

niſi ut cauſas cognoſcerent & ſtatuerent de iis quæ ad eorum legem, ritus & ceremonias ſpectabant, qualia Præſides nihil ad ſe & ſummam Reip. pertinere judicabant, ut patet ex Act. 25. v. 19.

XXXV. De מחוקק *judice & magiſtratu* ſatis liquet, non defeciſſe eum ex Judæ poſteris, antequam Meſſias veniſſet. Si igitur ſtatuere velis, S. Patriarcham uti voluiſſe enunciatione copulatâ, eaque negativa concedere liceret, antè defeciſſe ſceptrum, quod & vener. Theol. volebat; & ſufficere poſſit, non defeciſſe judicem, & magiſtratum. Si quis autem ſecurè accredendum putet Judæorum Chronicis, non ita antiquis illis, Zorobabeli in eodem officio ſucceſſiſſe ejus poſteros uſque ad Maccabæorum tempora, itemque Præſidem Synedrii M. quem נשיא dicebant, ſemper fuiſſe ex poſteris Judæ; ſi, inquam, de his talibus accredendum quis putet iſtis Chronicis, poterit ſanè ſimul & hoc liquere, ſceptrum quoque ſive talem qui ſceptrum tenuerit, non defeciſſe ex Judæ poſteris, antequam Meſſias veniſſet. Poteſt enim is quoque dici ſceptrum tenere, qui cujuſdam judicum concilii præſes eſt. Tantùm hoc cavendum, ne ſceptrum tribuamus toti cuidam genti, totivé concilio, ut Iſ. Caſaubono, Petro Cunæo, aliiſque viſum fuit. Non novum eſt in ſcripturâ, unis iiſdemque vocabulis exprimi diverſos rerum ſtatus, qui modò aliquid habeant ſimile: cujus rei clariſſima exempla produximus alibi. Sed fortaſſe ne hoc quidem neceſſarium eſt ad demonſtrandum, quòd nec ſceptrum antè deſierit, quàm Meſſias veniſſet,

ut

ut perpetuò vel Dux quidam, qualis Zorobabel fuit, vel Præſes Synedrii M. ex poſteris Judæ exſtiterit. Et ſufficere fortâſſe poſſit, ſi modò tales exſtiterint per intervalla: id quod ſanè negari non poteſt. Nec exempla ejus rei in ſacris deſunt, quòd tale quod per intervalla modò fuit, quaſi continuo quodam temporis tractu fuiſſe dicatur. Unum illuſtre eſt in cap. XV. Gen. v. 13. ubi Abrahamo prædicit Deus, ejus poſteros in Ægypto duriter habitum iri CCCC. annis. Hoc verò non continuo temporis tractu factum ſcimus, ſed modò per intervalla. Primò quidem ipſe Abrahamus adverſa quædam in Ægypto expertus eſt. Interjecto deinde tempore filius ejus Iſaacus conſimili fortunâ uſus fuit. Joſephus item adverſâ fortunâ in Ægypto aliquandiu uſus fuit. Nec non eſt poſtremis temporibus omnium duodecim tribuum homines Sed inter Joſephi interque omnium XII. tribuum adverſam ſortem interceſſit bene longo tempore ſors quædam optima ac lætiſſima, uti ex ſacris notum eſt. Nihilo tamen ſeciùs in ſacrâ Scripturâ prædictum eſt, poſteros Abrahamo in Ægypto duriter habitum iri *CCCC. annis.* Atque ut quod ſentio ingenuè nunc ad extremum fatear, iſta vaticinii Jacobæi interpretatio, quam poſtremo loco expoſuimus, vero nobis maximè conſentanea videtur.

De quatuor vulgo ſic dictis Monarchiis.

SOlemus vulgò quatuor numerare Monarchias. Et juxta has quoque libellos ſuos Chronographicos ac hiſtoricos nonnulli concinnant. Advertendum igitur, quid iſtis verbis velimus nobis, quæque ejus ῥήσεως ſit origo. Alias cum veteribus Græcis *Monarchiam* dicere ſolemus quodvis unius cujuſdam hominis in aliquam gentem imperium ſummum. Sic verò intellecto vocabulo, non quatuor modò, ſed multò plures numerandæ fuerint Monarchiæ. Non enim veteri tantùm ævo multò plures extiterunt, ſed & noſtrâ adhuc ætate multò plures exſiſtunt. Quamobrem nec à nobis qui quatuor vulgò Monarchias numeramus, res ſic intelligi poterit, *non niſi quatuor Monarchias uſque ad noſtra tempora in mundo exſtitiſſe.* Sciendum, cum vulgò de quatuor Monarchiis loquimur, vocis *Monarchia* notionem paulò ſtrictiorem fieri: ut nim. intelligamus *quatuor Monarchias in ſacris literis, & quidem in libro S. Danielis, deſignatas.* Quòd Chriſtiani quatuor vulgò Monarchias numeramus, ejus rei occaſio per ſacras literas nobis eſt data. Suidas, & ipſe Chriſtianus, ex ſacris literis doctus fuerat, cum in Lexico ſcripſit, Ῥωμαίων ἀρχὴ τῶν Ἀσσυρίων καὶ τῶν Περσῶν, καὶ Μακεδόνων, τῶν πρὶν, μακρῷ ὑπερῆρεν. Scriptores οἱ ἔξω autem ad quaternarium iſtum Monarchiarum ſive regnorum numerum non attenderunt. Sed inter ipſos Chriſtianos non ſatis convenit de eo, quænam iſtarum Monarchia-

chiarum, quas ex veterum monumentis cognitas habemus, ſint illæ, quæ quaternario iſto numero in ſacris literis ſunt comprehenſæ. Neque enim verba ſacri ſcriptoris eodem modo omnes intelligunt. Et controverſia quidem agitata eſt de iſtorum regnorum quæ S. Daniel deſignavit, tertio & quarto. Poſt alios verò & nobis conſilium eſt de quatuor iſtorum regnorum, quæ à S. Daniele deſignata ſunt, initiis ac duratione quædam commentari. Ubi tum vel præcipuè conſiderandum quoque illud erit, an iſtius Danielis vaticinio ad ea quoque quæ nos nunc degimus tempora reſpectum ſit, & ex quibus eâ de re certò judicari queat.

II. Non uno modo, uniſvé ſymbolis in S. Danielis libro quatuor regna deſignata ſunt, ſed omnino pluribus. Primò quidem deſignata ſunt per *quatuor diverſas partes* unius ſtatuæ, quæ Nabuchodonoſoro apparuit. Et id quidem factum eſt in cap. II. Danielis. Deinde eadem quatuor regna deſignata ſunt per *quatuor animalia ſive beſtias:* idque in cap. VII. Denique bina iſtorum regnorum, ſecundum & tertium ſcilicet, ſeorſim deſignata ſunt in cap. VIII. per *duo alia animantia.* Quomodo autem ſingulorum regnorum duratio ac finis rectiſſimè animadverti ac intelligi debeant, id paucis verbis exponam, antequam ad uberiorem de ſingulis diſſertationem progrediar. Id enim animadvertimus vulgo non ſatis clarè ſolere exponi. Ut verò idem illud hîc præmittatur, ejus non leve momentum videtur eſſe ad attentionem Lectoris excitandam. Tam diu igitur unumquodque iſtorum regnorum putan-

tandum eſt duraſſe, *quoad uſque per vim non devolutum illud fuit ad alterius gentis Regem.* Et quod idem eſt, tum demum finis fuit alicujus iſtorum regnorum, *cum Rex alterius gentis illud per vim occupavit ſibique retinuit.* Ut igitur unum regnum deſiiſſe & aliud exortum eſſe ex ipſius S. Danielis mente intelligamus, obſervandum eſt, quo tempore aliquod iſtorum regnorum acceperit *alterius gentis Rex*: & quidem *per vim.* Duo, inquam, ſunt, quæ fecerunt, ut unum iſtorum quatuor regnorum deſiiſſe, & alterum exortum eſſe dicendum ſit. Quorum primum eſt, *ſi talis homo, qui jam ante imperium habuerit in aliam gentem, ſive qui jam antè Rex fuerit, quoddam iſtorum quatuor occuparet*: alterum; *ſi per vim id fecerit; non bonâ gratiâ ejus qui antea imperium habuerat.* Atque hæc duo ita obſervanda eſſe, ut ipſa quatuor imperia à S. Daniele deſignata rectè diſcernantur, ex ipſis S. Scriptoris verbis liquidò intelligetur.

III. Illud quoque intelligere in proclivi eſt, variis iſtis ſignis ſive ſymbolis de quibus paulò ante diximus, non deſignatos eſſe *homines ſingulos qui Reges fuerint*, ſed deſignata eſſe *ipſa regna, ſive imperia in aliquam gentem.* S. Daniel quidem, ubi Nabuchodonoſoro explicavit, quid imago iſta quæ ipſi Nabuchodonoſoro per quietem apparuerat, ſibi vellet, his verbis uſus eſt: *Tu es caput aureum.* Hæc tamen non ſic intelligenda eſſe, quaſi unus Nabuchodonoſorus per caput aureum deſignatus ſit, ſed verò per idem caput aureum deſignatum eſſe regnum iſtud, quod tum Nabuchodonoſorus, tum quoque

que alii quidam habuerunt, id ſatis clarè intelligi poteſt ex eo, quod mox deinde non de ſingulis Regibus loquitur, ſed *de regnis, ſive imperiis, quæ à pluribus ordine ſuccedentibus tractata fuerunt.* In cap. II. Dan. v. 39. verba ampliùs ſic habent: *Poſt te exorietur* מַלְכוּ אָחֳרִי *regnum aliud, inferius tuo. Et regnum tertium* &c. *Et regnum quartum*, &c. Sic & in cap. VII. v. 17: *Quatuor magna animalia ſunt quatuor regna.*

IV. Primum igitur regnum ſive imperium illud fuit, quod Nabuchodonoſorus ejuſque ſucceſſores habuerunt. Quod ipſum an & ante Nabuchodonoſorum fuerit, de eo ex ſuperiori noſtro pronunciato facilè judicari poteſt. Sed nos de ipſis Nabuchodonoſori ejuſque ſucceſſorum temporibus priùs videamus. Palmarium enim eſt per prædicta ſigna denotari res futuras. De primo igitur iſto regno, quòd illud à Nabuchodonoſoro tractatum fuerit, ſatis conſtare poteſt ex eo, quòd S. Daniel apud Regem iſtum his verbis diſſeruit: *Tu es caput aureum.* Quorum verborum hic intellectus eſt: *Iſtud regnum ſive imperium quod tu Nabuchodonoſore in præſentiâ tractas, eſt quatuor iſtorum quæ per quatuor diverſas ſtatuæ partes deſignata ſunt, ordine primum.* Poſt Nabuchodonoſorum verò idem illud, non aliud atque diverſum regnum, tenuerunt Evilmerodachus, Neriglisſares, Laboroſarchodus & Nabonnedus: aut tenuerunt tres modò, Evilmerodachus, Laboroſarchodus & Nabonnedus. Sed horum duo poſtremi in ſacris literis aliis nominibus appellantur, Belſazar ſcilicet & Darius Medus, ut ex collatione ſacræ ac profanæ hiſtoriæ intelligi poteſt, & ab Ill. Scaligero ſatis

clarè expoſitum eſt. Belſazaris autem ſive Laboroſarchodi temporibus, & ejus anno primo quidem, ipſi Danieli obtigit viſio quædam. Vidit nim. per quietem quatuor animalia, per quæ totidem regna ſunt deſignata. Et horum primum quidem, quod & Nabuchodonoſori ætate jam fuerat, temporibus Belſazaris ſive Laboroſarchodi, cum ipſi Danieli viſio obtingeret, adhuc exſtitit. In priori viſione, quæ Nabuchodonoſoro obtigerat, deſignatum fuit regnum iſtud per *caput aureum ſtatuæ*. In poſteriore verò, quæ ipſi Danieli obtigit, deſignatum fuit per *leonem*. Quibus ſymbolis utique amplitudo & excellentia iſtius regni ſignificata fuit: ut & ex ipſius Danielis διηγήσει ſatis intelligi poteſt. Sed nos de amplitudine iſtâ pauca quædam libemus ex profanâ hiſtoriâ. Sacra enim hiſtoria ſatis eſt nota.

V. De Nabopollaſſari Babyloniæ Regis & Nabuchodonoſori patris expeditione, itemque de ipſius Nabuchodonoſori potentiâ præclarum fragmentum nobis ſervatum eſt in Fl. Joſephi ſcriptis, ex tribus libris Χαλδαϊκῶν, quos condiderat antiquiſſimus, ipſique Alexandro coævus, & quod caput eſt, Babylonius ſcriptor Beroſus. Id ipſum igitur huc quoque referri haud ſanè præter rem fuerit. Legitur illud in Joſephi lib. I. contra Apionem, & in decimo Αρχαιολ. cap. XI. atque in Latinam Ling. verſum ita habet: *Ipſius autem* (Nabuchodonoſori) *pater, Nabopollaſſarus* (ſic legendum eſſe nomen iſtud, docuit Joſ. Scaliger ex Euſebio) *audito, quòd Satrapa, quem Ægypto, cavæ Syriæ Phœniciæque præfecerat, defeciſſet, cumque ipſe non amplius*

pliùs labores militiæ ferre poſſet, commiſit Nabuchodonoſoro (filio ſuo) *jam adulto quaſdam copiarum ſuarum partes, eumque contra Satrapam iſtum miſit. Nabuchodonoſorus autem collatis ſignis cum defectore congreſſus, ipſum vicit, & provincias in ſuam ditionem rurſus redegit. Interea factum eſt, ut pater Nabopollaſſarus decumberet, vitaque excederet cum annos XXIX. regnaſſet. Nabuchodonoſorus autem non multò poſt, patris morte cognitâ, & conſtitutis Ægypti cæterarumque provinciarum negotiis: demandataque amicis curâ captivorum Judæorum, Phœnicum, Syrorum & Ægyptiorum unà cum exercitu & impedimentis in Babyloniam traducendorum, ipſe cum paucis per deſertum Babylonem properavit. Et cum regni adminiſtrationem ſuſcepiſſet, quæ interim penes Chaldæos fuerat, & ab eorum primo in ejus reditum ſervata erat, factus eſt totius paterni imperii Dominus.*

VI. Valde amplum ſanè atque illuſtre fuit regnum iſtud quod Nabuchodonoſorus tenuit. Idem verò certo quodam nomine appellari poteſt, quo à cæteris diſcernatur. Dicatur igitur *Babylonicum* ſive *Chaldaicum*, à præcipuâ ſui parte, & cui aliæ partes acceſſerunt. Conſiderandum eſt imperium illud quod Nabuchodonoſorus habuit, ut ex certis quibuſdam partibus compoſitum, ex multis imperiis ſcilicet in varias orbis partes ac regiones. Earum autem partium una priùs exſtitit, quàm altera. Et uni earum deinde cæteræ acceſſerunt. Prima quidem earum partium fuit *imperium in Chaldæam ſive Babyloniam.* Cum principio hanc partem haberet Nabuchodonoſori pater, Nabo-

pollaſſarus, accepit hic deinde imperium in varias quoque alias terras ac gentes. De eo autem non immeritò dubites, an ipſe Nabopollaſſarus, Nabochodonoſori pater, tam amplam potentiam initio habuerit, qualem Beroſus ei tribuere videtur. Placet nim. quod ſummo Viro, noſtroque amico Herm. Conringio viſum eſt, ab eoque in elegantiſſimo de antiquis Aſiæ & Ægypti Dynaſtiis opuſculo his verbis expoſitum: *Conferentibus ſacram hiſtoriam eſt manifeſtum, illum contra quem duxit exercitum Nabuchodonoſor, quemque omni Syriæ ac Phœniciæ ditione exuit, imò Ægypti parte aliquâ mulctavit, eſſe Nechum Ægypti Regem. Hic verò non contra Babylonios, ſed adverſus Aſſyrios inſurrexit, ut diſertè legitur* 2 Reg. XXIII. 29. *Nec in ſacrâ hiſtoriâ ullum exſtat veſtigium potentiæ Babyloniorum, per Syriam aut in Ægyptum uſque ſe porrigentis, ante Nabuchodonoſorem, utpote quæ indubiè involviſſet res Judaicas.*

VII. Cæterum amplum iſtud Chaldaicum ſive Babylonicum imperium à Nabuchodonoſoro hæreditario jure devolutum fuit ad ejus filium Evilmerodachum. Hic verò paucis modò annis idem imperium obtinuit. Ipſo enim è medio ſublato, affinis ipſius, & Nabuchodonoſori gener, Nerigliſſares, ſuo ipſius filio, Nabuchodonoſori verò ex filiâ nepoti, Laboroſoarchodo idem imperium vindicavit. Sic verò non aliud exſiſtere cœpit imperium, ſed idem illud quod Nabuchodonoſorus habuerat, quod *Babylonicum* & *Chaldaicum* appellavimus, adhuc exſiſtere perrexit. Non enim imperium tranſlatum tum fuit ad peregrinum quendam

& al-

& alterius gentis Regem : id quod requiri ſuprà diximus, ut imperium intelligatur factum eſſe aliud atque à priori diverſum. Tantùm imperium ad ſe pertraxit, vel ut Scaligero viſum, ſuo filio vindicavit quidam, qui Evilmerodacho & ipſe paruerat, ejuſque ſororem in matrimonio habebat. Sed de his quoque ipſa prædicti antiquiſſimi ſcriptoris Beroſi verba hîc legi præſtat. Sunt ea in lib. I. Joſephi cont. Ap. & ita habent : Τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο υἱὸς αὐτοῦ Ευειλμαράδουχος. αὐτὸς προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισσοορόου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. *Hujus regni* (Nabuchodonoſori) *Dominus effectus filius ejus Evilmaraduchus propter iniquitates & libidines paſſus inſidias à marito ſororis ſuæ Neriglißorooro peremptus eſt, cum duobus regnaſſet annis.*

VIII. Adſcribam mox & ſequentia verba, quibus de Nerigliſſorooro, Laboroſarchodo, & qui inter Babyloniæ Reges, atque adeò Monarchiarum quas Daniel deſignavit omnium primæ poſtremus Rex fuit, Nabonnedo prodidit. Latinè verſa ea ſic habent : *Quum Evilmaraduchus è medio ſublatus eſſet, ſumens regnum qui ei inſidias fecit Neriglißoroorus, annis regnavit quatuor. Hujus filius Laboroſoarchodus principatum quidem tenuit, cum adhuc puer eſſet, menſibus novem. Inſidias verò paſſus, eò quòd nimis appareret malorum morum eſſe,* ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη, *ab amicis* (& purpuratis ſuis) *interemptus eſt. Hoc igitur perempto convenientes hi qui fecerant inſidias, communi ſuffragio regnum tradiderunt Nabonnedo cuidam, Babylonio, qui*

& ipſe ex conjuratis fuerat. Cujus regni anno decimo ſeptimo egreſſus Cyrus ex Perſide cum magno exercitu, univerſâ Aſiâ ſubactâ, impetum fecit in Babyloniam urbem. Sentiens autem Nabonnedus invaſionem ejus, & occurrens cum exercitu ſuo, atque congreſſus, victus & cum paucis fugiens incluſus eſt in Borſippenſium civitatem. Cyrus autem cum Babyloniam occupaſſet, juſſiſſetque exteriores ejus muros dirui, quòd videret civitatem ad res novas mobilem, urbem verò expugnatu difficilem, Borſippum rurſus contendit, Nobonnedum expugnaturus. Nabonnedo autem expugnationem non expectante, ſeſeque dedente, Cyrus clementiâ uſus, ipſi Babyloniâ exire juſſo Carmaniam habitandam conceſſit. Eadem illa quæ ex Beroſi fragmento diſcimus, prodita etiam ſunt, ſed breviùs paulò, in alio quodam fragmento, quod quidem Megaſthenis, antiqui itidem ſcriptoris eſt, & in Euſebii Chronico librisque de Præparatione Evangelicâ aſſervatum. Adſcribam & illud, quoniam breve eſt: Ὁ δὲ οἱ παῖς Εὐιλμαλούρουχος ἐβασίλευε. Τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισάρης, λείπει παῖδα Λαβασσοάρασκον. Τούτου δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ Ναβοννίδοχον ἀποδεικνῦσι βασιλέα, προσήκοντά οἱ οὐδέν. Τῷ δὲ Κῦρος ἑλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται.

IX. Præclara res eſt, quod nobilia iſta veterum ſcriptorum fragmenta hodieque habemus. Abſque illis enim foret, de rebus iſtorum temporum non tam liquidò conſtare nobis poſſet, quàm iſtorum fragmentorum beneficio conſtare nunc poteſt. Cæterum deſiit ſive exſtincta eſt Monarchia Babylonica tum cum Cyrus Perſarum Rex vicit Nabonnedum, ultimum

mum Babyloniæ Regem. Si idem Cyrus ex Nabonnedi ſubditis fuiſſet, contraque eum ſic inſurrexiſſet, atque etiam viciſſet eum, nondum eo vetus regnum Babylonicum exſtinctum fuiſſet. Manſiſſet enim adhuc ſeparatum, nec veterem appellationem deperdidiſſet. Quoniam autem Cyrus jam antea Rex fuerat alterius gentis, atque adeò imperium jam tractaverat; factum fuit ut Regnum Babylonicum tum exſtingueretur, cum ipſe Nabonnedum vinceret. Sed dices: qui exſtinctum dici poteſt regnum Babylonicum, cum id Nabonnedo adimeretur, idemque à Cyro occuparetur? Annon idem illud imperium imperante Cyro, adhuc exſtitit, quod Nabonnedus habuerat? Sciendum eſt, imperium quoddam tum dici deſinere atque exſtingui, cum veterem ſuam appellationem amittit, & alius cujuſdam regni nomine incipit ſimul comprehendi. Sic igitur & Babylonicum regnum deſiiſſe & exſtinctum eſſe dicitur, cum idem additum fuit alii regno, Perſico puta, atque ita amiſſo veteri nomine, ſimul comprehendi cœpit nomine iſtius regni, cui ipſum fuit additum. Cyrus cum Babylonicum regnum occupaſſet, ſuoque veteri id addidiſſet, appellatus adhuc fuit, ſic ut antea, Perſarum Rex. Quique Perſarum Regem nominabat, is non ſolius Perſiæ Dominum, ſed ipſius quoque Babyloniæ, multarumque aliarum provinciarum Regem intelligebat. In ſacris literis מֶלֶךְ פָּרָס appellatur Cyrus, etiam tum, cum Babylonicum regnum jam occupaſſet. Sic & apud Græcos μέγας Περσῶν βασιλεὺς audiebat, qui non tantùm Perſiæ, ſed multarum aliarum pro-

vinciarum Dominus erat. Eſt tamen in ſacris, ubi is qui מלך פרס *Rex Perſarum*, etiam poſt Babyloniæ Regem jam victum appellatur, alio nomine מֶלֶךְ בָּבֶל *Rex Babyloniæ* dicitur. Eſt item, ubi מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Rex Aſſyriorum* appellatur idem Perſarum Rex. Prius vide Nehem. XIII. 6: alterum Eſræ c. VI. v. 22. Reges qui iſtis nominibus appellati olim fuerant, tenuerant ampliſſimas provincias. Quas ipſas cum poſtea tenerent Perſarum Reges, factum fuit, ut illi quoque veteribus nominibus quandoque ſint appellati. Neque ſenſim & particulatim exſtinctum fuit Babyloniæ regnum, ſed ſimul ac ſemel. Quæcunque tenuerat Nabuchodonoſorus, ea adhuc tenuit Nabonnedus, poſtremus Babyloniæ Rex, cum is bello appeteretur à Cyro Perſarum Rege: aut ſi deceſſerat quippiam, id ſanè leve fuit. Cyrus autem ſimul ac ſemel occupavit omnia, veterique ſuo non ita magno regno addidit aliud ampliſſimum.

X. Exſtincto igitur per ſui ad aliud acceſſionem Babylonico regno, exiſtere cœpit novum ampliſſimum regnum, *Perſicum* nimirum. Quod quin *ſecundum* fuerit eorum, quæ à S. Daniele præſignificata ſunt, non unquam dubitatum fuit. Deſignatum autem fuit regnum iſtud per ſtatuæ iſtius quam Nabuchodonoſorus per ſomnum vidit, *pectus brachiaque argentea*. Itemque in ipſius S. Danielis viſione per *urſum*. Et in alterâ ejuſdem viſione per *arietem*. De primo ſymbolo eſt in cap. II. de altero in cap.

VII. de tertio in octavo capite. Quænam eorum nomina fuerint qui ſecundum iſtud regnum tenuerunt, id monumenta veterum hiſtoricorum nos ignorare non ſinunt. Ipſe Cyrus regnum iſtud tenuit novem annis: qui etiam in æra Nabonaſſareâ ſive Canone Mathematico ipſi tribuuntur. Antea verò in Perſide regnaverat annis viginti & uno. Ut ita in univerſum regnaverit XXX. annis. Cyrum excepit Cambyſes, ejus filius: qui & imperium Ægypti adjecit ei quod à patre ad ipſum devolutum erat, regno. Exſtincto Cambyſe, aſtu quodam ſolium conſcendit Magus Smerdis, Cambyſis fratrem ſimulando, ut ex Herodoto ſcimus. Sed ſeptem modò menſibus imperium tenuit. Nihilominus in ſacris literis inter Reges Perſiæ idem ille Smerdis commemoratus eſt. Nimirum in cap. IV. Eſræ ſub nomine Artaſaſthæ, uti alibi demonſtravimus. Itemque in cap. XI. Danielis v. 2. ubi inter tres Reges, qui inter Cyrum & quartum illum qui ibidem memoratur, interceſſerunt, ipſe Smerdis ordine ſecundus eſt. Interfecto Smerde Darius Hyſtaſpis Rex appellatus fuit. Eique deinde longà ſerie ſucceſſerunt qui ab ipſo orti fuerunt, filius, nepos, pronepos, cæterique.

XI. Deſiit regnum ſive Monarchia Perſica tum cum Codomannum, alio nomine Darium dictum, vicit Alexander.. Et quoniam regnum Perſicum eorum quæ à Daniele præſignificata ſunt, ordine ſecundum eſt, deſiit quoque eodem illo tempore ſecundum regnum ſive ſecunda Monarchia. Scilicet tum demum regnum ſive imperium aliquod deſinere atque exſtingui

 dici-

dicitur, cum illud per vim occupat Rex alterius gentis, ſuoque veteri regno illud addit. Codomannus imperium tenuit in Perſas, variaſque alias gentes. Vocabatur id uno nomine Perſicum: quoniam aliæ imperii partes, quamvis majores illæ, acceſſerant olim iſti imperii parti quæ in Perſiam erat. Sed Perſicum iſtud imperium Dario ademit Alexander, qui jam antè imperium tenuerat in Macedoniam. Tum igitur imperium iſtud Perſicum quod Darius habuerat, additum fuit iſti imperio quod jam antea habuerat Alexander. Ita factum fuit, ut imperium Alexandri ampliſſimum evaſerit, conſtiteritque ex duabus partibus: quarum tamen partium ea quæ major erat, acceſſerat minori. Et quoniam imperium Perſicum non ſeparatum manſit, ſed alteri imperio acceſſit, & quidem per vim, factum fuit, ut veterem appellationem ipſum amiſerit, & nomine alterius regni ſimul comprehendi cœperit. Quodnam autem regnum iſtud, cujus nomine comprehendi cœpit? *Macedonicum* utique, quod tum temporis Alexander tenebat. Ergo Macedonicum eſt illud, quod poſt illa per magnam iſtam acceſſionem ampliſſimum, maximeque illuſtre fuit. Idem quoque eorum regnorum quæ â S. Daniele præſignificata ſunt, ordine tertium eſt. Hujus autem ſymbola fuerunt, in viſione Nabuchodonoſori quidem *venter lumbique ſtatuæ ænei:* in primâ autem viſione Danielis *Pardus:* in ejuſdem denique alterâ *Caper* ſive *Hircus*. Vide cap. II. VII. & VIII. Danielis.

XII. Tertium autem illud ampliſſimum regnum

gnum quamdiu duraſſe quové tempore deſiiſſe putabimus? Ipſe quidem Alexander paucis modò annis, ſex circiter, id obtinuit. An igitur tum deſiiſſe putabimus idem illud ampliſſimum regnum, quod Macedonicum vocatum eſt? Ita ſanè viſum fuit doctiſſimo Viro, Fr. Junio: itemque Amando Polano, Hug. Brougthono, Rob. Rolloco, Chriſtoph. Pezelio, Joh. Piſcatori, Joh. Chamiero. Videas ipſorum notas, commentaria, aliuſque generis libros. Quid verò cauſæ eſt, quamobrem putandum ſit tertium regnum exſtinctum tum fuiſſe, cum Alexander deceſſit? Nihil ſanè magnopere cauſæ apparet. Nos verò ut noſtra demonſtremus, advocabimus pronunciatum illud quod jam ſuprà initio propoſuimus. Illud ita habet: tum exſtinctum dici regnum aliquod, ſi illud per vim occupet Rex alterius gentis, ſive quod idem eſt, ſi illud accedat alii cuidam regno. Ut autem de tertiâ Monarchiâ judicare queamus, an ea cum exſtincto Alexandro ſimul exſtincta fuerit, recolenda eſt hiſtoria iſtorum temporum. Debebatur utique Monarchia ſive regnum iſtud ampliſſimum heredibus Alexandri Magni, cum ipſe Alexander exſtinctus jam eſſet. Nec alio nomine provincias adminiſtrandas acceperunt præfecti Alexandri quàm ut heredibus Alexandri eæ ſervarentur. Nec illico Reges ſe appellare audebant præfecti iſti: ſed eo titulo abſtinuerunt, quoad ſuperſtes fuit Eumenes, ut Corn. Nepos autor eſt. Reapſe tamen eripuerunt illi heredibus Alexandri imperium quod his ipſis debebatur: neque ſanè id reddere in animo habuerunt.
Caſſan-

Caſſander verò Antipatri filius non ſatis habuit imperium per vim obtinere, ſed & Alexandri matrem, uxorem, duoſque filios è medio ſuſtulit, quò ſc. tutiùs imperium retineret. Tum verò cum Alexandri Duces iſta talia perpetrarent, non magis deſiit regnum ſive Monarchia Macedonica, quàm regnum Babylonicum deſiit, cum interfecto Evilmerodacho Rex Babyloniæ factus fuit Nerigliſſares, & interfecto Laboroſoarchodo Nabonnedus: non magis item, quàm, cum interfecto Alexandro Severo Maximinus Thrax Imperator factus eſt, imperium ſive regnum Romanum deſiit. Ptolemæus Lagi, Caſſander Antipatri, & Seleucus Nicanor Antiochi filius, non fuerant antea aliarum gentium Reges: non habuerant illi jam antea imperium in alias terras, cum patrimonium heredum Alexandri occuparent. Nec acceſſit imperium iſtud quod ipſi habebant, alii cuidam, quomodo cum ipſe Alexander Macedoniæ modò Rex eſſet, ejus in Macedoniam imperio acceſſit regnum Perſicum. Quoniam autem imperium Macedonicum, cum illud in partes quaſi diſcerperent, ſibique eas partes vindicarent Duces Alexandri; quoniam, inquam, illud tum non acceſſit alii cuidam regno, ipſum pro exſtincto haberi non potuit. Quid ſi unus Caſſander, aut unus Ptolemæus Lagi totum imperium heredibus Alexandri eripuiſſet, ſibique vindicaſſet? An tum quoque dicerent, regnum Macedonicum exſtinctum fuiſſe? Sanè ſi id dicant, dicendum ſimul habent, Monarchiam Babylonicam fuiſſe exſtinctam, cum Evilmerodachum interimeret

ret Nerigliſſares: & imperium Romanum exſtinctum fuiſſe, cum interfecto Ælio Pertinace imperium occupavit Didius Julianus, JCtus Romanus.

XIII. Sed ſcrupulum alicui injicere adhuc poſſit, quòd imperium iſtud quod Alexandri fuerat, in varias partes diſcerptum legimus. Non totum occupavit Caſſander, quemadmodum totum Babylonicum Nerigliſſares, & totum Romanum Didius Julianus: ſed partem Caſſander, aliam partem Ptolemæus, aliam rurſus Seleucus Nicanor occupavit. Et fuerunt ſanè poſt illa Ptolemæi, Seleuci, & Caſſandri regna inter ſe ſatis ſeparata, ut alter alteri minimè ſubeſſet, ſed ſinguli ſe ἀνυπευθύνως gererent. Poſt eorum exceſſum quoque ſeparata manſerunt eadem regna. Quam igitur partem ejus imperii quod Alexander habuerat, putabimus idem illud imperium eſſe quod tenuerat Alexander? An ſolum Caſſandri regnum: an verò ſolum Ptolemæi dicemus idem illud fuiſſe quod Alexander habuerat? Succeſſerunt omnes illi uno eodemque jure, hoc eſt, nullo. Nec ullus eorum Rex antea fuerat. Quare nec iſtæ imperii Alexandri partes quas occupabant, aliis regnis accedebant, aut ab aliis regnis non abſorbebantur. In ſacris viſionibus obſervamus, varias iſtas partes in quas regnum Alexandri diſcerptum fuit, etiam tum cum ſeparatæ illæ fuerunt, pro uno imperio numerari: quod quidem imperium idem fuerit cum eo quod tenuerat Alexander. Nec antè ſecundum ſacras literas Imperium Macedonicum exſtinctum fuiſſe credendum eſt, quàm omnes iſtæ partes in

quas

quas diſcerptum illud fuerat âb Alexandri Ducibus, alii imperio acceſſiſſent. Sic nec Romanum imperium antè putari poteſt exſtinctum eſſe, quàm omnes ejus partes, & primigenia, & deinde quoque illæ partes, quæ primigeniæ acceſſerunt, per vim occupatæ fuerint ab alterius gentis Regibus.

XIV. Ex ipſo vulgari loquendi modo, intelligere poterant Junius, Polanus, Chamierus aliique, iſta imperia quæ ſucceſſores Alexandri M. tenuerunt, non fuiſſe diverſa ab illo quod ipſe Alexander tenuerat. Sed ut magis adhuc eos redarguamus, ipſas ſacras literas expendamus. Tertium eorum regnorum, quæ Daniel præſignificavit, ſine dubio illud fuit, quod tenuit Alexander. Deſignatum illud eſt in primâ viſione Danielis per *Pardum*. Iſte verò Pardus Danieli apparuit *quatuor* inſtructus *alis*: itemque *quatuor capitibus*. Vide cap. VII. Dan. v. 6. In alterâ viſione Danielis deſignatum fuit idem regnum per *Caprum*. In hoc capro autem primò apparuit *unum magnum cornu*: hoc deinde confracto, in *eodem illo* capro enata fuerunt *quatuor cornua*. Conſideremus verba iſta quibus ſecundam iſtam viſionem, quæ Danieli evenit, expoſuit S. Angelus. In verſu XXII. cap. VIII. hæc legimus: *Aries ille duobus inſtructus cornibus, quem vidiſti*, מַלְכֵי מָדַי וּפָרָס *Reges Medorum & Perſarum*. Deinde ſequitur: *Caper autem ſive hircus* מֶלֶךְ יָוָן *Rex Græciæ. Et cornu magnum, quod inter oculos ejus, eſt Rex primus. Et confracto* (cornu iſto magno) *ejus loco exſtiterunt quatuor: quatuor regna ex gente iſtâ exorientur, non eadem potentiâ, quâ fuerat prius*

prius illud. Dicit S. Angelus, *caprum eſſe regem Græciæ.* Ubi ſanè non unum quendam regem, ſed multos intelligere oportet: quemadmodum & *aries*, de quo præceſſerat, non unum regem, ſed *omnes Perſarum Reges* deſignat. Apparet id liquidò ex eo, quòd mox additur, magnum cornu, quo caper initio inſtructus apparuit, deſignare *primum Regem:* qui ſine dubio Alexander M. eſt. Non autem potuit Alexander M. *primus* Rex dici, niſi alii fuiſſent ſecuti. Inter quos verò ipſum primum fuiſſe putabimus? Utique inter מַלְכֵי יָוָן *reges Græciæ.* Ergo plures omnino Reges Græciæ fuerunt. Et plures utique obtinuerunt regnum iſtud quod Græcum ſive Macedonicum appellatur: non verò ſolus id tenuit Alexander. Verùm cum magnum cornu confractum eſſet, hoc eſt, cum Alexander M. deceſſiſſet, non ſinguli Reges tenuerunt id imperium quod unus Alexander tenuerat: ſed tenuerunt id uno eodemque tempore plures homines. Non ſic quidem ut conjunctis operis imperarent, quidque per omnes provincias agendum eſſent, de his omnes unà præſcriberent: ſed ut unus in hac, alius in aliâ provinciâ dominaretur. Hoc illud eſt, quòd per quatuor cornua deſignatum fuit, quæ in capro ſive hirco enata fuerunt. Angelus apud Danielem ſic diſſeruit: *Quòd, confracto magno cornu, quatuor enata fuerunt, id ſignificat, quatuor regna de gente iſtâ* (Græcâ ſive Macedonicâ) *exoritura eſſe.*

XV. Quænam autem fuerint quatuor iſta regna ſive imperia, in quæ diſtributum fuit unicum illud, quod tenuerat Alexander, de

eo

eo non difficulter conjicitur ex veteri hiſtoriâ, quam ſcriptores profani condiderunt. Unam partem imperii ejus quod Alexander tenuerat, occupavit Ptolemæus Lagi filius, qui ex Alexandri M. Ducibus fuerat: nimirum in Ægyptum. Iſta igitur pars eorum quatuor regnorum, quæ deſignata ſunt, unum eſto. Aliam partem imperii ejus quod Alexander habuerat, occupavit Caſſander, interfectis Alexandri matre, ſorore, duobuſque filiis: imperium in Macedoniam puta. Ea igitur pars ſit alterum regnum. Aliam porrò partem Antigonus tenuit; imperium Aſiæ ſcilicet. Atque ea pars ſit tertium regnum. Aliam denique partem, & ampliſſimam quidem, tenuit Seleucus Nicanor: imperium in Syriam puta, variaſque alias Orientis provincias. Atque hæc pars eſto quartum regnum. Hæc verò quatuor regna, quamvis ſeparata fuerint, & ſic quoque ſeparata ad poſteros tranſmiſſa fuerint ab his qui primò ea occupaverant: numerantur tamen ut unum quoddam regnum, quod quatuor magnorum tertium fuerit. Deſignantur ſcilicet per unas eaſdemque ſtatuæ partes, *per ventrem* ſcilicet *lumboſque æneos*: item *per unum Pardum*: denique per *unum caprum* ſive *hircum*. Cur verò ita ſit factum, id non difficulter intelligi poteſt: nim. quòd quatuor Alexandri Duces iisdem temporibus, uno item eodemque modo ad ſe pertraxerunt magni iſtius imperii quod Alexander habuerat, varias partes. Nullus eorum Ducum, qui Alexandri regnum diſcerpſerunt, Rex antea fuerat. Quare nec partes iſtæ quas ipſi occupabant, additæ fuerunt aliis regnis.

regnis. Porrò quia non addita fuerunt aliis regnis, ſuam quoque appellationem eadem illa haud deperdiderunt. Quænam autem appellatio iſta? Regni Macedonici ſive Græci utique. Cum Alexander Perſicum occupaſſet, ipſum Perſicum Macedonici appellatione ſimul comprehenſum fuit. Accedit quòd prædicti Alexandri Duces meri Macedones fuerunt, & Macedonum inſtituta ac linguam per eas quas occuparunt terras, longè lateque diſſeminarunt. De Ptolemæis Ægypti Regibus, qui Alexandro ſucceſſerunt, Pauſanias in lib. X. prodidit, eos Macedonum appellationem ambitioſè affectaſſe. Quamvis igitur Ægypti & Orientis Domini eſſent iſti Alexandri ſucceſſores, ipſorum regna tamen, Græca & Macedonica fuerunt appellata. In libris Maccabæorum frequens eſt appellatio βασιλείας Ἑλλήνων, ubi regnum Aſiæ deſignatur. Vide I. Macc. I. v. 11. Sæpe etiam in iiſdem libris fit mentio ἑλληνικοῦ χαρακτῆρος, ἑλληνικῆς δόξης, ἑλληνισμοῦ, & ſimilium, ubi Macedonum inſtituta & ritus ſignificantur.

XVI. Quoniam igitur quatuor iſta regna, in quæ unum Alexandri diſcerptum fuit, ob certas cauſas in ſacris literis numerata ſunt pro uno regno, quod ſuperiorum quatuor ſit *tertium*: facilè nunc ampliùs intelligitur, tertium iſtud ex quatuor regnis quaſi compactum regnum non antè exſtinctum penitus fuiſſe, quàm ſingulæ ejus partes exſtinctæ fuerunt. Hîc ſcilicet res paulò aliter ſe habuit, quàm circa Babylonicum & Perſicum regna. Babylonicum non ſenſim & particulatim exſtinctum

fuit, ſed ſimul & ſemel; cum nim. Nabonnedum vinceret Cyrus. Ita & Perſicum ſimul & ſemel exſtinctum fuit, cum Darium regno exueret Alexander. Græcum verò ſive Macedonicum ex quatuor partibus quaſi compactum regnum ſenſim ac particulatim exſtinctum fuit. Primò ea pars, quam Antigonus & poſt hunc ejus filius Demetrius Poliorcetes tenuit, hoc eſt, imperium Aſiæ, acceſſit illi parti, quam tenuit Seleucus Nicanor; cum nim. hic Seleucus Demetrium prælio viciſſet, eumque in cuſtodiâ detineret. Seleucum Nicanorem cum in imperio jam ſecuti fuiſſent filius & nepos, jamque ejusdem pronepos Seleucus Callinicus imperaret, defecerunt Parthi & Bactriani. Et Parthorum quidem imperium mox deinde invaſit Arſaces: oppreſſo Andragorâ, Parthorum præfecto. Idem Arſaces occupavit & Hircanorum regnum. Porrò cum Seleuco Callinico ſucceſſiſſet Antiochus Magnus, magnâ is imperii parte mulctatus fuit. A Romanis nim. in ordinem fuit redactus, hoc eſt, Europâ abſtinere, & Aſiâ omni quæ cis Taurum eſt, excedere juſſus. Aliquanto tempore pòſt, *ipſa* quoque Macedonia ceſſit Romanis, victo & in triumphum ducto Perſeo, ultimo Macedoniæ Rege. Aſiæ a. regnum paulò ulteriùs transmiſſum fuit ad Seleucidas. Cum deinde Seleucidæ plurimùm inter ſe contenderent, bellaque inteſtina gererent, vocatus à Syris Tigranes Rex Armeniæ, octodecim annis imperium tenuit. Ipſe verò Tigranes à Romanis regno tandem exutus eſt. Atque ſic ipſa Syria quoque ceſſit Romanis, & in provinciæ formam

nam redacta eſt. Supererat tum magni ejus imperii quod Alexander tenuerat, pars iſta quæ in Ægyptum erat. Hæc quidem à Ptolemæo Lagi transmiſſa fuit ad ipſius poſteros, qui longâ ſerie per CCC. circiter annos regnarunt. Cum verò & hæc pars à Romanis occupata eſſet, exſtinctum ſic prorſus fuit magnum iſtud Macedonicum imperium quod Alexander tenuerat. Sed quo tempore id dicemus factum? Cum Julius Cæſar, Pompejum perſequens, in Ægyptum venit, imperium tractavit Ptolemæus Dionyſius, qui Pompejum interficiendum curavit, & ipſi deinde Cæſari quoque ſtruxit inſidias. Sed Cæſar elapſus è manibus fuit. Cumque mox ipſe Ptolemæum cœpiſſet bello appetere, corpus Regis obrutum repertum eſt in limo. Tum verò non continuò & regnum Ægypti à Cæſare occupatum fuit. Nam cum Ptolemæus adhuc in vivis eſſet, & ipſe Cæſar in Ægyptum veniſſet, Cleopatra, Regis ſoror, petierat à Cæſare, ut ſibi partem regni reddendam curaret. Cæſar igitur mox illam reſtitui juſſit in regnum: atque ita Cleopatra regnavit per XVIII. adhuc annos. Cum verò ſe Cleopatræ adjunxiſſet Antonius, eidemque imperii Romani potiundi ſpem feciſſet, occurrit Octavius Cæſar, qui anteà unà cum Antonio & M. Lepido triumviratum geſſerat, & Antonium ac Cleopatram vicit. Quo facto Cleopatra quidem ad pedes Cæſaris provoluta, non de vitâ, ſed de parte regni adhuc laboravit. Cæſar autem abnuit, & Reginam triumpho ſervavit. Quod cum ipſa jam perſentiſceret, admotis ſibi ſerpenti-

bus, mortem ſibi ipſa conſcivit. Atque ita tandem & illa imperii Alexandri pars, quam poſteri Ptolemæi tenuerant, per vim occupata fuit: eoque facto totum imperium Macedonicum deſiit atque exſtinctum fuit. Factum fuit annis non multis ante natum Chriſtum, triginta circiter.

XVII. Pleraque omnia imperii Macedonici, ut apparuit, addita fuerunt imperio Romano. Hoc verò longo tempore non ab hominibus ſingulis obtentum fuit, ſed à toto ſenatu populoque Romano. Et iſtis quidem temporibus res ita ſe habuit, cum imperii Macedonici pleræque partes Romano imperio ſunt additæ. Unica pars imperii adhuc remanſerat, ea nim. quæ in Ægyptum fuit, cum rerum ſummam non ampliùs Senatus populuſque Romanus teneret, ſed triumviratum inſtituiſſent Octavius, Antonius, & M. Lepidus, junctiſque operis imperium tractare cogitarent. Horum verò primus exutus eſt M. Lepidus. Deinde nec inter Octavium & Antonium diu convénit. Cum enim Antonius, totius imperii Romani potiundi ſpem feciſſet Cleopatræ, Octavius Cleopatræ ac Antonio occurrit, iiſdemque victis unus & ſolus rerum ſummam tenuit, vereque Monarcha fuit. Et hujus quidem imperium ſive regnum fuit ipſum illud, quod inter quatuor regna à S. Daniele præſignificata *quartum* eſt. In viſione Nabuchodonoſori deſignatum id fuit per *ſtatuæ crura ferrea, pedeſque partim ferreos, partim teſtaceos*. In viſione Danielis autem deſignatum fuit *per beſtiam quandam immanem ac terribilem, ferreis dentibus inſtru-*

ſtructam, cujus forma quoque prorſus alia fuit quàm cæterorum trium animantium. Vide de eo cap. VII. Danielis v. 7. Sed Fr. Junius, plurimique alii docti Viri putarunt, per quartam partem ſtatuæ, itemque per quartum iſtud animal deſignatum eſſe iſtud imperium, quod ſucceſſores Alexandri M. tenuerunt, idemque imperium eſſe ipſum illud quartum quod S. Daniel præſignificare voluit: imperium Romanum autem ex numero quatuor regnorum, quæ à Daniele deſignata ſunt, prorſus excluſerunt. Contra illos igitur demonſtravimus ſuprà, quânam ex re intelligi poſſit, quòd imperium iſtud quod Alexandri M. ſucceſſores tenuerunt, per tertiam partem ſtatuæ, perque tertium animal ſit deſignatum, quodque adeò ipſum quoque ſit idem illud tertium imperium, quod tenuerat Alexander. Nunc verò oſtendere etiam licet, *iſtud ſucceſſorum Alexandri imperium non eſſe quartum.* Si verò hoc ſatis apparere poſſit, non eſſe quartum, facilè, credo, perſuadebitur & illud quod ſuprà diximus, eſſe nimirum ordine tertium.

XVIII. De quarto regno prædictum eſt, fore illud valde durum ac validum: ſicut ferrum, confracturum & comminuturum omnia. Et hæc quidem ſunt in cap. II. Danielis. In capite ſeptimo autem v. 23. de eodem quarto regno legimus, devoraturum illud, comminuturum & conculcaturum eſſe omnes terras. Quartum quoque animal, quo quartum regnum deſignatum fuit, præ cæteris terribile ac robuſtum fuiſſe dicitur. Quæ ſanè deſcriptio ſucceſſoribus Alexandri, ſive Ptolemæo,

ſive Seleuco, ſive alii cuidam non competit. De regnis iſtis quæ Alexandri ſucceſſores habuerunt, manifeſtè prædictum eſt, ea non tam valida futura, qvàm regnum Alexandri fuerat. Et qui poterat aliter? Vim unitam vulgò dicunt fortiorem eſſe. Ita igitur & Alexandri imperium ſine dubio haud paulò plus valuit, quàm iſtæ ejus partes, in quas id diſcerpſerunt Alexandri Duces. Deinde de quarto iſto regno non ſemel, & ſingulari quidem δεινότητι prædictum fuit, illud à prioribus regnis diverſiſſimum fore. In cap. VII. Dan. v. 23. ita legimus: תִּשְׁנֵא מִן־כָּל מַלְכְוָתָא *diverſum erit* (iſtud quartum regnum) *ab omnibus cæteris regnis.* Itemque in v. 7. ejusdem capitis de quarto animali legimus, fuiſſe illud מְשַׁנְיָא מִן כָּל־חֵיוָתָא *diverſum ab omnibus cæteris animalibus.* An ergò credibile eſt illud regnum quod ſucceſſores Alexandri tenuerunt, hîc fuiſſe ſignificatum? Non fuerat de ullo priorum animalium atque item regnorum, id additum, tantopere diſcrepaturum illud à cæteris; cum tamen imperium Alexandri non parum diſcrepaverit à Perſico. De quarto autem regno diſertè eſt additum, illud à prioribus omnibus diverſum futurum. An igitur cuiquam veriſimile fieri poteſt, quartum iſtud regnum eſſe regnum Seleuci Nicanoris? Illud, inquam, quod ab ipſius Alexandri regno nihil quicquam ferè diſcrepavit. Fuerat Seleucus ex Alexandri Ducibus. Exſtincto autem Alexandro, fecit ipſe, ut alii Alexandri Duces, hoc eſt, pro-

provincias quaſcunque potuit, occupavit, inque ſuam redegit ditionem. Præterea & Macedo fuit natione. Plurimas item urbes per Aſiam condidit, quibus vel de parentum ſuorum, vel de ſuo ipſius nomine nomina dedit. Sedecim inter eas fuerunt Antiochiæ: ſex Laodiceæ: novem Seleuciæ. Ita factum, ut & Græca Lingua atque inſtituta per Orientem longè lateque diſſeminarentur. Eſtque ſic non aliter factum, quàm ſi ipſe Alexander diutiùs ſuperſtes fuiſſet, perque iſtas quas acquiſiverat, provincias dominatus fuiſſet. Sed & de eo cogitandum quod ſuprà diximus, tum demum regnum aliquod dici exſtinctum eſſe atque deſiiſſe, ſi id per vim acceſſerit alii imperio. Ex eo nim. facilè judicari poteſt, illud regnum quod Alexander tenuerat, non fuiſſe eâ parte exſtinctum, quam Seleucus occupavit. Seleucus anteà nullum regnum habuerat. Quare quod regni ſibi acquiſivit Seleucus, id alii regno accedere ſive addi non potuit. Quod de Seleuci regno diximus, id & de Ptolemæi regno, itemque de cæterorum Alexandri Ducum regnis dictum volumus. Ut ita nec ſingula illa, nec item ſimul ſumpta poſſint quartum iſtud regnum eſſe quod Daniel deſignavit.

XIX. Sunt & alia, ex quibus intelligi poteſt, regna iſta quæ Alexandri ſucceſſores tenuerunt, nec ſingula nec ſimul ſumpta eſſe quartum eorum regnorum quæ S. Daniel deſignavit. Quartum regnum juxta Danielis expoſitionem, quam ipſe Nabuchodonoſoro, & juxta S. Angeli, quam is Danieli dedit, duraturum eſt uſque ad finem mundi. In cap. II. Danielis, cum

de quarto regno paulò uberiùs diſſertatum eſſet, ſequitur illico: In *diebus autem regnorum iſtorum ſuſcitabit* Deus *cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur. Comminuet autem & conſumet univerſa regna iſta.* In cap. VII. quoque in eandem ſententiam clariſſimè differit S. Angelus. Cum de quartâ beſtia, per quam utique quartum regnum deſignatum eſt, deque decem cornibus quo id inſtructum fuerit, nec non & de parvo cornu, paulò uberiùs dictum eſſet, mox deinde ſequitur: *Adſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & libri aperti ſunt.* Vide & plura ibidem. Eſt ibi planiſſimè deſcriptio extremi judicii: nec de eo quicquam dubitandum. Et uſque ad extremum illud judicium duraturum dicitur quartum regnum. Ex quo facilé intelligitur, ſucceſſorum Alexandri regna, ſive ſingula ſive ſimul ſumpta, non eſſe quartum iſtud regnum, quod S. Daniel deſignavit. Omnia iſta ſucceſſorum Alexandri regna ante bis mille ferè annos exſtincta ſunt. Quomodo verò id ſit factum, breviter expoſitum eſt ſuprà. Quòd quarta beſtia decem cornibus inſtructa apparuit, quodque deinde aliud parvum enatum ſit, quod ex decem cornibus decuſſerit tria, ea quoque ſucceſſorum Alexandri regnis non quadrant.

XX. Cum igitur quartum eorum regnorum quæ Daniel deſignavit, non poſſit cum regnis ſucceſſorum Alexandri conferri: facilè apparet; quartum regnum non aliud eſſe quàm imperium ſive regnum Romanum. Hoc illud eſt, cui probè quadrant omnia. Fuit id præ cæteris terribile & validum, pluraque id comprehen-

hendit, quàm cæterorum ullum. Tenuit Auguſtus in ditione ſuâ pleraque omnia, quæ Perſarum ac Macedonum Reges tenuerant: præterea verò ampliſſimas Africæ provincias, quas Perſarum ac Macedonum Reges non attigerant: ampliùs Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Italiam, Noricum & Vindeliciam: magnas item maris mediterranei inſulas, Siciliam, Sardiniam, Corſicam. Trajanus deinde addidit Daciam, Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam. Fuit etiam id regnum revera diverſum à proximo priori tertio. Demonſtravimus ſuprà, unde fiat, ut ſi imperium ſive regnum quoddam per vim addatur alii regno, diverſum tum fiat à ſeipſo: nim. quia priſtinam ſuam appellationem non retinet, & alterius regni appellatione ſimul comprehenditur. Qui imperium Romanum nominabat, is non tantùm imperium in urbem Romam, ſed & imperia in quam plurimas alias provincias intelligebat, & inter alia quidem ipſa quoque in Macedoniam, Ægyptum & Aſiam imperia: quæ quidem imperio Romano acceſſerant. Demonſtrari etiam poteſt, quartum iſtud regnum adhuc durare, necdum deſiiſſe. Unde porrò augurari etiam licet, id ad finem mundi uſque perſtiturum. Cætera quoque, quæ ad quartum regnum pertinent, in regno ſive imperio Romano ſatis apparent.

XXI. Cæterum tenuerunt imperium ſive regnum iſtud variarum nationum homines: non tales modò, qui urbe Româ, aut ex Italiâ oriundi eſſent. Fuerunt inter illos Hiſpani,

Thraces, Syri, Cappadoces, Iſauri: qui tamen omnes in iſtis provinciis nati fuerunt, quæ in ditione Imperatoris Romani erant. Nec illi tantùm qui Romanis Imperatoribus prognati erant, aut à populo Imperatores appellabantur. Romani Imperatores fuerunt, ſed & hi qui interemptis Imperatoribus, per vim imperium occuparunt. Non deſiit Romanum imperium, cum optimum principem Ælium Pertinacem è medio tollendum curavit Didius Julianus: neque item, cum Alex. Severum interficiendum curavit Maximinus Thrax. Diximus ſuprà tum demum regnum aliquod dici deſinere & exſtingui, cum illud per vim adjicitur alii imperio. Si olim Parthorum Rex Imperatorem Romanum viciſſet, omneſque ejus provincias occupaſſet, deletum ſic fuiſſet Romanum imperium ſive regnum; quemadmodum cum Alexander M. Macedoniæ Rex, Darii Perſarum Regis provincias occuparet, exſtinctum fuit imperium Perſicum. Et ſanè quæcunque Romani imperii partes ab aliarum gentium Regibus per vim occupatæ ſunt, eæ Romani imperii nomine cenſeri & comprehendi deſierunt. Cum in quinto ſeculo in Galliam immigrarent Franci eamque provinciam Imperatoribus Romanis eriperent, deſiit Gallia ad imperium Rom. pertinere. Sic & de Hiſpaniâ res ſe habuit, cum in eam Vandali & Wiſigothi irrumperent. Si eodem modo omnes quoque cæteræ imperii Rom. partes per vim occupatæ eſſent ab aliarum gentium Regibus & Ducibus: nihil hodie Romani imperii ſupereſſet, & unà cum nomi-

nomine ſuo imperium Romanum prorſus exſtinctum foret. Nunc verò rem aliter ſe habere ſcimus: nec permiſſurum Deum ut quod ſupereſt Romani imperii, per vim occupetur ab aliâ gente. Sed de variâ Romani imperii conditione quam ex hiſtoriis cognitam habemus, paulò ampliùs cogitemus.

XXII. Variæ diverſis temporibus partitiones exſtiterunt Romani imperii, cum, qui Imperatores eſſent, imperii conſortes adſciſcerent. Diocletianus aliquando adſcivit Maximinum. Iſti verò duo adſciverunt porrò Conſtantium Chlorum & Galerium Maximinum: idque fine tertii ſeculi. Adſciti deinde fuerunt & alii quidam. Tandem verò ad unum quendam rurſus devoluta ſunt omnia, nimirum ad Conſtantinum M. Hic ſedem ſuam in novum quendam locum tranſtulit, Byzantium puta, quod & de ſuo nomine Conſtantinopolim, itemque νέαν Ῥώμην *novam Romam* dixit. Sic verò non diſiit eſſe Imperator Romanus. Tenuit enim ampliùs idem illud imperium quod tenuerat antea, quodque tenuerant ante ipſum alii. Cum deinde Conſtantinus M. ampliſſimum ſuum imperium in tres partes divideret, & tribus ſuis filiis eas addiceret: eæ quoque partes quibus dominium ipſius Romæ non comprehendebarur, Romani imperii partes adhuc dicebantur. Conſtantius Conſtantinopoli ſedem habebat, nec Dominus Romæ tum erat, cum frater ejus Conſtans adhuc ſupereſſet. Nihilominus ipſe adhuc Imperator Romanus fuit, & imperii Romani partem tenuit. Sic & fine quarti ſeculi res ſe habuit, cum imperium Romanum

manum inter Arcadium & Honorium divideretur. Quamvis non Arcadius, ſed Honorius Romæ eſſet Dominus, ipſe tamen Arcadius quoque Imperator Romanus erat: quia ſc. partem tenebat ejus regni, quod uno nomine Romanum dictum fuerat. Cæteri quoque Imperatores ſive Reges qui inde à temporibus Arcadii uſque ad decimum quintum ſeculum Conſtantinopoli & ἐν τῇ νέᾳ Ῥώμῃ *in novâ Româ* ſedem habuerunt, Romanorum Imperatorum nomen ſemper ſervarunt: etiam tum cum Domini Romæ ipſi non fuerunt. Cujus rei cauſa hæc eſt, quòd imperium iſtud non ante decimum quintum ſeculum occupatum fuit ab aliarum gentium Regibus. Cum verò ipſo decimo quinto ſeculo decurrente imperium ſive regnum Conſtantinopolitanum, quod poſtremus tenuit Conſtantinus Palæologus, à Turcarum Rege Mahomete per vim occuparetur: deſiit tum atque exſtincta fuit ea imperii Romani pars quam Imperatores Conſtantinopolitani tenuerant. Nemo ſane eam imperii Romani partem quam Turcarum Rex hodie tenet, imperium Romanum amplius vocat. Contrà verò qui Turcicum ſive Othomanicum imperium nominat, is ſimul comprehendit eam imperii Rom. partem quam hodie Rex Turcarum tenet.

XXIII. Sed de eâ quoq; imperii Romani parte, quam Occidentalem vocant, cogitemus, an exſtincta ea dici poſſit, quemadmodum pars Orientalis exſtincta eſt ſine dubio. Diximus tum exſtinctum dici imperium aliquod, cum illud occupat Rex alterius gentis, & quidem per vim. Nunc verò addo, exſtinctum

ctum etiam dici, ſi modò alia gens, licet Regem non habeat, illud occupet. Si regnum Ægypti quod poſt Alexandrum Ptolomæi tenuerunt, unà cum cæteris Macedonicis regnis à populo Romano per vim occupatum fuiſſet tum cum populus Romanus Regem non habuit, nihilominus tamen imperium Macedonicum prorſus exſtinctum fuiſſet. Cæterum de urbe Româ ſcimus, eam non ſemel per vim occupatam eſſe à barbaris, à Gothis ſc. & Vandalis. Initio quinti ſeculi temporibus Honorii Viſigothi duce Alarico in Italiam infuſi Romam utique occuparunt. In eodem quoque, ſeculo Odoacer Herulorum Rex Romanum Imperatorem Auguſtulum regno exuit. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, non tamen imperium Rom. tunc exſtinctum fuit. Cum tempore Honorii Roma occupata fuit, non continuò & omne imperium quod Honorius habebat, occupatum fuit. Deinde nec dominium Romæ diu retinuit Alaricus. Tertiâ enim die, quàm irruperat, metu Theodoſii rurſus egreſſus fuit, & ad vaſtandam Italiam ſe convertit. Cum verò paulò pòſt deceſſiſſet, Ataulphus propinquus & ſucceſſor ejus, cum Honorio pacem fecit, & Hiſpaniam petiit. Tum igitur Honorius perrexit Imperator Romanus eſſe. Aliquanto tempore pòſt, cum Valentinianum interficiendum curaret Maximus, ea Romani imperii pars quæ Occidentalis dicebatur, itidem extincta non fuit. Non enim addita fuit alii imperio. Annon verò cum Auguſtulum regno exueret Odoacer Herulorum Rex, exſtincta fuit imperii Rom. pars occidentalis?
Sanè

Sanè ſi Odoacer imperium retinuiſſet, exſtinctum id fuiſſe dicendum foret. Notum autem eſt, Theodoricum Oſtrogothorum Regem bonâ gratiâ iſtius Imperatoris Romani, qui partem Orientalem tum tenebat, Zenonis puta, cum exercitu moviſſe in Italiam, & Odoacrum debellaſſe. Et tum quidem ipſe Theodoricus imperii Romani partem Occidentalem tenuit: non tamen propterea exſtincta ea pars dici poteſt. Primò enim bonâ gratiâ & dono Imperatoris Romani imperium tenuit, ut ex Jornande conſtat. Deinde nec diu Italiam retinuerunt Oſtrogothorum Reges. Fine quinti ſeculi acceperunt: medio autem ſeculo ſexto amiſerunt rurſus, victo Tejâ ultimo eorum Rège à Narſete, quem Juſtinianus, Romanus tum Imperator, in Italiam miſerat. Ita factum ut is Imperator Rom. qui partem Orientalem tenebat, tenuerit & Occidentalem, atque ut pars Occidentalis rurſus conjuncta fuerit cum Orientali.

XXIV. Cum Juſtiniano ſucceſſiſſet Juſtinus, excitati à Narſete Longobardi in Italiam irruperunt, & magnam quidem imperii Rom. Occidentalis partem occuparunt: non totum tamen. Imperatores Romani enim poſtilla Exarchos ſuos in Italiam mittebant, & Domini adhuc manebant ipſius Romæ, Pentapoleos, Exarchatus Ravennatenſis & urbis Venetiarum. Veruntamen & horum pleraque ultimis Longobardorum Regibus ceſſerunt: ut ſcilicet nihil in ditione Romanorum Imperatorum maneret præter urbem Romam & Venetias, atque ita imperii Romani pars Occidentalis valde

exigua

exigua eſſet. Pipinus verò Francorum Rex Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli Longobardis rurſus eripuit, eamque Romanis reddidit. Idque factum ſeculo octavo jam decurrente. Cætera quæ Longobardi occupaverant, ceſſerunt deinde Carolo Pipini filio, cum is Deſiderium, ultimum Longobardorum Regem vicit. Sed quid de imperio Rom. Occidentali, quod ſanè perquam exiguum ad extremum fuit, eſt dicendum? An in ditione Imperatorum Rom. qui Conſtantinopoli ſedem habebant, id manſit omni eo tempore quo Longobardi in Italiâ dominati ſunt? De temporibus ante Leonem Iſaurum nihil dubium eſt. Cum verò Leo iſte controverſiam Iconomachicam contentiùs agitaret, alieniores ab ipſo facti fuerunt qui in Italia ipſi paruerant, & vectigalia ampliùs pendere detrectarunt: de proprio item Imperatore creando cogitarunt; ut de his ex Zonarâ, Paulo Warnefrido, & Anaſtaſio conſtat. Ne tamen Imperatorem crearent, inhibuit Pontifex Romanus. Scire etiam licet, poſt illa quoque Romanos Conſtantinopolitanis Imperatoribus quadantenus ſubjectos fuiſſe: idque ex Anaſtaſio Bibliothecario eleganter demonſtravit Vir Cl. Herm. Conringius in libro de Germanorum Imperio Romano, cap. VI. Si verò maximè imperium Conſtantinopolitanorum Cæſarum prorſus detrectaſſent Romani, non tamen imperium Rom. exſtinctum fuiſſet. Non enim per vim occupatum fuit ab aliâ gente.

XXV. Cæterum fine octavi ſeculi, tranſlatum fuit imperium Rom. Occidentale ad Caro-

Carolum M. Francorum Regem. Nimirum populus Romanus & inter hos primarius civis Romanus Pontifex Carolum M. voluerunt ſuum Regem atque Imperatorem eſſe. Anaſtaſius Bibliothecarius: *Ab omnibus conſtitutus eſt Imperator Romanorum.* Si Carolus iſte, Francorum Rex, per vim occupaſſet iſtud imperium, quemadmodum XXX. antè annis alias Italiæ partes Longobardis eripuerat, exſtinctum ſic fuiſſet Imperium Romanum Occidentale, quemadmodum ducentis circiter abhinc annis exſtinctum eſt imperium Rom. Orientale, cum à Turcarum Rege regno exueretur Conſtantinus Palæologus. Quia verò bonâ gratiâ factus eſt Imperator, manſit poſtilla quoque Romani imperii ac Imperatoris appellatio, nec imperium Romanum tunc exſtinctum fuit. Imò verò appellatio Romani Imperatoris cæteris Caroli titulis etiam prævaluit, & priore loco poni ſolitus fuit. Cæterum quòd dubium adhuc eſſe poſſet, an populo Romano Regem ſibi ſumere liceret, & annon debuiſſet populus iſte in fide manere eorum Imperatorum Romanorum qui partem Orientalem tenebant, & Conſtantinopoli ſedem habebant, tranſigendum etiam putavit Carolus primò cum Irene, quam & matrimonio ſibi jungere cogitavit: deinde cum Nicephoro. A Carolo imperium Rom. hereditario jure devolutum fuit ad ejus poſteros per centum ferè annos. Tempore Ottonis primi a. hoc eſt in ſeculo decimo tranſlâtum illud fuit ad illum ipſum Ottonem, Germaniæ Regem: & ſic cæteris quoque Germaniæ Regibus jus datum idem illud

illud Romanum imperium ſive regnum habendi. Scil. quemadmodum Caroli M. temporibus, ita & Ottonis ætate libertatem quandam ſibi arrogavit populus Rom. & imperium à Francorum Rege ad Regem Germanorum transferendi poteſtatem ſibi ſumpſit. Quoniam autem Germanorum quoque Rex bonâ gratiâ imperium Romanum accepit, neque per vim illud occupavit: factum fuit ut ne tum quidem Romani Imperii appellatio, atque adeò nec ipſum imperium Rom. exſtingueretur. Quin imò quòd Imperii Romani magna ſemper dignitas atque autoritas fuiſſet, apud Germanos quoque appellatio Romani Imperatoris prævaluit ipſi Germanorum Regis titulo: ut qui Imperium & Imperatorem Romanum diceret, is Regnum & Regem Germanorum ſimul comprehenderet. Hodie quoque quamvis nomine Imperii Romani admodum pauca poſſideat Rex Germanorum, ea tamen Imperatoris Romani appellatio plurimum ipſi dignationis conciliat.

XXIV. Apparet ita, quid cauſæ ſit quamobrem imperium Rom. hodieque durare dicendum ſit: nim. quia illud appellationem ſuam nondum amiſit, nec per vim occupatum ac retentum fuit ab aliarum gentium Regibus. Quoniam autem Imperium Rom. quartum eſt iſtorum regnorum quæ S. Daniel deſignavit: ipſum quoque illud quartum regnum adhuc perſtat, & S. Daniel ad noſtra quoque tempora quæ cIↄ cIↄ ampliùs annis ab ejus ætate abſunt, reſpexit. Idem quoque Imperium quoniam quartum eſt, duratione ſuâ ipſum finem mundi ſine dubio attinget. Nam de quarto iſto ex Da-

niele id liquidò intelligi poteſt, ut jam ſuprà eſt expoſitum. Ut verò uſque ad finem mundi Imperium Rom. duret, neceſſe erit non occupari illud per vim ab alterius gentis Regibus. Cæterum obſervare etiam licet, quibus Imperium Rom. competit, eos id parum uſurpare. Papæ Romani ſcil. Regibus Germanorum ſæpe glaucomata objecerunt, quibus eos ab uſurpatione arcerent. Sed auguramur, hos quibus competit, uſurpationem iſtam tandem aliquando ſeriò reſumpturos, tumque meretricem Babylonicam, ut in Apoc. XVIII. clariſſimè prædictum eſt, neglectum, pulſum, atque irriſum iri.

De Paradiſo.

Locum iſtum, in quem piorum animæ, cum corporibus ſuis excedunt, transferuntur, in ſacris literis non ſemel appellatum reperimus παράδεισον. Primò quidem in illis verbis, quibus Salvator in cruce pendens, latronem affatus eſt: Ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. Sunt ea in cap. XXIII. Lucæ. Deinde idem vocabulum apparet in cap. XII. poſt. epiſt. ad Corinth. v. 4. Narrat ibi S. Paulus de ſeipſo, ſed quaſi de alio loquens, ſe raptum ac tranſlatum fuiſſe εἰς τὸν παράδεισον. Ibidem verò ſcribit etiam ſe raptum fuiſſe ἕως τρίτου οὐρανοῦ. Quo ipſo non aliud dicere voluit, quàm quod verbis prioribus. Et locum beatorum propterea quidem vocat τρίτον οὐρανὸν, quòd ipſius ævo

vulgò

vulgò triplex cœlum numerarent : unum, in quo volitant aves : alterum, in quo ſtellæ feruntur : tertium, in quo ſunt animæ beatorum. Tertiò vox παράδεισος legitur Apoc. II. 7. in his quidem verbis : τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. Ipſam vitam beatam deſignat Apoſtolus per τὸ *comedere ex arbore vitæ.* Ipſam verò arborem illam dicit eſſe ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. Ita apparet, ipſum illum locum, in quô vitâ beatâ fruuntur, vocatum eſſe παράδεισον τοῦ Θεοῦ. De vocabuli iſtius origine ac uſu, atque adeò de ipſis quoque rebus quæ iſto vocabulo ſignificantur, libet in præſentia exercitii Academici cauſâ diſquirere.

II. Græculi quidam vocabulum crediderunt origine Græcum eſſe, & compoſitum quidem. Suidas ita : παράδεισος δὲ εἴρηται, παρὰ τὸ δεύσω τὸ βρέχω ῥηματικὸν ὄνομα, δεῦσος. παράδεισος τροπῇ τοῦ ῦ ψιλοῦ εἰς ι. Addit verò idem Suidas de alio quoque etymo, quod quidem quæſiverint alii. Οἱ δὲ φασί, inquit, παρὰ τὸ τὴν δεῖσαν ποιεῖσθαι, ὅ ἐστι βοτανῶν συλλογήν. Gellius quoque eam vocem Græcis adſcribere videtur. Sic enim ille in lib. II. cap. XX. *Vivaria quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos* παραδείσους *Græci appellant.* Sed hæc tamen de illis tantùm Græcis, qui ipſius ætate fuerunt, intelligi poſſunt. Julius Pollux in lib. IX. Onomaſtici cap. 2. apertè profitetur, vocem eſſe exoticam. οἱ δὲ παράδεισοι, inquit, βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖ τοὔνομα, ἥκει καὶ κατὰ συνήθειαν εἰς χρῆσιν ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν περσικῶν. Dicit ille, veniſſe vocem iſtam in uſum Græcum, quemadmodum multa alia. Intelligit autem ſine du-

bio illa vulgo nota, ἀκινάκης, γάζα, σατράπης, παρασάγγης, ἄγγαρος. Heſychius quoque talia habet, ex quibus colligere poſſis, ipſum originem vocis adſcribere Perſis. Primò quidem ſic ſcribit: Παράδεισος, τίθεται ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων, οἷός ἐστιν ἐν περιπάτοις ἢ τόπος ἔνυδρος, ἤτοι ἔνυδρος, ἐν ᾧ περίπατοι. Mox verò & hæc ſubdit idem Heſychius: καὶ ἡ βασιλέως κατάλυσις. Per βασιλέα ſine dubio intelligit Perſarum Regem, quem ſic κατ' ἐξοχὴν & ſine addito appellare ſolebant Græci. Quoniam igitur παράδεισον ſignificare dicit Perſarum Regis κατάλυσιν, hoc eſt, locum ubi diverſatur Perſarum Rex, videtur utique Heſychius ſic ſtatuiſſe, eâ voce uſos primitus fuiſſe Perſas, eáque deſignaſſe locum talem, in quem Perſarum Reges ſoliti fuerint diverti. Licet autem ſubodorari, unde Heſychius poſtremum illud hauſerit. Unde & porrò dubitare cuipiam ſubeat, an Heſychius ſatis rectè interpretatus ſit. Prodidit Diodorus Siculus in lib. XVI. Sidonios, cum unà cum cæteris Phœnicibus Perſarum Regi Artaxerxi bellum inferre meditarentur, vaſtaſſe βασιλικὸν παράδεισον, ἐν ᾧ τὰς καταλύσεις οἱ Περσῶν βασιλεῖς εἰώθεισαν ποιεῖσθαι. Scilicet hoc vult Diodorus, Perſarum Reges in Paradiſo iſto, qui prope Sidonem fuit, ſolitos fuiſſe καταλύσεις ποιεῖσθαι *diverſari*, ſi quandò in Syriam ac Phœniciam venirent. Non eadem ig. Diodoro ſunt παράδεισος & ἡ βασιλέως κατάλυσις. Ὁ παράδεισος locus fuit, in quo κατάλυσις illa fiebat. Et fortaſſe ipſe Heſychius quoque ſic ſcripſerat: καὶ τόπος, ἐν ᾧ ἡ βασιλέως κατάλυσις. Cæterùm illud βασιλικὸς παράδεισος, quod apud Diodorum eſt, interpres vertit, *regium*

gium Paradiſum: eaque ſuâ interpretatione intelligendum dat, vocem παράδεισος origine Græcam non eſſe, ſed à Perſis ad Græcos tranſiiſſe. Si enim crediidiſſet, vocem παράδεισος vulgari Græcâ Linguâ *hortum* ſignificare: vertiſſet utique voce *hortus*, dixiſſetque *regium hortum*. Nunc verò retinet ipſam vocem *Paradiſus:* ut nim. Perſicam rei appellationem in ſuâ quoque verſione demonſtraret; quod & ipſum Diodorum facere voluiſſe videtur crediſſe.

III. Non raro ſanè vocem παράδεισος apud Græcos ſcriptores reperias: vix tamen alibi quàm ubi de Perſicis hortis ac vivariis ſcribunt. Ipſe jam dictus Diodorus κῆπον κρεμαστὸν, *hortum penſilem*, quem prope arcem Babylonicam à quodam Syro rege exſtructum in lib. II. narrat, παράδεισον vocat. Verba Diodori, ut à Rhodomanno verſa, hæc ſunt: *Erat etiam penſilis, ut vocatur hortus juxta arcem non à Semiramide, ſed Syro quodam rege poſteris temporibus in gratiam Pallacæ ædificatus. Quæ cum ex Perſiâ, ut perhibent, oriunda eſſet, in montibus prata requirens à Rege, ut artificioſo quodam plantario Perſicæ naturam terræ imitaretur, contendit.* ἔστι δὲ ὁ παράδεισος τὴν μὲν πλευρὰν ἑκάστην παρεκτείνων εἰς τέτταρα πλέθρα, *Paradiſus ille unumquodque latus ad quatuor plethra extendit.* Vides hîc quoque interpretem in verſione ſuâ vocem *Paradiſus* poſuiſſe: non autem vertiſſe Latinâ voce *hortus*, quemadmodum paulo antè vocem κῆπος ſic verterat. Antiquior Interpres Poggius vocem παράδεισος quoque Latinâ voce *hortus* vertit. Et verſio quidem poſtremorum verborum

ſic habet : *Hujus horti ſingula latera jugeribus quatuor extenduntur.* In cujus gratiam Rex Syrus hortum iſtum penſilem ſtruxerit, ei Rhodomannus, ut apparet, credidit Pallacæ fuiſſe nomen. Nobis cum Poggio videtur ſic potiùs vertendum, *in gratiam pellicis.* Ipſe Diodorus ſic habet : χάριν γυναικὸς παλλακῆς.

IV. Cæterum quem Regem Diodorus nominare vel non potuit, vel id facere ſuperſedit, de eo nobis liquidò conſtat ex fragmento Beroſi, ſcriptoris antiquiſſimi, quod Joſephus lib. X. ἀρχαιολ. cap. XI. aſſervavit. Quædam ejus fragmenti verba ſic habent : ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις, ἀναλήμματα λίθινα ἀνοικοδόμησε, τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιότητα τοῖς ὄρεσι, καὶ καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς, ἐξειργάσατο καὶ κατεσκεύασε τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐπιθυμεῖν τῆς οἰκίας διαθέσεως, ὡς τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ Μηδίαν τόποις. Totum fragmentum de Nabuchodonoſori rebus geſtis agit : ejus de quo nobis ex ſacris literis conſtare poteſt. Iſtis autem verbis proditum eſt, in regiâ iſtâ, quam Nabuchodonoſorus novam ſtruxerit, moles ſaxeas fornicibus ipſum ſuſpendiſſe, montium ſpeciem referentes, variiſque arboribus conſerendo perfeciſſe appellatum ſic hortum penſilem. Diodorus κρεμαστὸν κῆπον dixit. Beroſus verò multo antiquior, & Alexandri Magni σύγχρονος, κρεμαστὸν παράδεισον. Uterque verò addidit, τὸν καλούμενον. Quâ voce reſpexiſſe videntur ad ipſas Babylonicas appellationes : quòd nim. Babylonii vocabulo ſuæ linguæ *penſilem* vocarint hortum iſtum. Beroſus autem vocem παράδεισος, ut τοῦ κῆπος æquipollentem uſurpat. Veriſimile

mile tamen eſt, ipſum quoque vocē παράδεισος ipſum Babyloniorum nomen פַּרְדֵּס referre voluiſſe. Sed de hoc poſtea.

V. Xenophon, Beroſo aliquanto antiquior, non ſemel etiam vocem παράδεισος uſurpavit: non autem alibi quàm ubi de rebus Perſicis agit. Et is fortaſſe quàm rectiſſimè docere nos poterit, eam vocem origine Græcam non eſſe. In Oeconomico quidem narrat his verbis: Ἐν ὁπόσαις τε χώραις ἐνοικεῖ, καὶ εἰς ὁπόσας ἐπιστρέφεται, ἐπιμελεῖται τούτων, ὅπως κῆποί τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλούμενοι, πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεστοὶ, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει, καὶ ἐν τούτοις αὐτὸς τὰ πλεῖστα διατρίβει, ὅταν μὴ ὥρα τοῦ ἔτους ἐξείργῃ. Scribit ille de Perſarum Rege, huncque narrat operam dare, ut in omnibus provinciis hortos habeat, in quibus vivere commodè poſſit. Addit autem, ubi de iſtis hortis agit, οἱ καλούμενοι παράδεισοι. Ex quo intelligitur, iſtos duntaxat Perſicos hortos eo nomine appellatos fuiſſe. Si vox κῆπος & vox παράδεισος tunc temporis æquè frequentata fuiſſent, non ſanè addidiſſet illud, οἱ καλούμενοι παράδεισοι. Suffeciſſet κήπους eos appellaſſe. Hoc igitur ſibi vult, Regum Perſiæ hortos peculiari quodam nomine παραδείσους fuiſſe dictos: ſimulque intelligi datur, Græcos ſuâ ipſorum dialecto hortos tum temporis παραδείσους non vocaſſe.

VI. Sed dixerit quis, vocem illam habere ſanè Græcam γλῶσσαν ac formam: ſi autem Xenophon id modò dicere voluiſſet, apud Perſas hortos vocari παραδείσους, uti ipſum debuiſſe voce Perſicâ, ſicut ipſi Perſæ uſi fuiſſent, & ſine Græcâ γλώσσῃ. Si igitur in hunc modum quis

dubitaverit, reſpondemus, Xenophontem nihil inſolens feciſſe, quòd cum Perſicam vocem demonſtrare voluit, Græcam ei πτῶσιν adjecit. Nimirum Græci, imò & Latini, ſic non rarò faciunt, ut ſi peregrinæ Linguæ vocem referant, ex ſuâ Linguâ ei πτῶσιν adjiciant. Cum Præfectos Perſarum nominant Græci, perpetuò eos σατράπας vocant, vocabulo ſcilicet Perſico quidem, ſed novâ πτώσει affecto. Vetus Auctor de morbis, qui Hippocrates eſſe creditur, in libro IV. de Scythis narrat his verbis: ἐκχέοντες τὸ ἵππειον γάλα ἐς ξύλα κοῖλα, σείουσι. τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφρεῖ καὶ διακρίνεται. καὶ τὸ μὲν πῖον, ὃ βούτυρον καλέουσιν, ἐπιπολῆς διΐσταται. Scribit ille, Scythas pingue illud, quod ex lacte multùm agitato à cæteris partibus ſecernitur, βούτυρον appellare. Non autem ipſi Scythæ iſtâ πτώσει vocabulum affecerunt: ſed fecerunt id Græci, & deinde vocem ſic flexerunt, uti aliàs facere ſolent. De Germanis ſcribit Tacitus, ipſos haſtas, vel ipſorum vocabulo *frameas* gerere. Vides & hunc, cum Germanicum vocabulum exprimere voluit, Latinam ei πτῶσιν adjeciſſe. Florus lib. II. cap. XVIII. de Cimbris: *Cum ſe prius epulis implevißent carnis ſemicrudæ & celiæ. Sic vocant indigenæ ex frumento potionem.* Vides & hunc vocabulo Germanico Latinam πτῶσιν adjeciſſe. Atque hoc apud Auctores tantùm non perpetuum eſt. Neque igitur mirum eſt, Xenophontem quoque ſic feciſſe.

VII. Cæterum de hortis iſtis, τοῖς καλουμένοις παραδείσοις Xenophon in ſuperioribus verbis prodidit, eos fuiſſe repletos omnibus bonis, quæ terra producere ſoleat. In eandem ſententiam

mox

mox in eodem Oeconomico addit, Reges Perſarum operam dediſſe, ὡς κάλλιστοι κατασκευασμένοι δένδρεσι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καλοῖς, ὅσα ἡ γῆ φέρει. Narrat item in eodem libro, veniſſe aliquando Lyſandrum Lacedæmonium ad Cyrum minorem Sardibus agentem, eique ab eodem Cyro oſtenſum fuiſſe τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον, *paradiſum illum, quem ipſe Cyrus artificioſè ac eleganter conſeverat.* Eandem hiſtoriam refert & Tullius in lib. de Senectute: quodque Xenophon dixerat, τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον, id Tullius nec *hortum*, nec *Paradiſum* dixit, ſed *conſeptum agrum, diligenter conſitum.* Sed non tantùm plantas & arbores habuerunt iſti Perſarum paradiſi, ſed & varia animalia. In quarto ἑλληνικῶν idem Xenophon ſcribit, fuiſſe μεστοὺς δένδρων καὶ θηρίων. In lib. I. παιδείας Cyri, Aſtyagem ad Cyrum ſic loquentem fecit: τά τε νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία δίδωμί σοι. Ibidem verò de animalibus iſtis ſic quoque loquitur: περιῳκοδομημένα θηρία τὰ ἐν τῷ παραδείσῳ. Item in lib. I. De expeditione Cyri de Celænis Phrygiæ urbe narrat, Cyrum ibi habuiſſe regiam, καὶ παράδεισον μέγαν, ἀγρίων θηρίων πλήρη, ἃ ἐκεῖνος ἐθήρευεν ἀπὸ ἵππου, ὁπότε γυμνάσαι βούλοιτο ἑαυτόν τε καὶ τοὺς ἵππους. Cæterum in his obſervetur & illud, quòd voce παράδεισος hic utatur quaſi origine Græca eſſet: & niſi aliunde conſtaret, eſſe Perſicam origine, ſciri illud ex his non poſſe. Sed alter iſte locus, quem paulò antè retulimus, perquam manifeſtus eſt, nec de origine vocis quenquam dubitare ſinit.

VIII. Poſt Xenophontis ætatem ſenſim vox iſta in Græcam linguam ſe inſinuaſſe videtur,

ſic ut Græcâ civitate donaretur ea, & quoſvis amœnos hortos, non Perſicos modò ſignificaret. Et tum quidem præcipuè, cum jam Macedones Orientem, atque adeò ipſos quoque, qui Regum Perſarum fuerant, paradiſos tenerent. Gellius teſtis eſt, ut jam ſuprà eſt dictum, ſuâ ætate Græculos παραδείσους vocaſſe ſepta illa, quibus feræ includebantur: quæ & Latinis *vivaria* dici ſcribit. Græci Interpretes Vet. Teſt. qui tempore Ptolemæi Philadelphi vixerunt, plurimùm utuntur voce παράδεισος, eaque ſubinde exprimunt Hebræam vocem גן, quæ *hortum* ſignificat. Hortum iſtum, in quo protoplaſti initio agebant, quique in Hebræo גן vocatur, ipſi perpetuò παράδεισον vocant. In cap. II. Gen. v. g. ſic vertunt: ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν ἐδέμ. Et in v. 9. τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου. In cap. III. v. 23. ἐξαπέστειλεν αὐτὸν κύριος ἐκ τοῦ παραδείσου. In cap. XIII. ad Gomorrha dicitur fuiſſe כְּגַן יְהוָה *ut hortum Dei*, hoc eſt, amœniſſimum. Id Interpretes ſic exprimunt: ὡς ὁ παράδεισος τοῦ Θεοῦ. Sic & Eſ. I. 30. vertunt: ὡς παράδεισος ὕδωρ μὴ ἔχων. Et Jerem. XXIX. 5. καταφυτεύσατε παραδείσους καὶ φάγετε. Apparet planiſſimè, Interpretes iſtos vocem παράδεισος ſic uſurpaſſe, ut *quemvis hortum amœnum* eo ſignificarent. Et tantùm hoc interfuiſſe videtur inter voces κῆπος & παράδεισος, ut illud quemvis hortum, non adeò amœnum quoque: hoc verò amœniſſimum quemque ſignificaret. Joſephus item libro I. ἀρχαιολ. c. 2. hortum Eden modò κῆπον, modò παράδεισον vocat, atque ita poſteriore voce ut ſatis jam Græcâ utitur. Sic & Philo facit. In libello Sira-

Siracidæ quoque, & in hiſtoriâ Suſannæ ſæpe reperitur vox iſta. Et in poſteriore quidem inter alia ſunt iſta : ἦν αὐτῷ παράδεισος γειτνιῶν. περιεπάτει ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ ἀνδρός. Apparet, eam vocem nihil aliud quàm amœnum κῆπον ſignificare.

IX. Cæterum Græci Interpretes non tantùm ibi utuntur voce iſtâ, ubi Hebræum גַּן eſt exprimendum, verùm etiam, ubi Hebræa vox פַּרְדֵּס apparet. Ipſum verò פרדס ter modò in ſacris literis reperitur. Primò in Eccl. II. 5. ubi verba ſic habent : עָשִׂיתִי לִי גַּנּוֹת וּפַרְדֵּסִים *feci mihi hortos, & plantavi in illis arbores, qui omnis generis fructus ferunt.* Hic vocem פרדס vix exprimere licet aliâ voce, quàm eâ quæ à nobis poſita eſt. Quoniam tamen & in גַּנּוֹת & in פַּרְדֵּסִים varias arbores ſe plantaſſe dicit, vertamus, *viridaria* : ut ſic binis Hebræis vocibus bina Latina reſpondeant. Porrò τὸ פרדס quoque credamus hortum *præcipuè amœnum* ſignificare. Græci eum locum ſic verterunt : ἐποίησά μοι κήπους καὶ παραδείσους. Deinde eadem Hebræa vox reperitur etiam Cant. IV. 13. Verba ibi ſic habent : שְׁלָחַיִךְ פַּרְדֵּס רִמּוֹנִים. Quæ Græci ſic verterunt : ἀποστολαί σου παράδεισος ῥοῶν. Latinus autem ſic : *Emiſſiones ſuæ paradiſus malorum punicorum.* Mox verò adduntur talia ex quibus facilè intelligi poteſt, פרדס ſignificare locum, qui præſtantiſſimis arboribus ſit conſitus. Sequuntur quidem hæc : עִם פְּרִי מְגָדִים *cum fructibus pretioſis.* Tertius locus eſt Nehem. II. 9. Narrat ibi divinus ſcriptor, ſe à Per-

à Perſarum Rege inter alia & hoc petiiſſe, *ut ſibi literas daret ad Aſaphum* שומר הפרדס אשר למלך *præfectum ſilvæ, quam Rex habebat, ut ex illâ ſibi ſuppeditarentur ligna ad trabes portarum.* Vulgatus vertit: *cuſtodem ſaltus Regis.* Satis apparet, τὸ פרדס hîc ſignificare locum, qui talibus arboribus ſit conſitus, ex quibus trabes ſumi ſoleant, hoc eſt, ſaltum, ſylvam. Hæc igitur ſignificatio paululum diſcrepat ab eâ, quæ in Eccleſiaſte & Cantico apparet. Cognata tamen ea eſt alteri. Græci Interpretes ad hoc poſtremum quoque exprimendum uſi ſunt voce παράδεισος. Et Aſaphum iſtum vocarunt φύλακα τοῦ παραδείσου. Nimirum, cum vox παράδεισος Græcâ civitate donata jam eſſet, adeò ut Hebræam vocem גן eadem exprimere poſſet, vel maximè ibi eadem voce utendum putarunt, ubi ipſa Hebræa vox פַּרְדֵּס apparebat, quæ & ipſa amœnum hortum, locum arboribus conſituin ſignificabat. Vox Perſarum occaſionem dedit, ut antè expoſuimus, ut ipſi Græci quoque amœnos hortos vocarent παραδείσους Deinde Græci Interpretes eâ voce ut indigenâ ſunt uſi. Cæterum & hoc nunc conſtat, non unam modò gentem Orientalem, ſed omninò plures voce פרדס fuiſſe uſas. De Perſis jam conſtat. De Hebræis itidem. Cum Lingua Hebræa ſatis pura adhuc eſſet, nec aliarum gentium vocabulis inquinata, Hebræi illâ voce jam fuerunt uſi, temporibus Salomonis puta. Nec dubium eſt, quin & Chaldæi eâ voce plurimum uſi fuerint. Et illum quidem κρημαστὸν παράδεισον, quem à Nabuchodonoſoro conſtructum

ctum ex fragmento Beroſi ſuprà intelleximus, ipſi Chaldæi ſine dubio vocarunt פַּרְדֵּס הַתֵּלִי Sanè Chaldæi quoque Interpretes eâ voce non rarò ſunt uſi. In Cant. II. 5. ubi & in Hebr. eſt פרדסים sic legitur, גִּנַּת שַׁקְיָן וּפַרְדֵּסִין *horti irrigui & pomaria.* In Gen. XIV. 2. voces עֵמֶק הַשִּׂדִּים ſic expreſſæ ſunt, מֵישַׁר פַּרְדְּסַיָּא *vallis hortorum.* Rabbini quoque plurimùm eâ voce ad ſignificandum *hortum* utuntur. Et quidem πληθυντικῶς dicunt etiam פרדסות Porrò & verſio Syriaca quæ in vaſto opere Pariſienſi eſt, Gen. II. 9. τὸ בתוך הגן *in medio horti* ſic expreſſit, במצעתה דפרדיסא Chaldæo-Samaritana quoque quæ in eodem opere eſt, ibidem ſic habet, במיזון פרדיסה. Vides & Syrum, & Samaritanum uſurpaſſe vocem פרדסא, ubi in Hebræo eſt vocula גַּן. Quòd autem Samaritanæ vocis πτῶσις habet ה, id pro ſolenni iſtius Interpretis eſt factum. Habet enim hic Interpres pro Chaldæorum א ubique ה.

X. Sed quî factum eſt, ut in ſacris literis N. T. locus beatorum παράδεισος non ſemel ſit dictus. Intelleximus, eam vocem à Perſis migraſſe ad Græcos: quod & Pollux in Onomaſtico ſuo ferme faſſus eſt. Quâ occaſione item ad Græcos ea vox migraverit, id itidem intelleximus. Nunc cogitandum eſt, quâ occaſione id ſit factum, quòd vox παράδεισος, quæ Græcis *hortum* jam ſignificabat, ad denotandum locum beatorum ſit uſurpata. Primò eſt locutio metaphorica, cum locum beatorum appellamus *hortum.* Deinde nomen commune κατ' ἀντονομασίαν ponitur pro nomine proprio; *hortus* pro

hoc

hoc horto. Quæ verò hujus appellationis occaſio? Hæc nimirum, quòd veteres Hebræi locum beatorum פַּרְדֵּס *hortum* appellarunt. Sanè multarum tum phraſium, tum quoque vocum ſingularum, quas in ſacris N. T. codicibus obſervamus, ex veterum Hebræorum loquendi modo petenda eſt ratio. De iſto autem loquendi modo ex Talmudicis ac Rabbinicis codicibus conſtare poteſt. Multumque laborarunt viri docti, ut ex codicibus iſtis illum loquendi modum nobis eruerent: quod & feliciter præſtiterunt. Cur S. Johannes Apoc. II. 2. XX. 6. 14. XXI. 8. æternam damnationem vocet θάνατον δεύτερον, ejus utique ratio ex libris Hebraicis, qui circa ea tempora ſunt ſcripta, optimè intelligitur. Nimirum iſtius rei occaſio hæc fuit, quòd Hebræi iſtâ ætate æternam damnationem vulgò vocarent מוֹתָא תִנְיָנָא *mortem ſecundam*. Quam appellationem viſere licet in Chaldaicis paraphraſibus Eſ. LXV. 6, 15. Jer. LI. 39. 57. & alibi. Item, cur ſacri ſcriptores hunc mundum αἰῶνας voce pl. num. nuncuparint, ex ſcriptis Hebraicis, quæ circa iſta tempora compoſita ſunt, itidem ſcimus. Primò quidem vox αἰὼν novam ſignificationem recepit. Nam in vulgaribus Græcis ſcriptoribus mundus non αἰὼν, ſed κόσμος appellari ſolet. Quòd autem vox αἰὼν novam iſtam ſignificationem, ut ſcilicet *mundum* ſignificet, recepit, ejus hæc occaſio fuit, quòd illa ipſa Græca vox vulgari ſuâ ſignificatione congrueret cum Hebræâ quadam, quæ præterquam quòd *æternitatem*, etiam *mundum* ſignificat: cum voce עוֹלָם puta. Porrò עוֹלָם *mundum* Hebræi dividunt

vidunt in tres magnas partes, ſupremam, mediam & infimam: & ſingulas quoque partes eodem nomine appellant, quo ipſum totum. Supremam partem vocant עוֹלָם הָעֶלְיוֹן *mundum ſuperiorem:* mediam partem vocant עוֹלָם הַתִּיכוֹן *mundum medium:* infimam vocant עוֹלָם הַתַּחְתּוֹן *mundum inferiorem.* Ita jam habemus tres עוֹלָמִים *mundos.* Et ad tres iſtas partes deſignandas ſacri Scriptores N. T. uſi eſſe videntur nomine pl. num. αἰῶνες. Cujus rei exemplum eſt Hebr. XI. 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τὺς αἰῶνας ῥήματι Θεῦ. Cæterum quemadmodum Hebræi partes mundi עולמים, & Scriptores N. T. αἰῶνας appellarunt:. ita & S. Clemens in epiſt. ad Corinthios, quam Patritius Junius edidit, magnas mundi partes κόσμυς appellavit. Οἱ μετ' ὠκεανὸν κόσμοι, inquit, ταῖς αὐταῖς ἐπιταγαῖς τοῦ δεσπότου διευθύνονται. Ut igitur multa alia; ſic etiam vox παράδεισος uſurpata eſt à novi Fœderis Scriptoribus: quòd ſcilicet ad Hebræarum vocum vim ac uſum reſpicerent, qui ipſorum ætate obtinebat. Quòd vox פַּרְדֵּס quæ *hortum* ſignificabat, vulgò per metaphoram, & deinde per ſynecdochen uſurparetur ad locum beatorum deſignandum, iſti quoque novi Fœderis Scriptores ad eundem illum locum deſignandum tali voce ſunt uſi, quæ ipſorum ætate Græcâ civitate donata jam erat, & *hortum* vulgò ſignificabat. Cumque conſtet, veteres Hebræos locum beatorum appellaſſe פרדס, conjicere ſanè etiam licet, ipſum Salvatorem in iſtis verbis, quibus latronem in cruce pendentem affatus eſt, ipſam vocem פרדס vel פרדסא expreſſiſſe. Cæterum obſervare etiam licet, Inter-

terpretem Arabem eâdem voce ad eundem locum deſignandum uſum eſſe in cap. XI. ep. ad Hebr. v. 5. Habet a. ſic: *Per fidem Hanochus* رفع الي الفردوس *elevatus eſt in hortum, paradiſum.*

XI. Quæ verò iſtius appellationis, quam ipſi Hebræi uſurparunt, occaſio fuit? Hæc nimirum, quòd locum divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum Spiritibus deſtinatum, ut Tertullianus loquitur, ſoliti fuerunt comparare cum horto iſto qui in Edene fuit, & in quem primi homines immiſſi fuerunt. Frequens ſanè eſt, in ipſis quoque ſacris literis, conditionem beatorum, quâ poſt hanc vitam ipſi utuntur, deſcribi per amœnitatem hujus vitæ. Cum igitur de horto quodam amœniſſimo, qui in omnium rerum primordio fuiſſet, Hebræis ex ſacris literis conſtaret, libuit illis locum beatorum פרדס *hortum* appellare. Itemque τὸ *æternâ beatitudine frui* expreſſerunt per *comeſtionem ex arbore vitæ.* Quâ phraſi uſus quoque eſt S. Johannes in Apocalypſi. Nim. in cap. II. v. 7. ſic ſcribit: Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in medio horti Dei.* Vulgata verſio habet: *quod eſt in paradiſo Dei mei.* Quæ quidem verſio expreſſa eſt juxta hanc quorundam codicum Græcorum lectionem, ἐν παραδείσῳ τοῦ Θεοῦ μου. Sed altera lectio ſine dubio rectiùs ſe habet. Nam & in Geneſi, cap. II. v. 9. legitur, *arborem vitæ fuiſſe* בתוך הגן *in medio horti.* Cæterùm *arboris vitæ* alibi quoque in Apocalypſi fit mentio; iti-

itidem ad deſignandam conditionem beatorum. In cap. XXII. v. 14. dicitur, ἐξουσίαν τῶν ποιούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ ἔσονται ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, *poteſtatem eorum qui mandata Dei faciunt, fore in arborem vitæ*, hoc eſt fore, ut ipſis liceat ex arbore vitæ comedere. In v. 2. quoque ejuſdem cap. memorat S. Johannes, demonſtratam ſibi fuiſſe arborem vitæ, quæ duodecim fructus habuerit, *& ſingulis menſibus fructus reddiderit: folia quoque iſtius arboris medicinam eſſe gentium.* Cæterum ſolent quoque Hebræi locum beatorum cum addito appellare פרדס נשמות *hortum animarum*: uti etiam notatum eſt Viro Cl. Guil. Vorſtio, in notis ad Hal. Maimonidæ de Fund. legis. Idque ad differentiam alterius פרדס *horti*, quem itidem cum addito vocant פרדס חכמה *hortum ſapientiæ*. Per hunc autem intelligunt ipſam ſapientiam & cognitionem rerum. Maimonides in cap. IV. Hilch. Jeſudoth ſive de Fundamentis legis, de poſteriore iſto ita: ועניני ארבעה פרקים אלו שבחמשמצות אלוהם שחכמים הראשונים קוראין אותן פרדס *Materiam quatuor iſtorum capitum, quæ iſtis quinque continetur præceptis, vocarunt priſci ſapientes Paradiſum.* Vide & Notas Guil. Vorſtii ad hunc locum.

XII. Porrò non tantùm פרדס appellant locum beatorum, ſed & גן עדן *hortum Edenis*: illo ipſo ſcilicet nomine quo Moyſes deſignavit hortum iſtum quem in rerum primordio Deus creavit. Hinc etiam iſtæ pro defunctis orationes: תהי נפשו בגן עדן *ſit anima ejus*

in horto Eden. נשמתו תהא צרורה בגן עדן *anima ejus ſit collecta in horto Eden.* Diſtinguunt etiam Rabbini hortum Eden hujus ſeculi, & hortum Eden futuri ſeculi. In antiquo Comment. in Gen. בראשית רבה dicto, proditum eſt de duobus Rabbinis de pœnâ Adami inter ſe diſſentientibus: וישלחהו יי׳ מגן ר׳ יהודה ור׳ נחמיה ר׳ יהודה אמר שלחו מגן עדן בעולם הזה ושלחו מגן עדן בעולם הבא ר׳ נחמיה אמר שלחו מגן עדן בעולם הזה ולא בעולם הבא. Senſus eſt, R. Jehudam dixiſſe, Deum expuliſſe Adamum ex horto Eden & hujus & alterius ſeculi: R. Nehemiam autem dixiſſe, expuliſſe duntaxat ex horto Eden hujus ſeculi. Quidam etiam Rabbini גן עדן diſtinguunt ab illo loco, in quo beati futuri ſunt poſt reſurrectionem. R. Joſeph Jachiades v. 13. cap. XII. Dan. ſic παραφράζει: ואתה דניאל לך לקץ חייך בעולם הזה. ואחר כך במותך תנוח במנוחות גן עדן. ולקץ הימים תעמוד ותחיה בתחיית המתים ותזכה גורלך הטוב בעולם הבא *Tu autem Daniel, perge ad vitæ tuæ terminum in hoc mundo. Poſtea verò cum mortuus fueris, quieſces quiete horti Edenis. At in fine dierum conſiſtes & vives in reſurrectione mortuorum, & aſſequeris ſortem tuam bonam in mundo futuro.* Vide & eundem Jachiadem ad cap. VIII. Dan. v. 14.

XIII. De Muhammede, qui in ſeptimo ſeculo

culo poſt Chriſtum natum exortus fuit, notum eſt ipſum in ſacerrimum ſuum librum, quem Coranum vocavit, plurima ex ſcriptis Talmudicis tranſtuliſſe. Quod ipſum etiam peculiari quodam capite demonſtravit Vir Cl. Theod. Hackſpanius in tractatu ſuo de vario ſcriptorum Judaicorum uſu. Sic igitur & hoc ex Talmude & ſcriptis Rabbinicis hauſit Muhammed, quòd locum beatorum & ipſe *hortum* vocat. In Suratâ LXXIX. quaſi magna eum ſanctitas inceſſiſſet, ſcribit in hanc ſententiam: *Quisquis exorbitarit & prætulerit vitam ſeculi hujus, certè ejus domus erit infernus. Timens autem ſtationem Domini ſui, animamque ſuam reprimens à concupiſcentiâ,* فان الجنة هي المأوى *utique hortus erit poſſeſſio ejus.* In Suratâ XLIII. exponit, quanta carnalis voluptas futura ſit in horto. *O ſervi mei*, inquit, *non erit tunc ſuper vos timor, neque triſtes futuri eſtis. Qui crediderunt ſignis noſtris, & fideles fuerunt,* ادخلوا الجنة *ingredimini hortum vos & uxores veſtræ: circumferetur inter eos patina ex auro, & phialæ in quibus erit quidquid animæ concupiverint, dulces erunt fontes, voſque perpetuò ibi vivetis.* In his locum beatorum جنة *hortum*, ſine addito. Alibi verò vocare etiam ſolet جنات عدن *hortum voluptatis*, ut in Sur. XXXVIII. & XL. Item

جنات النعيم *hortum amœniſſimum*, ut in Sur. XXXIX. Multa quoque alia de ſuo quem ſtatuit paradiſo, prodidit planus iſte. Ut in modò dictâ Suratâ XXXVIII. *In horto voluptatis aperientur ipſis portæ: diſcumbent in eo, potientur in eo fructibus multis & ſorbitione.* Item in Suratâ XLIV: *Veſtientur holoſerico & ſplendidiſſimo. E regione poſitæ conjuges eorum cum excellentiâ oculorum.* Item in Suratâ XXXVII: *Talibus erit victus nobiliſſimus, poma. Et ipſi honorabiles erunt in horto amœniſſimo, ſuper grabatos ex adverſo poſiti. Circumibit inter eos in poculo de fonte clarum ſuavitate ſorbentibus, in quo non defectus, nec ipſi inde dammum accipient.* Congeſſit hæc, & in iſtum modum vertit Cl. Schickardus in brevi quadam de Paradiſo Saraceno Judaicâ diſſertatione. His ſubjungo nunc narratiunculam quandam, quam Geſnerus de ave paradiſi, quam vocant, in hiſtoriâ animalium habet: *Reges Marmin* (in Inſulis Moluccis) *paucis antè annis immortales eſſe animas credere cœpere, haud alio argumento ducti, quàm quòd aviculam quandam pulcherrimam nunquam terræ aut cuiquam alii rei, quæ in terrâ eſſet, inſidere animadverterent, ſed aliquando ex ſummo æthere exanimem in humum decidere. Et cum Mahumethani, qui ad eos commercii causâ commearent, hanc aviculam in paradiſo* (loco iſto, quem Muhammed جنة *hortum* κατ' ἐξοχὴν appellavit) *ortam, paradiſum verò locum animarum quæ vitâ functæ eſſent, atteſtarentur, induerunt hi reguli*

Mahu-

Mahumethi ſectam, quòd hæc de hoc animarum loco mira polliceretur. Aviculam verò, manucodiata, *id eſt, aviculam* Dei *appellant: quam adeò ſanctè religioſeque habent, ut ſe eâ reges tutos in bello exiſtiment, etiamſi ſuo more in primâ acie collocati fuerint: plebeji autem caphræ, id eſt gentiles ſunt.*

XIV. Apparuit hortum iſtum, quem initio rerum Deus creavit, & protoplaſtis habitaculum eſſe voluit, occaſionem dediſſe, ut locus beatorum פרדס *hortus*, & גן עדן *hortus Eden* ſit appellatus. Ergo de ipſo illo primævo horto quoque qui appellationis occaſionem dedit, paucis nunc diſpiciamus; præſertim cum & hunc paradiſi nomine vulgo inſigniri animadvertamus. Sulp. Severus lib. I. hiſt. ſacræ ſcribit, *Adamum & Evam conſtitutos fuiſſe in paradiſo*. Quibus verbis voce *paradiſus* hortus qui in Edene fuit, utique deſignatur. Sic & Auguſtinus lib. VIII. in Gen. cap. 7. paradiſum vocat in his verbis: *Quoniam locus paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus, inde quatuor aquarum partes dividi credendum eſt, ut fideliſſima Scriptura teſtatur. Sed ea flumina quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum locis aliis erupiſſe, ubi tanquam in ſuis fontibus noti eſſe perhibentur: nam hoc ſolere nonnullas aquas facere, quis ignorat?* Cæterum Paradiſi ſitum, ut apparet, S. Auguſtinus exiſtimavit à cognitione hominum eſſe remotiſſimum. Prædictus Sulpitius verò cum aliis veterum credidit, paradiſum fuiſſe extra hunc orbem. Scribit enim

ampliùs ſic: *Sed conſtituti in paradiſo, cum interdictam ſibi arborem deguſtaſſent, in noſtram velut exules terram ejecti ſunt.* Verùm enimvero conſtare primò ſatis certò poteſt, hortum iſtum, in quo protoplaſti primitus egerunt, in hac noſtrâ terrâ, in hoc noſtro orbe fuiſſe. Sic enim ſitum illius deſcripſit S. Moyſes, ut facilè appareat, ipſum certum quendam locum in hoc orbe, & hominibus, præſertim illis qui ipſius ætate vixerunt, ſatis notum, voluiſſe demonſtare. Primò prodidit, hortum fuiſſe בְּעֵדֶן. Quod quidem minùs rectè vertit Latinus Interpres, cum ita vertit, *paradiſus voluptatis*. Vox עֵדֶן ſignificare quidem poteſt *voluptatem, oblectationem:* atque ita appellativum quoque nomen eſt, ut Grammatici vocant. Hic tamen ea ſignificatio obtinere non poteſt: & ſine dubio vox iſta eſt nomen proprium cujusdam regionis. Non dicitur גן עדן: ſed verò גַּן בְּעֵדֶן. Hortus iſte dicitur fuiſſe in iſtâ re, quæ voce עדן ſignificatur. Eam igitur rem oportet fuiſſe regionem quandam. Et ipſa regio *Eden* tum fuit dicta. Cum dixiſſet, hortum fuiſſe *in Edene*, mox deinde addit, fuiſſe מִקֶּדֶם *ad Orientem*. Scribit item, ex regione Edene profluxiſſe fluvium ad hortum irrigandum, & inde diviſum fuiſſe eundem fluvium in quatuor רָאשִׁים *capita*. Ampliùs id quoque addit, quænam ſingulorum *capitum* nomina fuerint.

XV. Non tantùm ex his apparet, S. Moyſem certum quendam locum in hoc mundo, qui notus

notus eſſe poſſet, voluiſſe demonſtrare: ſed & liquidò ex his intelligere potuerunt veteres Hebræi, ubinam hortus iſte jacuiſſet. Nobis quoque, qui loca iſta raro adimus, & ſi quando adimus, non tamen omnia nomina, quæ Moyſes recenſuit, nunc perinde ut olim frequentari animadvertimus; nobis quoque, inquam, de ſitu prædicti horti, ſic ut de aliorum locorum ſitu, ex veteribus monumentis conjicere haud adeò difficile eſt. Vox עדן ſine dubio regionem deſignat; uti dixi. Nec curandum quòd Bellarminus in lib. de grat. pr. hom. c. 13. ἀπορεῖ. Perſuaſit ipſi autoritas vulgati Interpretis & aliorum quorundam, ut vocem עדן in Cap. II. Gen. crederet non nomen loci eſſe, ſed eſſe nomen appellativum, & *voluptatem* ſignificare. Non poteſt ita, Bellarmine. Si parum id eſt, quod jam dixi, in Hebræo non eſſe עדן, ſed בעדן, ſive æquum ſit credere, ipſos fontes eſſe corruptos: ſaltem illud perſuadeat, quòd paucis interjectis, verſ. X. cap. II. Gen. ſequitur, מעדן *ex Edene* manaſſe fluvium. Ex quo fluvius manavit, id, credo, locus fuit. Iſte verò *Eden* vocatur. Quamobrem ſine dubio vox *Eden* locum deſignat. Quem verò locum in cap. II. Gen. deſignat, eum ſine dubio deſignat etiam in cap. IV. Gen. v. 15. ubi Cain dicitur *habitaſſe in terrâ Nod* קדמת עדן *ad plagam iſtam quæ reſpectu regionis Eden orientalis ſit.* Quis verò locus iſte? & ubinam jacuit regio *Eden*, quæ hortum habuit? Licet id quoque ex ſacris literis ſcire. In cap. XXVII. Ezech. recenſentur variarum regionum incolæ,

qui cum Tyriis negotiati fuerint: & qui vicini fuerunt, illi ibi conjunguntur. Inter alios verò nonnulli etiam memorantur his nominibus, חָרָן וְכַנֵּה וָעֶדֶן. Facilè apparet, nomina locorum poſita eſſe pro incolis: quod & ſæpius in iſto capite, uti & alibi, fieri ſolet. Cæterum de חרן *Charan* ſatis conſtat, fuiſſe urbem Meſopotamiæ, quæ à Latinis ſcriptoribus *Charrhæ* appellatur. Quare & *Eden* illinc non procul diſtare oportet. De כַּנֵּה obiter moneo, videri illam urbem eſſe quæ Gen. X. recenſetur inter eas quas Nimrodus condidit, quæque ibi כַּלְנֵה appellatur. Conjungitur & alibi nomen *Eden* cum nomine *Charan*. In II. Reg. XIX. recenſetur oratio, quâ Sennacheribus uſus eſt ad S. Hiskiam. Eâ verò oratione dictum eſt, Sannacheribi majores debellaſſe inter alios *Goſan, Haran, Rezeph, &* בְּנֵי עֶדֶן *filios Eden, qui fuerint in Thelaſſar.* Vocibus *Goſan, Haran, Rezeph*, deſignantur itidem locorum quæ iſtæc nomina habuerunt, incolæ. Eodem modo vox עדן quoque ſine addito poni potuiſſet, ut nihilominus incolas loci ſignificaret; quemadmodum ſc. in prædicto Ezech. loco eſt factum. Sed addita eſt vox בני, quâ ipſi incolæ loci cui Edenis nomen fuit, deſignantur. Porrò quomodo in hoc proximo loco dicitur: ita & in Eſ. XXXVII. ubi & eadem hiſtoria eſt, legitur. Satis ergo apparet, *Eden* eſſe circa Meſopotamiam. Ampliùs vero idem ille locus ſine dubio etiam deſignatus eſt in cap. LI. Eſ. v. 3. *Fecit deſertum ejus, ut Edenem, & eremum ejus ut hortum Dei, hoc eſt amœniſſimum.* Quidam

dam putant fuiſſe & in Syriâ Cœle urbem nomine עדן *Eden* : eamque indigitatam eſſe in cap. I. Amos. v. 5. Sed videtur iſti urbi nomen fuiſſe non עדן, ſed בֵּית עֶדֶן. Dicit ibi Deus, *ſe exciſurum tenentem ſceptrum* מבית עדן *de Betheden.* Sic & paulo poſt dicit, *ſe exciſurum ſceptrum* מאשקלון *ex Aſcalone.*

XVI. Ampliùs S. Moyſes prodidit, hortum iſtum, in quo initio egerunt protoplaſti, fuiſſe מִקֶּדֶם. Quod vertendum eſt, *verſus orientem.* Latinus vertit, *à Principio.* Et ita quidem verti poteſt in aliis quibusdam locis. Hîc verò altera iſta verſio commodior eſt. Quoniam ſcil. S. Moyſes ſitum horti demonſtrare jam cœpit voce בְּעֵדֶן, veriſimile eſt voce מקדם quoque ſitum loci eum demonſtrare voluiſſe. Sed dubitet quis, an vox iſta cum iſto præfixo, ad demonſtrandum ſitum loci ſatis ſit apta. De voce קדם quidem facilè liquere poteſt, quòd orientalem mundi plagam ſignificet. Præfixum מ autem iſto ſignificatu paulò rarius eſt. Sed obſervare tamen & alibi licet conſimilem iſtius præfixi vim. Manifeſtum exemplum eſt Gen. XIII. 11. ubi Loth dicitur profectus fuiſſe מִקֶּדֶם *verſus Orientem.* Verſabantur Lotus & Abrahamus in Palæſtinâ, & unis iisdemque uſi fuerant paſcuis. Tunc verò, monente certis de cauſis ipſo Abrahamo, diſceſſerunt à ſe invicem, ut paſcuis poſt illa uterentur ſeparatis. Et Lotus quidem elegiſſe ſibi dicitur planitiem

Digitized by Google

Jordani, atque ita profectus fuiſſe מקדם *ad orientem*. Cum igitur τὸ מקדם idem quod *verſus orientem*, ſignificare poſſit, quis dubitet ampliùs in cap. II. Gen. quoque idem illud ſignificare? Id verò cum prioribus illis apprimè congruit. Dixerat Moyſes, hortum fuiſſe *in Edene*. Nunc addit, fuiſſe *verſus orientem*. Conſtat verò *Edenem* regionem reſpectu Ægypti & deſerti Arabiæ, in quorum alterutro S. Moyſes ſine dubio Geneſin ſcripſit, omnino verſus Orientem jacere. Certè Meſopotamia & Babylonia reſpectu Ægypti & deſerti Arabiæ verſus Orientem vergunt. Quare & *Eden* regio, quam circa Meſopotamiam ac Babyloniam jacuiſſe paulo antè oſtendimus, reſpectu eorundem locorum verſus Orientem jacuit.

XVII. Plura adhuc ſuppeditat S. Moyſes, ex quibus, ubinam hortus fuerit, dignoſcere licet. Prodidit ſcilicet & de fluviis qui *Edenem* regionem, ubi ipſe hortus fuit, permearint. Verba ipſius Moyſis ſic habent: *Et fluvius exibat ex Edene ad irrigandum hortum*, וּמִשָּׁם יִפָּרֵד וְהָיָה לְאַרְבָּעָה רָאשִׁים *& inde dividitur fluvius, fiuntque ex eo quatuor capita.* Hîc obſerves velim, primò unum fluvium dici exiiſſe ex Edene, & quidem ad irrigandum hortum: deinde unum iſtum fluvium dici in quatuor capita dividi. Ergo apparet, in ipſâ regione Eden (an & per totam illam, non liquet) fuiſſe unum quendam fluvium, unumque alveum. Deinde, unum iſtum fluvium in ipſâ illâ regione dividi in quatuor capita. Sed quid illud, fluvium

vium יָצָא *exire, egredi ex Edene?* An illud, *in Edene fluvii iſtius fontem eſſe?* Ita ſanè Bellarminus voluit. Vide lib. ejus de grat. pr. hom. cap. XII. Negat is, paradiſum fuiſſe in Meſopotamiâ, & adverſus idem illud ita diſſerit: *In ipſo Paradiſo oriebatur fluvius, qui inde dividebatur in quatuor capita, quorum nomina ſunt Euphrates, Tigris, Phiſon, & Geon. At in Meſopotamiâ nullus iſtiuſmodi fluvius oritur. Fluunt quidem per Meſopotamiam Euphrates & Tigris: cæterum non ibi oriuntur, ſed in Armeniâ ſuos fontes habent. Quare ſecundum hanc rationem Armeniæ potiùs, quàm Meſopotamiæ paradiſi nomen congrueret. Porrò Phiſon & Geon, neque in Meſopotamiâ fontes habent, neque in eâ ullo modo reperiuntur.* Contra hæc Bellarmini, primò obſervetur, quòd S. Moyſes non ſcripſerit, fluvium exiſſe ex paradiſo ſive horto: ſed verò exiſſe מֵעֵדֶן *ex Edene regione, & quidem ad irrigandum hortum.* Ex quo & ampliùs intelligi licet, non in ipſo horto iſtam fluvii in quatuor capita diviſionem factam fuiſſe: ſed factam eam fuiſſe in regione *Eden*, quam ſanè paulò ampliorem fuiſſe oportet, quàm ipſe hortus fuit.

XVIII. Quàm verò inſulſum illud, quòd Bellarminus credidit, fontem fluvii iſtiùs qui in quatuor capita diviſus fuit, in paradiſo fuiſſe. Capitum iſtorum ſine dubio unum fuit Euphrates: alterum Tigris: tertium Piſon vocatur: quartum denique Gihon. Ergo jam quatuor capita ex uno eodemque fluvio orta unum eundemque fontem habuerunt. Et Euphrates quidem Tigriſque ex uno eodemque fonte profluxerunt.

Digitized by Google

runt. Hæc planè εὐήθη ſunt atque inepta. Memoravit S. Moyſes fluvios iſtis nominibus, quæ ipſius ætate, & ulteriùs quoque illi habuerunt, גִּיחוֹן פִּישׁוֹן חִדֶּקֶל פְּרָת. De horum verò duobus ne ipſe quidem Bellarminus dubitaverat, eſſe Euphratem & Tigrim. Nec ſanè de his difficile eſt conjicere: ſi quidem in ſacris literis duorum iſtorum ſæpenumero fit mentio. An ergo cuiquam veriſimile fieri poteſt, Euphratem & Tigrim communem aliquando habuiſſe fontem? Quis tandem communis iſte fons erit? An ille, ex quo aliquot jam annorum millibus profluxit Euphrates? An verò is ex quo multis itidem annorum millibus ſcaturivit Tigris? Horum alterutrum ſi dixerit Bellarminus, oportebit ſanè regionem Eden juxta unum iſtorum fontium jacuiſſe. Sed nec ad Euphratis fontem, nec rurſus ad fontem Tigris regionem Eden jacuiſſe Bellarminus exiſtimabit, ut ex his quæ in prædicto libro ſcriptitavit, facilè intelligi poteſt. Quid igitur? An neuter iſtorum fontium, quos hodieque habent Tigris atque Euphrates, initio omnium rerum, & cum hortus exſiſteret, duorum iſtorum fluviorum communis fuit? An uterque illorum fontium ex uno quidem, ſed ab hodiernis illis planè diverſo fonte promanavit? Quis igitur credet, fluvios ſic manere potuiſſe eosdem illos, qui initio omnium rerum fuerunt? Moyſes, ut dixi, fluvios vocat talibus nominibus quæ ipſius ætate hominibus ſatis cognita fuerunt, *Phrat* ſcil. & *Chiddekel*. Et ſine dubiò intellexit duos iſtos, qui אֲרַם נַהֲרַיִם ſive τὴν Μεσοποταμίαν incingunt.

Si

Si autem tales duos intellexiſſet, quorum utriuſque fontes diverſi fuiſſent ab iſtis fontibus quos ipſius Moyſis ætate, Euphrates & Tigris habuerunt, non potuiſſet illos פְּרָת & חִדֶּקֶל appellare. Neque enim veroſimile fieri poteſt, duos fluvios qui vel unum vel plures fontes habeant diverſos ab iſtis fontibus, ex quibus Euphrates & Tigris promanant, nominibus Euphratis & Tigris tamen poſſe appellari. Habuiſſent ſanè fluvii iſti alveos diverſos ab his per quos Euphrates & Tigris in ſinum Perſicum devolvuntur, & propterea aliis quoque nominibus appellandi fuiſſent.

XIX. Quòd igitur S. Moyſes prodidit, fluvium exiſſe ex regione Eden, indidemque diviſum fuiſſe in quatuor רָאשִׁים *capita*, id multò aliter intelligendum eſt, quàm Bellarmino viſum fuit. Nimirum propterea fluvius dicitur exiſſe ex regione *Eden*, indidemque in quatuor capita diviſus fuiſſe, quòd primò Euphrates & Tigris, cum ambo à Septentrione devoluti regionem Eden attigiſſent, ibidem in unum eundemque alveum concurrerent, atque ita unum quoque conficerent flumen: quod item alii duo fluvii, Piſon quidem & Gichon dicti, in eundem iſtum alveum concurrerent. Regionem Eden igitur apparet ibi fuiſſe, ubi Euphratis Tigriſque confluens eſt. Quid verò de alteris duobus fluviis, Piſone & Gichone dicemus? Plurimi Veterum putarunt, Piſonem eſſe Gangem Indiæ: Gichonem verò eſſe Nilum Ægypti fluvium. Ita Joſephus, Epiphanius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique. Sed

hæc

Digitized by Google

hæc Veterum de duobus fluminibus opinio nullâ ratione fieri poſſit veroſimilis. Quid Nilo & Gangi cum Euphrate & Tigri? Ergone putandum, Nili & Gangis aquas commixtas initio fuiſſe cum aquis Euphratis & Tigris? Si talis rerum metamorphoſis facta fuiſſet, non video, quomodo ſacer Scriptor iſtis nominibus appellare potuiſſet fluvios, quæ ipſius ætate obtinuerunt.

XX. Alii Viri docti ſuſpicati ſunt per Piſonem & Gichonem deſignari duo brachia in quæ rurſus ſciſſus fuerit Euphrates, antequam in ſinum Perſicum devolveretur. Atque horum ſententiam inter alias recenſet quoque Bellarminus: ſed eam non approbat. *Reſpondent aliqui* inquit, *in Meſopotamiâ Euphratem & Tigrim conjungi, & paulò pòſt iterum ſeparari, atque ita effici quatuor capita ac veluti flumina.* Eam ſententiam tenuit etiam Magnus Scaliger. In lib. V. de Emend. temp. p. 369. de quatuor unius fluminis capitibus ita ſcribit: *Sciunt omnes Tigrim & Euphratem commiſceri, & ingenti alveo in mare Perſicum exonerari; ſed antequam excipiantur ſinu Perſico, iterum in duo ingentia flumina ſcindi inſtar Padi & Rhodani. Fluentum igitur Orientale Moſes vocat* פישון, *hoc eſt* πλημμύρων, *propter paludes ingentes, quas efficit, cujuſmodi eſt Paduſa, quam Padus fluvius facit. Alterum quod Occidentem ſpectat, vocat* גיחון, *hoc eſt, emiſſarium. Eſt enim porrectius altero, & propterea dictum eſt emiſſarium.* Nobis quoque nihil aliud nunc ſuccurrit, quàm Piſonem & Gi-

& Gichonem eſſe duo brachia, in quæ unum fluentum, quod ex Euphrate Tigrique ortum ſit, ſeſe dividat, atque ita in ſinum Perſicum devolvatur. Statuendum jam igitur, regionem *Eden* fuiſſe circa Euphratis & Tigris confluentem. Et quia amœniſſimus iſte hortus, quem Deus protoplaſtis initio habitaculum eſſe voluit, dicitur fuiſſe in regione Eden, oportet ipſum quoque hortum circa eadem loca fuiſſe. Ipſam appellationem Eden procul dubio accepit regio iſta, quòd præcipuè illa amœna eſſet. Vox עדן utique *voluptatem*, *delectationem* ſignificat. Et manifeſtè ad iſtam loci amœnitatem in cap. LI. Eſ. v. 3. alluditur. Nec exſtincta planè fuit amœnitas iſta, poſtquam protoplaſti lapſi fuerunt. Conſtat quoque de eadem amœnitate, ex Curtio, Plinio, aliiſque Scriptoribus, qui multis ſeculis poſt Moyſem, & multo pluribus poſt exordium mundi vixerunt.

JOH.

Digitized by Google

XVII.

JOH. VORSTII

DE

SYNEDRIIS HEBRÆORUM

brevis diſſertatio

Academica.

CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

VIRIS,

D. THOMÆ BARTHOLINO,

CASP. FILIO, MED. DOCTORI,

POLYHISTORI, IN REGIA

ACAD. HAFNIENSI MED.

PROFESSORI,

ET

D. THOMÆ BANGIO,

PH. M. POLYHISTORI,

IN EADEM ACAD.

HEBRÆÆ LING.

PROFESSORI,

FAUTORIBUS ET AMICIS SUIS

DISSERTATIONEM ISTAM SUÆ

IPSORUM OBSERVANTIÆ

TESTANDÆ NUNCUPAT

JOH. VORSTIUS PH. M.

JOH. VORSTII
DE
SYNEDRIIS
HEBRÆORUM
brevis diſſertatio
Academica.

IN ſacris literis, itemque in Talmudicis ac Rabbinicis ſcriptis frequens mentio fit Synedriorum ſive collegiorum judicialium, quæ in Hebræis olim fuerint. Quæ quomodo ſe habuerint, quibuſque temporibus exſtiterint, lubet in præſentiâ atque animus eſt diſpicere. Συνέδριον Græci vocant quemvis conſeſſum, præcipuè verò collegium & conſeſſum judicum. Græcâ voce uſi fuerunt & Hebræi in appellandis iſtis judicum collegiis, quæ inter ipſos fuerunt. Nimirum cum orientales plagas occupaſſent Macedones, in iiſque potirentur rerum: factum fuit, ut quamplurima Græca vocabula civitate donarentur Hebræâ, aliâve, atque à vulgo, ut ſuæ linguæ propria, uſurparentur; ut item ipſâ Græcâ linguâ in iisdem locis uterentur cultiores quique. Vocabulorum quæ dixi affatim eſt in Talmudicis ac Rabbinicis ſcriptis. Congeſſit ea paucos àbhinc an-

nos in parvum volumen quidam David Cohen de Lara. In ipſis quoque ſacris literis exempla talium non deſunt, ut notum eſt. Sed Græcam vocem *Συνέδριον* paulùm immutarunt, quòd ad puncta vocalia attinet, idque itidem pro ſolenni ſuo. Effinxerunt quidem vocem סַנְהֶדְרִין, eaque appellarunt iſtos, quos dixi, conſeſſus judicum. Laborarunt ſanè Rabbini in ipſâ Hebræâ Linguâ vocabuli סנהדרין quærere etymon & originem. Quidam dixerunt, compoſitum illud eſſe ex סן & הדרין. סן enim idem eſſe quod תורה & legem ſignificare, quæ in monte Sinai data eſt Moyſi: הָדְרִין verò ſignificare repetentes, verſantes, & collegium judicum igitur dictum fuiſſe סנהדרין, quòd conſtiterit מהדרין *ex repetentibus & verſantibus divinam legem.* Alii cogitarunt conſeſſum judicum dictum fuiſſe סנהדרין, quòd in eo eſſent vel eſſe deberent סונאים הדרת פנים בדין *odio habentes acceptationem vultûs ſive reſpectum perſonarum in judicio.* Sed non ex verò poſitas eſſe iſtas origines, non facilè quiſpiam dubitaverit. Agnovit & ipſe Elias, vocem ex Græcâ, eſſe oriundam. In Euangeliſtarum ſcriptis, & in Joſepho, ubi ſatis apparet de dicto conſeſſu judicum agi, Græca vox nativâ ſuâ formâ viſitur. Sed ibi luſtrabimus poſtea. Quandoque ſcribitur & סנדרין contractè, itemque סנהדרי per apocopen.

II. Pro-

II. Proditum igitur à Talmudicis eſt, primo quidem de collegio LXXI. judicum, quod in urbe Hieroſolymis fuerit: deinde de collegio XXIII. judicum, quod in ſingulis fuerit civitatibus: de collegio denique Virorum *trium*. Producam primò de duobus prioribus ex Codice Sanhedrin nonnulla. De numero judicum, qui in utroque collegio fuerunt, itemque de iſtius numeri origine, ac ipſa collegii inſtitutione in primo capite dicti Codicis leguntur iſta: סנהדרין גדולה היתה של שבעים ואחד וקטנה של עשרים ושלשה ומנין לגדולה שהיא של שבעי ואחד שנ אספה לי שבעים איש מזקני ישראל ומשה על נביהן הרי שבעי וא ר יהודה אום שבעים ומני לקטנה שהיא של עשרים ושלשה שנאמר ושפטו העדה והצילו העדה וכ Hæc & alia quædam, quibus ratio redditur poſterioris numeri, ex doctiſſimi Coccejl verſione ita habent: *Synedrium magnum* LXX. *&* *unum judices habuit: minus, tres & viginti. Unde conſtat,* LXXI. *fuiſſe iſtius Synedrij judices? Ex eo, quod dicitur: Congrega mihi ſeptuaginta viros ex ſenioribus Iſraëlis* Num. XI. 16. *Iſtis Moſes junctus erat. En tibi* LXXI. *Attamen R. Jehuda ait,* LXX *fuiſſe. Unde autem, minus habuiſſe* XXIII. *Ex illo: Et judicabunt cœtus, &c. & eripient cœtus.* Numer. XXXV. 24. *Cœtus judicat: cœtus eripit. Habes vicenos. Quî verò probatur, cœtum eſſe* X *hominum? Ex*

illo, quouſque cætui huic malitioſo, &c. Num. XIV. 27. *Semove Joſuam & Calebum. At quæ ratio eſt adjungendi inſuper ternos. Ex illo, quod intelligendum datur in illo: Ne ſequaris plures ad mala*, Exod. XXIII. 2. *Subaudio, eſſe mihi hos ſequendos in bonum. Si ita eſt, quare amplius additur, poſt plures inclinando? Non ſimiliter ut in bonum, ita in malum inclinatio eſt facienda. In bonum vel ex unius ſententiâ pronunciare licet: in malum non niſi ſi duorum ſuffragia præponderent. Jam conſeſſus judicum non eſt, ut parili conſtet numero. Ergo his unus inſuper additur. Habes* XXIII. Apparet ex his, duo collegia judicum nominibus diſtingui, & alterum vocari *majus*, alterum verò *minus*. Deinde de numero eorum, qui in ea congreſſi fuerunt, proditum etiam eſt, & quibus ſacrarum literarum locis duo iſta collegia crediderint inſtituta fuiſſe. An verò omnia ex vero ſcripſerint Doctores, de eo poſt diſpiciemus. De eo quidem non dubitabimus, fuiſſe aliquando judicum collegia in Hebræorum civitatibus, quæ tot numero hominibus conſtiterint. Sed porrò alia quædam colligamus, quæ de iſtis collegiis ſunt prodita.

III. Ex Codice Middoth, hoc eſt, de menſuris templi ſcimus, inter conclavia quæ templo Hieroſolymitano addita fuerunt, fuiſſe etiam quoddam, quod appellatum fuerit לשכת הגזית *conclave cæſi lapidis*, in eoque conſeſſus egiſſe collegium LXXI judicum. Adſcribam ipſa Codicis verba, quæ quidem ſunt in capite ejus quinto: לשכת הגזית בה היתה שנהדרין

שנהדרין גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהונה : *In conclavi cæſi lapidis conſeſſus magnus Iſraëlis ſedebat, ac etiam judicabat Sacerdotes.* Idem legitur in codice Sanhedrin c. X. itemque in ejus Gemarâ. In Gemarâ quidem his verbis : בית דין של שבעים ואחד יושבין בלשכת הגזית *Curia LXXI judicum in conclavi cæſi lapidis ſedebat.* De ſitu iſtius conclavis Clariſſimus Vir, Conſtantinus l'Empereur ita habendum putat, fuiſſe illud in latere atrii Sacerdotum meridionali. Videſis ejus notas ad Codicem Middoth, & quidem ad cap. quintum, hujuſque ſectionem ſecundam.

IV. Quæ πρωτοκαθεδρίας ratio fuerit in Synedrio magno, itemque alia nonnulla, expoſuit Maimonides in Halachâ Sanhedrin, his verbis:

הגדול בחכמה שבכלן מושיבין אותו ראש
עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין
אותי החכמין נשיא בכל מקום והוא
העומד תחת משה רבינו ומושיבין הגדול
שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו
והוא אב בד ושאר השבעים יושבין לפני
שניהם כפי מעלתם כל הגדול מחברו
בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר
מחברו והם יושבין בכמו חצי גירן בעגול
כרי שיהיה הנשיא עם אב בית דין רואים
כולם :

: כולם *Qui cæteris omnibus ſapientiâ antecellit, eum conſtituunt caput ſuper ſe, & caput conſeſſus. Et hic ille eſt, quem ubique ſapientes vocant* NASI *: & is eſt loco Moyſis Magiſtri noſtri. Qui porrò inter LXX natu maximus eſt, eum collocant à dextris : & hic eſt, quem vocant* ABH BETH DIN. *Cæteri* τῶν *LXX ſedent coram iſtis duobus, ſecundum dignitatem ſuam. Quò quiſque ſapientior eſt collegâ ſuo, eò propiùs locatur ad ſiniſtram Principis. Et hi ſedent per dimidiam quaſi aream, ut eos omnes &* NASI, ET ABH BETH DIN *in conſpectu habeat.*

V. Quas cauſas peculiariter judicaret Synedrium magnum, id cognoſcere eſt ex Codicis Sanhedrin capite primo : אין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול אלא בבית דין של שבעי' ואחד ואין מוציאין למלחמת הרשות אלא על פי בית דין של עא אין מוסיפין על העיר ועל העזרות אלא על פי בית דין של עא אין עושין סנהדריו' לשבטים אלא על פי בית דין של עא אין עושין עיר הנדחת אלא בבית דין של עא *Tribus, Pſeudopropheta, Sacerdos magnus, non niſi à LXXI judicum conſeſſu judicantur. Bellum arbitrarium non niſi ex illorum autoritate ſuſcipitur. Urbs atriumve non niſi his jubentibus amplificatur. Synedria tribuum non niſi horum nutu inſtituuntur. In nullam urbem ſententia univerſalis apoſtaſiæ fertur, niſi ab hac judicum collegio, &c.*

In

In his proditum eſt, LXXI. Viros judicare ſolitos fuiſſe de tribu, quæ puta vel tota, vel maximam partem ad idololatriam defeciſſet. Deinde de Pſeudopropheta ab iisdem fuiſſe judicatum. Atque ad hoc reſpexiſſe creditur Salvator noſter, cum teſte S. Lucâ cap. XIII. v. 33. pronunciavit, ἐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ, *non contingere, ut Propheta pereat extra Hieroſolyma.* Ipſe quoque Salvator, quod Propheta mendax haberetur, iſti LXXI virorum conſeſſui ſæpe neceſſe habuit ſeſe ſiſtere. Dicitur porrò de aliis quibuſdam in verbis Codicis Talmudici, de judicando ſummo Sacerdote: de ſuſcipiendo bello αὐθαιρέτῳ, quod contradiſtinguunt למלחמת המצוה *bello præcepti*, quod gerere juſſi fuerunt Iſraelitæ cum Amalekitis & ſeptem gentibus Palæſtinæ: de urbe vel atrio amplificando: de Synedriis ſive judicum conſeſſibus in ſingulis tribubus inſtituendis: de urbe univerſalis apoſtaſiæ damnandâ.

VI. Porrò Synedrium magnum cognovit etiam de vitiis, quæ à ſacerdotio arcerent: quâ de re proditum eſt in Cod. Middoth cap. V. Verba ita habent: לשכת וגזית בה היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהנה וכהן שנמצא בי פסול לובש שחרין ומתעטף שחורין ויוצא והולך לו שלא בו פסול לובש לבנים ומתעטף לבנים נכנם ומשמש עם אחיו הכהנים: *In conclavi cæſi lapidis Synedrium magnum Iſraëlis ſedebat, & judicabat ſacerdotes. Sacerdos, in quo inveniretur vitium,*

 indu-

induebat ſibi atras, ac atris involvebat ſe, itaque egreſſus abibat. Cui verò non inerat vitium, induebat ſibi veſtes albas, ac ſe albis involvebat, & ingreſſus (in templum) miniſtrabat cum fratribus ſuis, ſacerdotibus. Atque feſtum celebrabant diem, cum non inveniretur vitium in ſemine Aaronis Sacerdotis, hæc locuti: Laudibus efferatur Deus ille laudandus, quia non invenitur vitium in ſemine ſacerdotali Aaronis, & laudetur is qui elegit Aaronem, ejuſque filios, ut aſtarent ad miniſterium coram Deo, in æde ſanctâ. Maimonides in hal. ביאת המקדש cap. 6. exiſtimat, עיקר מעשהם התדיר שהיו יושבין ודנין את הכהונה ובודקין הכהונה ביוחסין ובמומין: *Principale jugis ipſorum operis hoc eſſe, quod ſedent & judicant ſacerdotes, & diſpiciunt de natalibus & vitiis ſacerdotum.* Idem quoque Maymonides annotavit, ſucceſſionem ſummi Pontificis ex ejuſdem Synedrii magni autoritate & judicio pependiſſe. In Halachâ Kele hammikdaſch cap. IV. hæc habentur: אין מעמידין כהן גדול אלא בית דין של עא *Non conſtituunt ſacerdotem, niſi Synedrium LXXI virorum.* Quod verò mirere, ſcribit ille Maymonides, à Synedrio magno conſtitui ipſum Regem. Halachâ Sanhedr. cap. V: אין מעמידין מלך אלא על פי בית דין של עא *Non conſtituunt Regem niſi ex ſententiâ Synedrii Magni.* Præter hæc, quæ expoſui-

Digitized by Google

poſuimus, ſunt & alia, de quibus judicare ſolitum fuit Synedrium magnum, nimirum difficiliora quæque, de quibus cæteris Synedriis liquere non potuit. Atque illud ſatis intelligetur ex quibuſdam, quæ mox producentur.

VII. Ex iis autem, quæ jam produximus, apparuit quoque, præter collegium LXXI judicum, fuiſſe duplicia alia judicum collegia; unius generis conſtitiſſe XXIII viris; alterius verò tribus modò: horum priùs dictum fuiſſe סנהדרין קטנה *Synedrium parvum.* Hieroſolymis quidem præter Synedrium magnum, LXXI puta virorum, fuerunt etiam duo Synedria XXIII virorum, quorum itidem ſedes fuit in duobus conclavibus, quæ templo adjuncta fuerunt. Diſcere eſt ex Codicis Sanhedrin Miſnâ, atque item Gemarâ. In Miſnâ quidem cap. X. hæc ſunt: שלשה בתי דינין היו שם אחד שיושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה ואחד יושב בלשכת הגזית וכ׳ *Tria judicum collegia iſtic fuerunt, unum ſedens juxta aditum montis ſanctuarii: alterum ſedens ad oſtium atrii: tertium ſedens in conclavi ex cæſo lapide ſtructo. Primò adibatur iſtud, quod ad aſcenſum montis ſanctuarii ſedebat: tum ſic agebat Senior: ego hunc ſenſum ex ſacrâ paginâ deprompſi; ſocii mei iſtum: ego ſic docui; ſocii mei hoc modo. Si illi, quid in illâ cauſâ ſtatuendum eſſet, traditione accepiſſent, hoc illis communicabant. Sin minus, pariter ad judices juxta atrii oſtium ſedentes pergebant.*

gebant. *His, expoſitâ difficultate, ſi quid conſtaret, docebantur: ſin minùs, omnes conjunctim ad ſynedrium magnum recurrebant. Nam ab illo egreditur lex omni Iſraëli.* Ex his apparet, quæ ratio, quis ordo obſervatus fuerit in gravioribus cauſis dijudicandis: quòd nim. ſi duobus minoribus Synedriis non liqueret, recurſum fuerit ad magnum, hocque adeò, præterquam quòd de pſeudoprophetâ, ſummo ſacerdote, & quibusdam aliis peculiariter judicavit, quasvis etiam alias graviores cauſas verſaverit ac judicarit.

VIII. Sed non Hieroſolymis tantùm Synedria fuerunt XXIII judicum, verùm etiam in aliis civitatibus; quæ quidem non haberent CXX minùs cives. Codice Sanh. cap. 1. וכמה יהא בעיר ותהא ראויה לסנהדרין מאה ועשרי׳ *Quot incolas urbis eſſe oportet, ut Synedrio digna ſit?* CXX. Nunc porrò id obſervandum eſt, ſi Synedriis ſingularum civitatum non liqueret, ex illis relatum fuiſſe ad ea Synedria, quæ Hieroſolymis fuerunt. De eo in Gemara Cod. Sanhedrin reperimus brevi, ſed clarè & perſpicuè proditum. Verba Gemaræ ita habent: בית דין של עא יושבין בלשכת הגזית ושני בתי דינין של כג אחד יושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה ושאר בתי דינין של כג יושבין בכל עיירות ישר׳ הוצרך הדבר לשאול שואל מבות דין שבעירו אם שמעו אמרו להם ואם

ואם לאו באין לזה שסמיך לעירם אם
שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שעל
פתח הר הבית אם שמעו אמרו להם ואם
לאו באין לזה שעל פתח העזרה ואומר
כך דרשתי וכך דרשו חבירי כך למדתי
וכך למדו חבירי אם שמעו אמרו להם ואם
לאו אילו ואילו באין ללשכת הגזות : *Domus Judicii T̃ LXX ſedet in conclavi cæſi lapidis : & duæ domus judiciorum T̃ XXIII, una quidem ad portam montis templi; altera ad portam atrii : & reliquæ domus judiciorum T̃ XXIII ſedent in ſingulis urbibus Iſraël. Si de re quapiam opus eſt conſilium exquiri, conſulunt domum judicii quæ eſt in civitate ipſorum. Si audiverunt* (inſtituti ſunt à majoribus) *dicunt ipſis; ſin minùs, eunt ad civitatem quæ ipſorum civitati proxima eſt. Si audiverunt* (ſi Synedrium, quod in iſtâ civitate eſt, accepit à majoribus ſuis) *dicunt ipſis; ſin minùs, vadunt ad domum judicii, quæ* (Hieroſolymis) *eſt ad portam montis templi. Quòd ſi ea audivit, dicit ipſis; ſin minùs, vadunt ampliùs ad domum judicii, quæ eſt ad portam atrii. Et dicit, ſic ſcrutatus ſum,* (hunc ſenſum cepi ex ſacris codd.) *& ſic ſcrutati ſunt ſocii mei : Sic docui, & ſic docuerunt ſocii mei. Si audiverunt, dicunt ipſis; ſin minus, & hi & illi vadunt ad conclave cæſi lapidis.* Verba ferè gemina ſunt illis, quæ paulò antè ex Miſnâ produximus. In his autem id ampliùs proditum eſt, ex ſingulis civitatibus diffi-

difficiliora quæque relata fuiſſe ad ea Synedria, quæ in urbe Hieroſolymis fuerunt.

IX. Fuerunt item in Hebræis collegia trium modò Judicum. Quas verò cauſas tum trium Virorum collegia, tum Synedria XXIII Virorum cognoverint, ac judicarint, id ex Codice Sanhedrin liquido apparet. In cap. IV. iſtius Codicis hæc leguntur: מה בין דיני ממונות לדיני נפשות דיני ממונות בשלושה ודיני נפשות בכג *Quid intereſt inter judicia pecuniaria, & capitalia? quòd pecuniaria à tribus; capitalia à tribus & viginti exercentur.* Hæc ita in quarto junctim exponuntur. In primo autem ejuſdem Codicis eadem ſeparatim reperiuntur poſita, & plura etiam adduntur. Principio quidem capitis hæc leguntur: *Judicia pecuniaria à tribus* (adminiſtrantur:) *de rapinis & læſione à tribus: de damno, vel dimidio damni, de reſtitutione dupli & quadrupli & quintupli, à tribus: de vi, de ſeductione, de diffamatione, à tribus.* Paucis interjectis ſequuntur iſta: *Capitalia à tribus & viginti* (exercentur) *de homine & beſtiâ coitu maculatis à tribus* &c. De pecuniariorum & capitalium judiciorum diſcrimine gravis item ſententia legitur in capite IV: cujus quidem oportuiſſet memores eſſe, qui Salvatorem mundi capitis damnarunt. Ea ſic ſe habet: לא כדיני ממונות דיני נפשות דיני ממונות אדם נותן ממון ומתכפר לו דיני נפשות דמו ודם זרעיותיו תלויין בו עד סוף העולם

Aliter

Aliter ſe habent judicia, quæ de pecuniâ, quam quæ de capite habentur. Nam in illis, pecuniâ datâ, peccatum expiari poteſt. In his ſi quid deliqueris, ſanguis rei & ſeminum ejus ad finem uſque ſeculi tibi imputatur.

X. Credamus ſanè, fuiſſe tempora, quibus talia, qualia diximus, in Hebræis exſtiterint Judicum collegia. Finxiſſe plurima Rabbinos, & cautè ipſis fidem eſſe habendam, Viri docti ſæpe equidem monuerunt. De Collegiis judicum tamen, quæ hactenus deſcripſimus, non eſt quod dubitemus. Narrarunt Talmudis autores rem cum variis circumſtantiis: ut omnia de eâ ficta eſſe credibile non ſit. Prodiderunt, quot aſſeſſores fuerint collegiorum: quibus in conclavibus conſederint: quæ fuerit cauſarum agendorum ratio coram ipſis: quo tempore antiquam ſedem reliquerit Synedrium magnum. Vixerunt Talmudis autores paucis poſt excidium templi ſeculis. R. Jehuda in confinio ſecundi & tertii ſeculi poſt Chriſtum natum, Rabbinorum placita in unum congeſſit, ac certis libris diſtinxit. Inditum volumini fuit מִשְׁנָה hoc eſt, *legis iteratæ ſive ſecundæ* nomen: obtinuitque idem illud in Judæâ vim juris communis. Acceſſit non multò pòſt Gemara, hoc eſt, variæ diſquiſitiones & diſputationes ſuper Miſnâ. Atque ita ipſum Talmud, primò Hieroſolymitanum, mox & Babylonicum protruſum fuit. In iſto igitur Talmude proditum eſt, Synedrium magnum XL annis ante ſecundum excidium templi, reliquiſſe antiquam ſedem לשכת הגזית *conclave cæſi lapidis.* In *Roſch haſcha-*

baſchana de eo hæc leguntur: גלתה סנהדרין מנמרי מלשכת הגזית לחניות ומחניות לירושלם *migravit Synedrium prorſus ex conclavi cæſi lapidis in tabernas, & à tabernis in Hieroſolyma.* Tempus, quo prima migratio facta, exprimitur in cod. Abod. *Zara* cap. I. ארבעים שנה עד לא חרב הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחניות *Quadraginta annis ante excidium templi, migravit Synedrium* (ex conclavi cæſi lapidis) *& conſedit in tabernis.* Quòd tam ſolicitè annotarunt Rabbini, quo tempore Synedrium M. migraverit, ex eo vel maximè colligere licet, quæ de Synedriis in ipſorum monumentis legimus, non perinde conficta ab ipſis eſſe, ut alia quædam.

XI. Jam verò & illud præclarum eſt, quòd non ex Talmude modò, ſed & aliunde conſtare poteſt de Synedrio Magno. In Chaldaicis paraphraſibus, quas Targumim vocant, Synedrii magni ſæpe fit mentio. Exod. XV. 27. ubi de LXX palmis memoratur, quæ in Elim fuerint, Targum Hieroſolymitanum ita habet: ושבעין דקלין כל קבל שבעין סביא סנהדרין בישראל *Et LXX palmæ, propterea quòd LXX Seniores Sanhedrin in Iſraël.* Ineptè quidem LXX Seniorum ibi fit mentio: nobis tamen ſufficit, de iiſdem ex dicto loco poſſe conſtare. Sic Num. XXI. 18. ubi de puteo, quem foderint Principes, & paraverint Duces, idem Targum principes iſtos ita deſcribit, סוכלתני עלמא סנהדרין שובעתי חכימיא דמפרשין

דמפרשין *Prudentiores in mundo Judices Sanhedrin, LXX Sapientes, qui explicant*, &c. Ad Eccl. XII. 12. in Venetis דבני סנהדרין מרי הלכתין ופרשין דאתיהיבו על ידוי דמשה *Et doctores Sanhedrin collegii magni, periti jurium & doctrinarum, qui dati ſunt per manum Moſis.* Ruth. III. 11. verba Boozi, *ſcit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ*, vel ſec. Hebr. ſcit omnis porta populi mei, *mulierem te eſſe virtutis*, in Targum ejus libri ita exprimuntur, גלי קדם כל יתבי תרע סנהדרין רבא דעמי *Notum eſt omnibus aſſeſſoribus portæ Synedrii magni, populi mei.* Prima verba capitis IV ejuſdem libri ita exprimuntur in Targum: ובועז סליק לתרע בית דין דאתרע סנהדרין ויתיב תמן עם סביא *Boas adſcendit ad portam domus judicii in locum Synedrii, & conſedit illic cum Sapientibus.* Hæc & alia plura obſervavit Elias in Methurgeman. Cl. Buxtorfius obſervavit, mentionem Synedrii fieri etiam in Targum Jonathanis ad Num. XXV. 7. in his, קם מגו סנהדרי די ליה *ſurrexit è medio Synedrii ſui.* Deinde in Targum Pſalmorum, ad Pſ. CXL. 10. אחיתופל ריש סנהדרי תלמידי *Achitophel caput Synedrii, diſcipulus meus.*

XII. In ſacris N. T. codicibus τοῦ Συνεδρίου ſæpe fit mentio: per quod Synedrium magnum intelligi, Viri docti nihil dubitant. Locus eſt in S. Matth. Ev. c. XXVI. 59. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς, καὶ

οἱ πρεσβύτεροι, καὶ τὸ συνέδριον ὅλον ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ. Alius in S. Lucæ c. XXII. 66. Συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς, καὶ ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν. Alius item in Act. IV. 15. Κελεύσαντες αὐτοὺς ἔξω τοῦ συνεδρίου ἀπελθεῖν: & rurſus alius in Act. V. 21. συνεκάλεσαν τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Ex his omnibus facilè utique intelligitur, temporibus Chriſti & Apoſtolorum exſtitiſſe omninò συνέδριον quoddam ſive conſeſſum judicum. Cum igitur & ex Rabbinorum ſcriptis ſcire queamus, circa eadem tempora exſtitiſſe Sanhedrin, conſeſſum item judicum, quid eſt cur dubitare velimus, Sanhedrin illud, de quo Rabbini prodiderunt, idem fuiſſe cum συνεδρίῳ iſto, de quo ex ſacris ſcripturis conſtat? Quod verò ex ſacris ſcripturis intelligimus, in Synedrio Hieroſolymitano ſummum quoque Pontificem fuiſſe, & alios item ex ordine ſacerdotali, idem prodiderunt etiam Rabbini. R. Moſes Maimonides hal. Sanh. c. II. אין מושיבין מלך ישראל בסנהדרין אבל מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בחכמה׃ *Non cooptant Regem Iſraëlis in Synedrium: cooptant autem Sacerdotem magnum, ſi modò dignus ſit propter ſapientiam.* Ibidem: ומצוה להיות בסנהדרין גדולה כהנים ולויים *Lege præceptum eſt ut ſint in Synedrio magno Sacerdotes & Levitæ.* Porrò quæ in S. Matthæi quinto cap. Salvator pronunciat de pœnarum gradibus, iis tum magnum, tum quoque parvum Synedrium ſignificari, Viri docti

docti nihil dubitant. Cum nim. Phariſæi, iram, quæque ejus ſigna ſunt, convitia & ignominioſa vocabula non crederent tanti eſſe, ut gravioribus pœnis obnoxium quempiam reddant: Salvatorem noſtrum dixiſſe, hunc qui ſodali ſuo temere iraſcatur, dignum eſſe qui τῇ κρίσει *judicio* (Synedrium minus intelligunt, cui דיני נפשות *judicia capitalia* competebant, ut ſupra diximus) ſe ſiſtat, & ab eodem gravi ſupplicio afficiatur: qui autem dicat ῥακὰ, eum dignum eſſe, qui τῷ συνεδρίῳ (Synedrium magnum intelligunt) ſe ſiſtat, à quo cæteroqui res magni momenti judicari, & graviſſima ſupplicia conſtitui ſolerent: eum denique, qui dicat, μωρὲ, graviori pœnâ dignum eſſe, quam ut à Synedrio conſtitui queat, atque igitur ad infernum detrudendum. Quæ quidem conjecturæ nobis minimè diſplicent. Quod enim ἡ κρίσις & τὸ συνέδριον à Salvatore noſtro, tanquam diverſa, memorantur, ex eo ſatis apparet, τὸ συνέδριον fuiſſe quendam judicum conſeſſum, qui iſto nomine κατ' ἐξοχὴν & peculiariter fuerit appellatus. Sunt in Prædictis Salvatoris noſtri verbis & alia quædam, quibus itidem ex monumentis Hebræorum lucem attulerunt Viri docti, vox ῥακὰ puta, & vox γέεννα. Vide ſis quæ ad ea illuſtranda congeſſerunt Buxtorfii, aliique.

XIII. Porrò nec in Fl. Joſephi, ἱστοριῶν & ἱερειῶν ſcriptis magni Synedrii veſtigia deſunt. Præclarum eſt, quod in decimo quarto Ἀρχαιολογίας cap. XVII. prodidit, Herodem Aſcalonitam, cum juvenis adhuc eſſet, & αὐθεντικῶς ἐγεργ egiſſet in Galilæâ, vocatum fuiſſe Hieroſolyma,

 ἵνα

ἵνα δίκην ἐν τῷ συνεδρίῳ τῶν πεπραγμένων ὑπόσχῃ, *ut coram Synedrio facti ſui redderet rationem*, cumque delectâ manu veniſſet ſtipatus, & liberiùs, quam reum decebat, ageret, Sameam quendam, cæteris omnibus attonitis, parrheſiâ uſum ac in hanc ſententiam locutum fuiſſe: *Equidem judices* (ἄνδρες συνέδροι) *tuque Rex* (Hyrcane) *nec ipſe unquam vidi quenquam qui ad cauſam apud nos dicendam vocatus ad hunc modum comparuerit, nec vos puto poſſe proferre hujuſmodi quempiam, ſed quisquis hactenus* εἰς τοῦτο τὸ συνέδριον ἀφῖκται κρινησόμενος, *apud hunc conſeſſum judicandum ſe præbuit, humilis venit, & habitu timentis periculum, & captantis miſericordiam, atratus & promiſſo capillitio. At bonus iſte Herodes cædis reus, & tam gravi obnoxius crimini, adſtat hîc purpuratus, & crine bellè compoſito, cum armatis ſtipatoribus.* Paucis interjectis ſubjungit, quid Sameas præſumpſerit animo, cum Herodem videret tam liberè & protervè ſe tractantem. Ita igitur Sameam inducit porrò loquentem: *Scitote tamen potentem eſſe DEUM, & quòd iſte, quem nunc in Hyrcani gratiam legibus eripitis, & vos aliquando, & regem ipſum puniet.* Addit etiam ampliùs de eodem Sameâ, eum honorifice habitum ab Herode, cum hic urbe eſſet potitus. *Nec vanus fuit vates*, inquit. *Nam Herodes regnum adeptus*, πάντας ἀπέκτεινε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ *omnes qui in Synedrio erant, & ipſum quoque regem ſuſtulit, excepto uno Sameâ. Hunc enim in honore habuit, propter juſtitiam, & quia pòſt, obſeſſâ urbe ab Herode ac Soſio, admittendi Herodem autor fuit populo, negans propter peccata eos poſſe domi-*

dominationem illius effugere. Ex his Joſephi ſatis liquidò apparet, τὸ συνέδριον, cujus Sameas pars fuit, in urbe Hieroſolymis ſingulari quadam ac præcipuâ fuiſſe autoritate, quali & Sanhedrin magnum fuiſſe prodiderunt Rabbini. Quam verò παῤῥησίαν Sameæ tribuit Joſephus in prædicto libro, eam in ſequenti decimo quinto, primo quidem capite, tribuere videtur Pollioni cuidam, Sameæ præceptori. *In præcipuo honore,* inquit, *apud eum* (Herodem) *erat Pollio Phariſæus, & Sameas hujus diſcipulus. Dum nimirum obſideret Hieroſolyma, hi conſulebant civibus, ut Herodem in urbem reciperent, eamque ob rem gratiam illis habuit. Pollio verò hic, olim capitis reo Herode, Hyrcano* ϗ τοῖς δικάζουσι *judicibus prædixit opprobrans, quòd abſolutus Herodes eorum ſententiis, ab omnibus illis pœnas aliquando exacturus eſſet.* Apparet in his μνημονικὸν ἁμάρτημα Joſephi. Ceterum Pollionem ac Sameam conjungit & alibi, hiſque duobus Herodem ſcribit gratificatum fuiſſe. In cap. XIII. libri XV. hæc ampliùs habet: *Requiſivit & jusjurandum à Pollionis Sameæque ſectatoribus: quod cum non impetraſſet, non tamen in eos ut in cæteros ſævriit, ſed veniam dedit propter Pollionem.*

XIV. Ex proximis ſuperioribus apparebat, Synedrium illud quod ætate Sameæ fuit, non minimam habuiſſe autoritatem; & Sameam eidem vindicare voluiſſe autoritatem antiquam ac genuinam. Paulò ante iſta tempora autoritati huic non parùm deceſſerat. Cum Hieroſolyma expugnaſſet Pompejus, & pulſo Ariſtobulo ſacerdotium ſine regno reſtituiſſet Hyrcano: paulo pòſt Syriæ præfectus conſtitutus fuit

 Gabi-

Gabinius. Qui cum Alexandrum Ariſtobuli filium retudiſſet, Hyrcanum Hieroſolyma deduxit, *τὴν τοῦ ἱεροῦ παραδοὺς ἡγεμονίαν αὐτῷ, καθίστησι τὴν ἄλλην πολιτείαν, ἐπὶ προστασίᾳ τῶν ἀρίστων*, *ei templi curâ mandatâ, aliam reip. formam conſtituit, ut nimirum optimates præeſſent.* *διεῖλε δὲ πᾶν τὸ ἔθνος (Ἰουδαϊκὸν) εἰς πέντε συνόδους. τὸ μὲν Ἱεροσολύμοις προστάξας, τὸ δὲ Γαδάροις. οἱ δὲ, ἵνα συντελῶσιν εἰς Ἀμαθοῦντα. τὸ δὲ τέταρτον εἰς Ἱεριχοῦντα κεκλήρωτο, καὶ τὸ πέμπτον Σίπφωρις ἀπεδείχθη, πόλις τῆς Γαλιλαίας*, *Omnem Judæorum gentem in quinque conventus diviſit* (quinque judicum collegia inſtituit, ad quæ omnes Judæorum cauſæ referrentur) *unum voluit eſſe Hieroſolymis, alterum Gadaris, tertium Amathunte, quartum Hierichunte, quintum denique Sepphore.* Vide iſta apud Joſephum lib. I. de bello Jud. cap. 6. Gemina verò licet legere l. XIV. Ἀρχαιολ. c. 11. Adſcribam ex hoc quoque libro ipſa Joſephi verba, quòd alteris illis videantur clariora eſſe: *πέντε συνέδρια καταστήσας εἰς ἴσας μοίρας διένειμε τὸ ἔθνος*, *Conſtitutis quinque Synedriis ſive judicum collegiis, gentem in totidem æquales partes diſtribuit.*

XV. An forte ſtatuere licet, ipſum quoque magnum Synedrium, quod Hieroſolymis fuit, tum primum conſtitui cœptum, cum à Gabinio in Palæſtinâ conſtituerentur quatuor etiam alia? Scimus ita credere ſummum quendam Virum. Non autem ſuſtinemus adſtipulari ipſi. Sane cum quinque iſta Synedria conſtituta eſſent, paucis annis pòſt, parrheſiâ uſus Sameas pronunciavit iſta, quæ paulò antè tranſcripſimus. At qualia ea ſunt? Talia certè, ut ex iis apparere

poſſit,

poſſit, magnam ejus Synedrii fuiſſe autoritatem, hancque ejus fuiſſe longè ante illud tempus, quo Sameas iſta pronunciavit. Dixit Sameas, nec ſe ipſum meminiſſe, nec meminiſſe poſſe cæteros ullius hominis qui ita comparuiſſet coram Synedrio, ut ſe tractantem viderent Herodem; ſemper autem moris fuiſſe, ut qui ſeſe ſiſteret, ταπεινὸς παρίϛηται, καὶ σχήματι δεδοικότος, καὶ ἔλεον θηρωμένῳ, κόμην τε ἐπιτρέψας, καὶ ἐσθῆτα μέλαιναν ἐνδεδυμένος. Si igitur longè ante iſta tempora, quibus cauſam dicere juſſus fuit Herodes, tanta Synedrii reverentia fuit: ſanè idipſum non tum demum cœpiſſe, cum Gabinius in Palæſtinâ verſabatur, facilè intelligi licet. Vix enim viginti anni intercеſſerunt inter illud tempus, quo quinque Synedria inſtituit Gabinius, & alterum illud, quo Herodes debuit cauſam dicere. Quòd igitur Joſephus ſcripſit, Gabinium inſtituiſſe quinque Synedria, ex eo non hoc colligimus, Synedrium, quod Hieroſolymis fuit, tum primum inſtitutum fuiſſe, cum inſtituta fuerunt quatuor cætera: ſed hoc tantùm, Gabinium noviter inſtituiſſe quatuor alia Synedria, eoque autoritatem ac poteſtatem ejus, quod Hieroſolymis fuit, non parùm imminuiſſe.

XVI. In libro XX. Ἀρχαιολ. c. 8. apparet etiam quædam Synedrii ſpecies. Narrat ibi Joſephus, Levitas quoſdam obtinuiſſe ab Agrippâ Rege, ut convocato Synedrio decerneret ſibi uſum ſtolæ lineæ. Adſcribam ipſa ejus verba: τῶν δὲ λευιτῶν, ὅσοι περ ἦσαν ὑμνῳδοὶ, πείθουσι τὸν βασιλέα, καθίσαντα συνέδριον φορεῖν αὐτοῖς ἐπίσης τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιτρέψαι λινῆν στολήν. *Illi ex Levitis, quorum*

rum erat ſacros hymnos in templo canere, adito Rege induxerunt eum precibus, ut advocato concilio (Synedrio) *decerneret eis uſum ſtolæ lineæ, quæ tum ſolis conceſſa erat ſacerdotibus.* Paulo poſt: ὁ γὰρ βασιλεὺς μετὰ γνώμης τῶν εἰς τὸ συνέδριον ἐποιχομένων, συνεχώρησε τοῖς ὑμνῳδοῖς ἀποθεμένους τὴν προτέραν ἐσθῆτα, φορεῖν λινῆν οἵαν ἠθέλησαν, *Rex enim* (Agrippa) *conſenſu illorum, qui in Synedrium congrediebantur, permiſit hymnorum cantoribus, ut depoſito priſtino habitu, geſtarent lineum, qualem voluerunt.* In eodem octavo capite memorat Joſephus, Ananum, ſummum Pontificem καθίσαι συνέδριον κριτῶν *convocaſſe conſeſſum judicum*, ſtatutumque coram concilio fratrem Jeſu Chriſti, Jacobum nomine, unâ cum aliis quibusdam, reum impietatis peractum tradidiſſe lapidandum. Quod factum omnibus diſplicuiſſe, hoſque igitur Albino, deſtinato procuratori, iviſſe obviam, deque diſplicentiâ ſuâ teſtatos, docuiſſe eum, non licuiſſe Anano ſine procuratoris conſenſu καθίσαι συνέδριον *advocare Synedrium ſive concilium.*

XVII. Non negabimus, ut paulò antè profitebamur, Synedrium Magnum Hieroſolymis exſtitiſſe jam ante Gabinii tempora. An verò & hoc credemus, Synedrium LXXI Virorum cœptum fuiſſe inſtitui temporibus Moyſis, ac perpetuâ cooptatione duraſſe ad extrema uſque Reipubl. Judaicæ tempora? Nihil ſanè dubitant viri docti. Vir clariſſimus Joh. Seldenus, apertè ſcripſit, *imperante Moyſe conſeſſum magnum natales habuiſſe, ut videre ſit Num. XI. 16.* recepitque ſe peculiari libro de iſtis natalibus, qualitate eorum, qui ritè in eum adſciſcebantur, adſci-

Digitized by Google

adſcitorum dignitate, jurisdictione, imperio, loco, continuatione, conſidendi tempore, aliiſque actorum. Vide ejus eximium opus de ſucceſſionibus in bona defunctorum c. XXV. & alterum de ſucceſſ. in Pontificatum lib. II. c. X. An verò jam fecerit Vir Clariſſimus, quod promiſit, nos nondum comperimus. Receperat & Wilh. Schickardus: qui quidem mortalitate eſt interceptus. Summi Viri, Iſaacus Caſaubonus, Cl. Salmaſius, Hugo Grotius, plurimique alii nihil itidem dubitarunt. Grotius quidem in lib. I. de jure b. & p. cap. III. n. 20. apertè ſcripſit, *Synedrium LXX Virûm divino imperio à Moſe inſtitutum ad Herodis tempora perpetuâ cooptatione duraſſe.* Sed & ipſi Doctores Talmudici originem Synedrii LXXI virorum ex illis locis probare ſtuduerunt, ex quibus probaſſe ſe credunt viri docti noſtræ ætatis. Talmud cod. Sanh. c. I. *Unde conſtat LXXI fuiſſe iſtius Synedrii* (magni) *judices? Ex eo quod dicitur: Congrega mihi LXX Viros ex Senioribus Iſraëlis,* (Num. XI. 16.) *His Moſes junctus erat. En tibi LXXI.* Magno Caſaubono ingerimus illud, quod ipſe ſcripſit in exercitatione I. c. Baronium, Rabbinis in hiſtoriâ etiam ſacrâ parum fidei eſſe tribuendum; in omni aliâ talpis ut plurimum cæciores eſſe. Ut verò rectiùs de re judicari queat, videtur de iſtâ poteſtate, quâ populus Hebræus ætate Moyſis gubernatus fuit, agendum eſſe in univerſum.

XVIII. Cum Hebræi Regis Ægypti poteſtate mirabili ratione exempti eſſent, cœpit in illis eſſe Reipubl. forma prorſus inuſitata, qualemque in nullâ gente unquam obſervare licuit.

Solent Rerumpubl. formæ diſtingui per numerum eorum, qui τὸ κύειον in aliquâ gente obtinent, hoc eſt, qui præſcribunt de talibus, quibus civitas continetur ac conſervatur: & ita quidem, ut ſuperiorem agnoſcere aut non debeant aut certè, ſi debeant, nolint. Si igitur unus præſcribat, dicitur id *monarchia*. Si plures præſcribant, neque tamen tota civitas, ſed pauci modò, dicitur id Oligarchia. Si denique penes omnem populum τὸ κύειον ſit, *Democratiam* appellant iſtam Reip. formam. Scimus vocabula *Oligarchia* & *Democratia* non ita latè, ſed paulo ſtrictiùs vulgò uſurpari. Nobis autem latâ iſtâ ſignificatione nunc liceat uti: cum nec Veteres eâ abſtinuiſſe ſatis conſtet. Porrò κύειον illud, de quo diximus, conſtat ex tribus, hoc eſt, τὸ præſcribere ſive imperare in civitate, ut ſuperiorem agnoſcere vel non debeas vel certe nolis, in tribus potiſſimùm videtur verſari: primo, ut præſcribatur de jure ſuo ſingulis in civitate verſantibus tribuendo: deinde, ut præſcribatur de bello aut pace cum externis: & denique ut cultus Numinis præſcribatur. Qui præſcribunt de jure ſuo cuique tribuendo, hi & leges ferunt, & magiſtratus conſtituunt, qui vel ſecundum leges, vel aliâ probabili ratione jus reddant. Non enim ſemper commodum eſt aut placet operam juris reddendi ſibi ipſi ſumere: imò nec poſſibile eſt. Si nunc vulgares politias conſideremus, apparet in omnibus gentibus de tribus iſtis quæ diximus, præſcribere vel unum hominem vel plures. Sanè omnia imperia Deus occultè moderatur, eaque vel conſervat, vel imminuit ac debilitat. Veruntamen non ipſe

Deus

Deus præſcribit, quid in Rep. fieri debeat: neque ſi malè præſcribant homines, hos à gubernaculis reip. ilico removet. Permittit Deus, ut præſcribat aut imperet homo, etiam malus, atque ut alii pareant. In Hebræorum verò Rep. haud paulo aliter res habuit. Præſcripſit in eâ ipſe Deus, quâ ratione coli vellet: quomodo item jus reddi: denique contra quos & quando bellum geri. Atque hæc ſacros codices legentibus minime poſſunt obſcura eſſe. Si igitur id ſpectare velis, quòd in gente Hebræorum unus præſcripſit, quæ ad gubernationem ejus gentis pertinuerunt, Monarchia fuit Hebræorum Reſpublica. Et ſanè ut aliàs Monarchæ etiam Reges appellari ſolent: ita & Deus planiſſimè ſe Regem Hebræorum dici voluit. Clara ſunt verba Dei in I. Sam. c. VIII. v. 7. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te* (Samuelem) *abjecerunt, ſed me* מִמְּלֹךְ עֲלֵיהֶם *ne regnem ſuper eos.* Clara item ſunt verba Samuelis in ejusdem libri c. XII. v. 12. *Videntes autem, quòd Nahas, Rex filiorum Ammon, veniſſet adverſum vos, dixiſtis mihi,* **Nequaquam**, *ſed Rex imperabit nobis* ויהוה אלהיכם מלככם *cum tamen Jehova Deus veſter eſſet Rex veſter.* Probè intellexit ſanctus Gideon, ipſum Deum ſe Hebræorum gerere Regem, atque etiam appellari velle. Quare cum ipſi ob rem bene geſtam Hebræorum vulgus imperium regium addicere vellet: magno is animo increpuit ſuam gentem, ac ſtatus ſui ipſam admonuit. *Neque ego*, inquit, *in vos dominabor, neque in vos dominabi-*

nabitur filius meus, יהוה ימשל בכם *ſed ipſe Jehova* (ut hactenus fecit) *in vos dominabitur*. Licet igitur omnino politiam Hebræorum appellare Monarchiam. Quòd verò unus iſte qui in Hebræâ gente ſummam poteſtatem ſibi ipſi ſervavit, fuit ſummum Numen; ſecus quam in aliis politiis fieri aſſolet: propterea Monarchiam iſtam peculiari vocabulo θεοκρατίαν appellare licet, uti Fl. Joſephum feciſſe ſcimus in ſecundo contra Apionem.

XIX. Qui de reddendo cuique jure ſuo in civitate præſcribit, is non ſemper ipſe dicendi ſive reddendi juris ſibi operam ſumit, ſed plerumque id facit per alios, horumque utitur miniſterio, uti diximus. Sic igitur & in Hebræâ gente res ſe habuit. Non ipſe Deus quoties jus reddendum fuit, clarâ voce aliiſve ſignis expoſuit quid fieri vellet ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα, ſed magiſtratus inſtituit, qui ſecundum leges jus redderent. Primò quidem Moyſes fuit deſtinatus; iſque admirandis operibus, quæ facultate ſibi peculiariter inditâ perfecerat, facilè perſuaſit Hebræis, ſe à Deo, ut Rege poteſtatem accepiſſe, qualem inferiores magiſtratus habere ſolent, populum gubernandi. Et judicavit igitur aliquandiu ſolus Moyſes cauſas ſuæ gentis, cum hæc egreſſa eſſet ex Ægypto, ac in deſertis Arabiæ verſaretur. Cum ad Moyſem veniſſet ſocer ejus, quodque plurimos Moyſem circumſtantes conſpiceret, quæſiſſet ex ipſo, quâ de cauſâ id fieret: reſponſum ipſi à Moyſe fuit his verbis: *Venit ad me populus, quærens ſententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua diſcepta-*

ceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos & oſtendam præcepta Dei & leges ejus, Exodi XVIII. 15. Pòſt ſocer Moyſis, quòd videret, nimium genero ſuo faceſſi moleſtiæ, autor ipſi fuit, ut partem operarum delegaret aliis. Quod igitur etiam fecit Moyſes, conſtituitque chiliarchos, hecatontarchos, pentecontarchos ac decarchos. Solas majoris momenti cauſas voluit ad ſe deferri. De eo eſt in dicti capitis extremis verbis: *Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël; conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicarent plebem Domini omni tempore. Quicquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.*

XX. Cum iſta judiciorum forma, de quâ noviſſimè diximus, aliquandiu obtinuiſſet, uſu venit, ut Hebræos ſatietas inceſſeret inuſitati cibi, quo aliquamdiu victitarant, & ex adverſo cupido carnium: ut item ægrè facerent divino ſuo Duci, exprobrando huic, quod ipſos abduxiſſet inde, ubi carnium fuiſſet affatim, & carnes quoque ab ipſo expoſcendo. Tum vero Moyſes graviter conqueſtus fuit de onere, quod ipſius incumbebat humeris: quod nimirum quotieſcunque populum ſuæ ſortis pœniteret, ab hoc expoſtulationibus gravioribuſque verbis intolerabilis ſibi faceſſeretur moleſtia. Verba, quibus uſus tum fuit Moyſes, leguntur in Num. c. XI. v. 13. ſuntque iſta: *Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? flent contra me dicentes: da nobis carnes, ut comedamus. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum: quia gravis eſt mihi. Sin aliter tibi videtur, obſecro,*

ſecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Cum queſtus Móyſes eſſet in iſtum modum, mox χρηματισμὸν habuit, juſſuſque fuit deligere LXX viros ex primoribus ac præfectis Hebræorum, hoſque ad oſtium tabernaculi deducere. Quid verò ipſe Deus facere tum vellet, in prædicto loco his verbis expoſitum reperimus: נירדתי ודברתי עמך שם ואצלתי מן הרוח אשר עליך ושמתי עליהם ונשאו אתך במשא העם ולא תשא אתה לבדך: *Et deſcendam, & loquar ibi tecum & auferam* (ſeponam) *de Spiritu tuo, tradamque eis* (imponam eis) *ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Quid item poſtea fecerit Deus, de eo, paucis interjectis, hæc ſequuntur: *Deſcendit Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de Spiritu, qui erat in Moyſe, & dans LXX viris. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus,* יתנבאו ולא יספו *prophetarunt, nec ultra ceſſaverunt.* Hæc illa ſunt, ex quibus Rabbini, & noſtræ item ætatis viri docti colligunt, Collegium LXX judicum, quod Synedrium magnum vocant, quodque ætate Herodis fuiſſe ſcimus, jam inde à Moyſis temporibus extitiſſe. Rabbinos ita omnino velle, ſatis liquet ex Cod. Sanhedrin, cujus caput primum hæc habet: ומנין לגדולה שהיא של שבעי׳ ואחד שנ׳ אספה לי שבעים איש מזקני ישראל ומשה על גביהן הרי שבעי׳ וא׳ *Quod numerus Synedrii magni ſit LXXI, conſtat*

ſtat ex eo quod dicitur: Congrega mihi LXX Viros de Senioribus Iſraëlis. *His Moſes junctus erat. Ecce tibi LXXI.* Hugo Grotius in annotationibus ad Matthæi quintum caput ſcripſit, locutum iſta eſſe Deum ad Moyſem, *cùm queſtus hic fuiſſet, ſupremorum judiciorum ac relationum oneri* (quod hactenus ſuſtinuerat) *ſe non ſufficere, & LXX illos ſpiritu novo (judiciali) inſtruxiſſe, juſſiſſeque partem oneris ferre, ſupremorum nimirum judiciorum ac relationum.* In lib. primo de jure b. & p. c. 3. n. 20. idem Vir ſummus ſcripſit, *Synedrium LXX Virûm divino imperio à Moſe inſtitutum ad Herodis tempora perpetuâ cooptatione duraſſe.* Neque aliter ſentiunt alii Viri docti.

XXI. Quid vero nos tandem? An eam ſententiam, quam ſummo conſenſu tenuerunt docti, revocare licet in dubium? Rabbinos equidem non multùm moramur: quòd verum credamus eſſe, quod ſummi Viri monuerunt, illis ipſis in hiſtoriâ etiam ſacrâ parum fidei eſſe habendum: in omni aliâ talpis ut plurimum cæciores ipſos eſſe. Iſtorum verò ſummorum virorum autoritas facit, ut ἀβασάνιστος δοκῇ ὑμῖν αὕτη ἡ ζήτησις. Sed non pervincet tamen, ut eorundem amplectamur ſententiam. Profitemur igitur, non videri nobis verum eſſe, quod vulgo creditur, jam tum Moyſis temporibus inſtitutum fuiſſe collegium LXX judicum, quod perpetuâ cooptatione ad extrema uſque Reip. Judaicæ tempora duraverit, idque ex prædicto loco Num. XI poſſe probari. Quæ ut intelligantur, ante omnia jubemus probè advertere ad illud, quod occaſio fuit collegii LXX Virûm

rûm

Digitized by Google

rûm inſtituendi, hoc eſt, ad Moyſis querelam. Queſtus fuerat Moyſes, ſibi nimiam faceſſi moleſtiam à populo Hebræo, ſive ut Hebræam φρασιν propiùs attingam, ſe non poſſe ſuſtinere onus populi. Quale verò onus iſtud? An id queſtus fuit Moyſes, nimis gravem ſibi eſſe operam iſtam, quam in jure dicendo ac cauſis judicandis ſumebat? Ita ſanè credidit Cl. Grotius, ut ex annotat. ejus ad Matthæum oſtendimus. Scripſit quidem, Moyſem fuiſſe queſtum, *ſe ſupremorum judiciorum ac relationum oneri non ſufficere.* Leviores cauſas Moyſes ſuaſu ſoceri ſui, aliis dijudicandas demandaverat: ſolas controverſias graviores ad ſe deferri juſſerat, ut ex Exod. XVIII. liquere poteſt. De ſolis igitur gravioribus cauſis judicare, Cl. Grotius putavit, divo Moyſi nimis grave ac moleſtum etiam tandem fuiſſe viſum. Nobis minimè id liquet. Cum Moyſes querelam inſtituit, non oblata ei fuerat gravis quædam controverſia judicanda: non jure quidam inter ſe voluerant experiri; ſed popoſcerant ab ipſo carnes, atque exprobraverant ei, quòd ſe ex Ægypto abduxiſſet. Dixerant quidem: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, & in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, allia: anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.* Legere ea licet in eo capite, quod noviſſimè allegavimus, hoc eſt in XI Numerorum. Cum talibus verbis obtudiſſent Moyſem, tum hic apud Deum queſtus fuit de ſuo onere, iſtis quidem verbis, quæ paulo antè tranſcripſimus. Si igitur non queſtus fuit Moyſes

ſes de onere ſupremorum judiciorum, ut Grotius volebat: neque ex reſponſo Dei colligi poteſt, eum inſtituere voluiſſe collegium LXX Virûm, qui graviores cauſas unà cum Moyſe dijudicarent. *Seponam*, inquit Deus, *de ſpiritu tuo, & imponam eis, ut ſuſtentent tecum onus populi.* Hic intelligitur utique illud onus, de quo queſtus fuerat Moyſes, hoc eſt, quòd quoties Hebræos ſuæ ſortis pœnitebat, omnem culpam in Moyſem transferrent, & id, cujus eos inceſſiſſet cupiditas, ab eodem efflagitarent. Hoc illud onus eſt, quod unà cum Moyſe ſuſtinere debuerunt LXX Viri. Propterea ipſos Deus ſingularibus ac θαυμασίοις donis inſtruxit, fecitque, ut aliter ipſi animati eſſent, quam cæteri, nec tam facilè, quam cæteri deficerent; ſed unà cum Moyſe indignantem ac rebellantem populum reprimerent, quippe quibus ſuæ ἐξοχαὶ eximiam autoritatem afferre poſſent.

XXII. Cæterum lecti fuerunt LXX illi Viri ex Senioribus & Præfectis populi. Verba Dei ad Moyſen ſunt: אספה לי שבעים איש מזקני ישראל אשר ידעת כי הם זקני העם ושטריו *Congrega mihi LXX Viros de Senibus populi, quos tu noſti, quod Senes populi ſint, ac Magiſtri ejus, Num. XI. 16.* Ex his apparet, illos ipſos LXX Viros habuiſſe jam antea eximiam quandam ac ſingularem autoritatem inter ſuos; imò & poteſtatem. Seniorum Iſraëlis frequens in ſacrâ hiſtoriâ fit mentio. In Exodi capite III. v. 16. jubetur Moyſes Seniores Iſraëlis alloqui in Ægypto, iiſque conſilium Dei ex-

exponere. Ibidem *Seniores* Iſraëlis jubentur unà cum Moyſe adire Regem, eique exponere idem conſilium Dei. Porrò in Exodi cap. XXIV jubet Deus unà cum Moſe, Aarone, Nadabo & Abihu in montem aſcendere שבעים מזקני ישראל *ſeptuaginta de Senioribus Iſraëlis.* Soli tamen Moyſi permittitur accedere propiùs; cæteri è longinquo ſtare ac adorare jubentur. In eodem cap. v. XI. iidem LXX Senes vocantur אצילי ישראל *Principes ſive primores Iſraëlis.* Non tamen habuiſſe eos poteſtatem cauſas dijudicandi, liquido apparet ex ejuſdem cap. verſiculo XIV. Cum Moyſes iterum in montem juſſus eſſet aſcendere, Seniores iſtos his verbis compellavit: *Expectate hîc, donec revertamur ad vos: Habetis Aaron & Hur vobiſcum:* מי בעל דברים יגש אליהם *ſi quid natum fuerit quæſtionis* (ſi quis jure cum altero voluerit experiri) *referetis ad eos.* Ex quibus apparet, controverſias & lites non ad prædictos Seniores, ſed ad Aaronem & Hurem debuiſſe deferri. Iſti igitur LXX Senes, de quibus eſt in Exod. XXIV capite, propter ætatem & experientiam multarum rerum, autoritatem modò inter ſuos habuerunt, ut ipſorum exemplum facilè ſecuti fuerint alii; non verò lites dijudicandi poteſtatem. In aliis linguis ea vocabula, quæ Hebræo זקנים reſpondent, quandoque ſignificant non aliter; quandoque etiam poteſtatem ſimul ſignificant. Non autem putandum eſt, eos LXX quorum in Exodo cap. XXIV fit mentio, eoſdem eſſe cum his, quorum

rum in Numeris c. XI fit mentio. Illi, quorum in Numeris fit mentio, conſtituti tum demum fuerunt, cum Moyſes queſtus eſſet de onere ac moleſtiâ, quæ ipſi à ſuis faceſſi ſolebat. Nihil tamen prohibet LXX, iſtorum, qui Moyſis collegæ facti ſunt, quoſdam fuiſſe antea inter alteros LXX, quorum mentio fit in Exodi cap. XXIV.

XXIII. Lecti etiam fuerunt LXX iſti Viri, quorum Num. XI. fit mentio, ex *præfectis* ſive *moderatoribus* populi. Fuerant igitur antea שוטרים hoc eſt, poteſtatem quandam civilem habuerant inter ſuos, & cauſas dijudicarant. Ex ſuperioribus recolamus ea, quæ ex Exodi capite XVIII dicta ſunt de his, quibus Moyſes leviores & liquidi juris cauſas judicandas demandavit, de decarchis, inquam, pentecontarchis, hecatontarchis, ac chiliarchis. Hi utique poteſtatem civilem habuerunt inter ſuos, eam nimirum quæ pertinet ad cauſas judicandas. Iidem verò ob poteſtatem quam habebant, שוטרים à Moyſe dicuntur ibi, ubi populo in memoriam revocat omnia illa quæ in deſertis Arabiæ uſu venerant. In Deuteronomii nimirum capite primo hiſtoriam de variis iſtis judicibus ſanctus Moyſes repetit his verbis: *Dixi vobis in illo tempore: Non valebo ſolus negotia veſtra ſuſtinere & pondus ac jurgia. Date ex vobis Viros ſapientes, & gnaros, quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes. Tunc reſpondiſtis mihi: bona res eſt, quam vis facere. Tulique de tribubus veſtris* (capita) *viros ſapientes & nobiles* (notos) *& conſtitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagena-*

rios & decanos ושוטרים לשבטיכם & *præfectos tribubus veſtris.* Ex his apparet ſanè, viros iſtos שוטרים *Schoterim* dici propter poſtatem, quam tum acceperunt. Quod igitur Moyſes juſſus fuit deligere LXX Viros ex Senioribus & *præfectis* (Schoterim) populi: putandum eſt, hos fuiſſe lectos ex iſtis quoque Schoterim, quos cauſis dijudicandis non multò ante ipſe præfecerat. De voce שוטר diſputant Viri docti, quid eâ ipſâ ſignificetur. R. Moſes Maimonides in hal, Sanhedrin שופטים & שוטרים ita diſtinguit: שופטים אלו הדיינים הקבועים בבית דין ובעלי דינין באים לפניהם: שוטרים אלו בעלי מקל ורצועה והם עומדים לפני דיינים המסבבים בשוקים וברחובות ועל החניות לתקן השערים והמדות ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים: Schophethim *ſunt judices, qui conſtituti ſunt à Synedrio Magno* (in ſingulis civitatibus, ut ex cod. Talm. Sanh. ſuprà oſtendimus. Buxtorfius in Lex. ad vocem שוטר minùs rectè vertit, *fixi in domo judicii*) *& qui jure experiri volunt, ſiſtunt ſe coram ipſis.* Schoterim *autem ſunt illi, qui inſtructi baculo & loro, ſtant coram judicibus, circumeunt forum, plateas & tabernas, ut dirigant* (inſtaurent) *portas & menſuras, & percutiant omnes iniquos ex ſententiâ judicum.* Iſtam differentiam ה שופטים & ה שוטרים exponit Maimonides, cum dixiſſet in lege (Deut. XVI. 18.) præceptum

ceptum eſſe, ut in ſingulis civitatibus שופטים & שוטרים inſtituantur. Conjunguntur duæ iſtæ voculæ & alibi: ut Joſuæ ultimo v. 1. ubi legimus, Joſuam cum is valde provectâ jam ætate eſſet, convocaſſe את זקני ישראל ואת ראשיו ואת שופטיו ואת שוטריו *Seniores Iſraëlis, & capita eorum, & judices eorum, & præfectos eorum.* Nobis non liquet, eam fuiſſe τῶν שופטים & τῶν שוטרים differentiam, quam Maimonides conſtituit, quam & Viri docti, Wilh. Schickardus, Conſtantinus l'Empereur, Nicolaus Fullerus, aliique pro verâ acceperunt. Certè in Deut. primo cap. verſiculo XV, quem paulò antè tranſcripſimus, ea differentia locum non habet: ſed οἱ שוטרים ſunt ipſi שופטים. Deinde in Num. XI ubi Moſes jubetur LXX Viros legere ex Senioribus & שוטרים, itidem non poteſt ea ſignificatio vocis eſſe, quam Maimonides ei tribuit. Non enim veriſimile eſt, Viros iſtos ex talibus fuiſſe lectos, qui τῶν שופטים judicibus inferiores eſſent, ac non potiùs ex ipſis τῶν שופטים. Græci Interpretes ſolent vocem שוטרים vertere his Græcis, γραμματεῖς, γραμματεοεισαγωγεῖς. Ex quibus poſterior ſatis videtur accommodata eſſe vocis Hebrææ ſignificationi exprimendæ. D. Auguſtinus miram ejus ſignificationem credidit eſſe. Apparet id ex libro XVIII de Civ. Dei c. 39, ubi hæc ſcripſit: *Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat Scriptura* (Verſio Græca Scripturæ) *grammatoiſagoges, qui Latinè dici poſſunt literarum inductores, eò*

quòd eas inducunt vel introducunt in corda diſcentium. Falſus fuit S. Pater tum in eo, quod credidit Moyſem, ubi Grammatoiſagoges inſtituiſſe legitur, præceptores ſive ludimagiſtros inſtituiſſe: tum in ipſâ vocis Græcæ interpretatione. Ipſi Græci Interpretes voce γραμματεισαγωγεῖς ſine dubio non alios ſignificare voluerunt, quam τοὺς שופטים *judices*. Εισάγειν τὴν γραφὴν ἢ δίκην dicebantur apud Græcos, qui judicium rei conſtituebant, & rei dabant actionem. Et εἰσαγωγεὺς dicebatur, qui actionem rei dare poterat, & lege agere jubere. Quæ verò vox ſubaudiri ſolebat, τῆς γραφῆς, ἢ τῶν γραμμάτων ſcilicet, cum eâ Græci Interpretes compoſuerunt alteram, dixeruntque γραμματεισαγωγεύς. Dicitur, εἰσάγειν τὴν γραφὴν, & deinde ſine addito, εἰσάγειν. Sic quoque dicitur εἰσαγωγεὺς & γραμματεισαγωγεύς. Vide omnino ſummi Viri, Guilielmi Budæi Commentarios Græcæ Linguæ.

XXIV. De LXX Viris, quos Moyſes deligere juſſus fuit, proditum etiam eſt in prædicto loco, ipſos, cum eximiis ac ſingularibus donis inſtructi eſſent, *prophetaſſe*. Qualem iſtam נבואה *prophetiam* credemus fuiſſe? An talem, quâ mera futura fuerint prædicta? Non videtur commodè ita poſſe intelligi. Voces נבא & התנבא non ſemper ſignificant *futura prædicere*; & נביא non ſemper *Prophetam* ſignificat, qui *futura prædicat*: ſed alius etiam iſtarum vocum eſt ſignificatus. Ex libri primi Samuelis cap. X & XIX liquere poteſt, נביאים *Nebiim* etiam dici, qui ἐνθουσιασμῷ correpti, laudes divinas ſingulari ratione decantant.

tant. In capitis X verſiculo quinto ſcribitur de his, quæ divus Samuel prædixit Saulo de futurâ ejus conditione. *Poſthæc*, inquit Samuel, *venies in collem Dei, ubi eſt ſtatio Philiſtinorum, & cum ingreſſus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem* הנביאים *prophetarum, deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, tympanum, & tibiam, & citharam; ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Paucis interjectis hæc ſequuntur: *Cum avertiſſet humerum ſuum, ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illâ. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius ei: & inſiliit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum.* Ex his ſatis apparet, Nebiim quandoque ſignificare tales, quales dixi. Quod autem iſti *Nebiim* in Latinâ verſione *Prophetæ* appellantur, id neminem turbare debet. Nimirum id frequens eſt, ut, ſi duæ pluresve vocis alicujus Hebrææ ſunt notiones, unâ quoque Græcâ voce ambæ iſtæ notiones exprimantur. Vox נביא ſignificat talem, qui futura prædicit, & talem quoque, qui laudes divinas peculiari ratione decantat. Eorum ſignificatuum eſt cognatio quædam. Nam & is, qui futura prædicit, & alter, qui iſtâ ratione laudes divinas decantat, peculiari impulſu ac inſtinctu divino id facit. Græca vox προφήτης ſi originem ſpectes, Hebrææ voci reſpondere poteſt in uno modo iſtorum ſignificatuum. Eandem verò Interpretes reſpondere jubent in altero quoque ſignificatu, ut nimirum ſignificet

 eum,

eum, qui laudes divinas ἐνθουσιασμῷ decantat. Iſtiuſmodi igitur *Nebiim* putamus fuiſſe LXX iſtos, quos Moyſes ex Senioribus & præfectis populi deligere juſſus fuit. Fuerant illi jam antea Seniores populi, ejuſdemque præfecti ac prætores, ut paulò ante diximus; atque igitur præcipuam quandam inter ſuos habuerant poteſtatem. Cum verò aliæ quoque ἐξοχῇ in illis apparerent, ut nimirum in ipſos Spiritus Dei inſiliret, ipſique coram populo ſingulari ratione divinas laudes decantarent: intellexit ilico omnis populus, hos Viros ſibi præcipuè venerandos atque audiendos eſſe. Ipſi etiam Viri, cum à Deo percellerentur, aliter cœperunt animati eſſe, quam cæteri, hoc eſt, ut, cum antea unà cum cæteris indignati fuiſſent, Moyſique faceſſiviſſent moleſtiam, poſtea eſſent διαλαβισταὶ atque unà cum Moyſe indignantem populum reprimerent. Quod vero additur in prædictis verbis ולא יספו, id ſatis rectè videtur verſum eſſe à Latino Interprete, *nec ultra ceſſaverunt*: (prophetare) ejuſque videtur hic intellectus eſſe, quòd retinuerint iſta dona Spiritus, ut non ſemel modò, ſed plurimis vicibus poſt illa divinas laudes decantarint. Vox יסף ſignificat equidem aliàs *addere, pergere*. In noſtris verò ea ſignificatio parùm commoda eſt. Neque enim iſti viri autoritatem illam, quam in populo habere debuerunt, illibatam potuerunt retinere, niſi ſubinde indignabundo populo ἐξοχαῖς ſuas demonſtrarent. Non autem inuſitatum eſt, voces Hebræas obtinere ſignificationes planè contrarias. Sic enim ברך *bene-*

benedicere ſignificat , & *maledicere* : סכל *prudentem* & *ſtultum* eſſe : יחד *ſimul* & *ſeorſim* ; cujus poſterioris ſignificatus exempla ſunt Eſræ c. IV. 3. Job. XXXIV. 29 : עבר *trans* & *cis*.

XXV. Satis apparuit, LXX Viros, quos Moyſes deligere juſſus fuit, non propterea fuiſſe lectos, ut graviores cauſas judicarent, & una cum Moyſe collegium LXXI judicum conſtituerent. Quoniam autem ipſi judiciorum cauſâ lecti non fuerunt, malè cum iiſdem confertur Synedrium magnum, quod ætate Herodis fuiſſe ſcimus. Hoc enim ex judicibus utique conſtitit. Quî autem factum eſt, ut Rabbini ſcripſerint in Sanhedrin: *Unde conſtat, LXXI fuiſſe Synedrii magni judices? Ex eo, quod dicitur: Congrega mihi LXX viros ex Senioribus Iſraëlis* (Num. XI.) *His Moſes junctus erat. Ecce tibi LXXI.* An credibile eſt, Rabbinos adeò non intellexiſſe verba, quæ ſunt in Numeris, ut cum nulla in his LXX judicum fiat mentio, ipſi Synedrium magnum (collegium LXX judicum) ex iſtis arceſſere voluerint? Sanè ἀσυστάτως hoc cuipiam videri poſſit. Sed dicendum tamen id quod res eſt. Rabbini cum ſcirent, proximis ſeculis, quæ ipſorum tempora anteceſſerant, collegium aliquod LXX judicum fuiſſe Hieroſolymis; atque item ex hiſtoriâ ſacrâ didiciſſent, Moyſis quoque temporibus collegium aliquod LXX Virûm fuiſſe inſtitutum: conjectaverunt duo iſta collegia ejusdem fuiſſe generis, & jam inde à Moyſis ætate ad Herodis usque tempora unum idemque collegium perpetuâ cooptatione duraſſe. Nimirum id Talmudicis ſolen-

Digitized by Google

ne eſt, eorum inſtitutorum, quæ proximis ſuperioribus ſeculis in Judæis obtinuiſſe ſciverunt, rationem reddere velle ex ipſâ hiſtoriâ ſacrâ. Sed quàm ineptè id plerumque fecerint, ipſorum commentarios legentibus non poteſt eſſe incognitum. Non magni modò Synedrii originem ex ſacrâ hiſtoriâ voluerunt oſtendere, ſed minoris quoque, quod XXIII virorum fuit. In codice Sanhedrin, ubi de origine Synedrii magni diſquiritur, mox & numeri XXIII Virorum, qui Synedrium parvum conſtituerunt, rationem reddere ſunt conati. Ipſa Talmudis verba jam ſupra produximus. Sed nunc etiam ea ſunt repetenda, ut quomodo Rabbinorum probationes ſe habeant, rectiùs appareat. ומנין לקטנה שהיא של עשרים ושלשה *Numerus minoris Synedrii, quòd is ſit viginti & trium* (unde conſtat?) Ex illo: *& judicabunt cœtus* &c. *& eripient cœtus* Num. XXXV. 24. *Cœtus judicat: cœtus eripit. Qui verò probatur, cœtum eſſe decem hominum? Ex illo:* quouſque cœtui huic malitioſo &c. Num. XIV. 27. *Semove Joſuam & Calebum. At quæ ratio eſt adjungendi inſuper ternos? Ex illo, quod intelligendum datur in iſto:* Ne ſequaris plures ad mala, Exod. XXIII. 2. *Subaudio eſſe mihi hos ſequendos in bonum. Si ita eſt, quare ampliùs additur:* poſt plures inclinando. *Non ſimiliter ut in bonum, ita in malum inclinatio eſt facienda. In bonum vel ex unius ſententiâ pronunciare licet: in malum non niſi ſi duorum ſuffragia præponderent. Jam conſeſſus judicum non eſt, ut parili conſtet numero. Ergo his unus inſuper additur. Habes* XXIII.

XXVI. Egregiè verò ſic oſtenderunt Rabbini, numerum virorum, qui Synedrium minus conſtituerent, debuiſſe viginti trium eſſe. Quæ nugæ erunt, ſi hæ non ſunt? Primo duos cœtus elicere conantur ex eo, quod Num. XXXV ſcriptum eſt: *Quod ſi fortuitò abſque inimicitiâ impulerit eum, aut jecerit ſuper eum omne vas, absque inſidiis, aut omnem lapidem, quo interfici aliquis poſſit, & non viderit, jeceritque ſuper eum, & mortuus fuerit, ille verò non fuit hoſtis ejus, neque malum ipſius quæſivit, tum judicabit cœtus inter percuſſorem, & inter vindicem ſanguinis ſuper judiciis iſtis, & eripiet cœtus percuſſorem de manu vindicis ſangvinis &c.* Sed ex his non liquet de duplici עדה *cœtu, eccleſiâ.* Idem cœtus, qui judicare debuit, debuit etiam à percuſſore vim defendere. Deinde quam ineptum eſt, quòd duplicem quem fingunt, cœtum probare conantur decem fuiſſe hominum! In Numeris. c. XIV proditum eſt de illis, qui in Palæſtinam ablegati fuerant, & cum inde rediiſſent, de occupatione ejus deſperare fecerant populum. Ibidem verò his verbis utitur Deus: *Uſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? querelas filiorum Iſraël audivi. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus, ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra, omnes, qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me.* Ex his Rabbini colligunt, cœtum eſſe decem hominum. At quam ineptè! Non modo de decem iſtis viris hæc ſunt intelligenda, qui unà cum Calebo & Joſua in Palæſtinam penetraverant; ſed de multis millibus: de omnibus, inquam,

quam, qui annos nati fuerunt viginti aut amplius. Non modo decem viri murmuraverant, ſed verò multa millia. Si verò maximè decem modò murmuraſſent, iſti nimirum, qui unà cum Calebo & Joſuâ Palæſtinam luſtraverant: non tamen cœtus ille murmurantium cum iſto judicum cœtu poteſt conferri, de quo in Numerorum c. XXXV. agitur. Piget ruſpari, quomodo numerum trium probent, qui ultra viginti ſunt in minore Synedrio. Liquere cuivis poteſt, non eſſe ea ἀκριβέστερα, quam ſunt altera. Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα. Qua verò ἀκριβείᾳ numerum viginti trium probarunt, eâ etiam probarunt numerum LXX & unius. Ex eo, quod Moyſes conſtituit LXX viros, qui indignantem ac rebellantem populum unà cum ipſo reprimerent, colligere conati ſunt iſti, Moyſem conſtituiſſe collegium LXX judicum, qui graviores cauſas unà cum ipſo dijudicarent, hocque collegium usque ad poſtrema Reip. tempora perpetuâ cooptatione duraſſe. Sed de Rabbinis non adeò mirum eſt, ipſos iſtum in modum fuiſſe nugatos; cum & de cætero plurima conficta prodiderint, idque à Viris doctis ſatis ſit animadverſum. Adſcribam de ipſis judicium magni Caſauboni ex exercitatione XVI contra Baron. num. VIII. *Rabbinis*, inquit, *ubi de linguâ Hebraicâ agitur, & vocis alicujus proprietate, vel aliquo Talmudico inſtituto, meritò à Chriſtianis tribuitur non parum: ubi verò à verbis venitur ad res, aut ad hiſtoriam vel rerum antiquarum veteris populi explicationem, niſi falli & decipi volumus, nihil admodum eſt illis fidei habendum.* Gemina his ejuſdem Viri produximus

duximus ſuprà. Id mirum eſt, eosdem Viros doctos, qui Talmudicas nugas ſatis agnoverunt, non modò id accredere Rabbinis, quòd hi proximis ſeculis, quæ ipſorum ætatem anteceſſerant, Hieroſolymis Synedrium aliquod LXXI judicum fuiſſe prodiderunt; ſed etiam in eo conſentire iisdem, quod tale Synedrium jam inde à Moyſis temporibus exſtitiſſe putarunt. Sanè in iſto loco, in quo iſtius Synedrii inſtitutionem ſe deprehendere credunt, nihil admodum de tali re eſt proditum.

XXVII. Sunt deinde & alia nonnulla, in quibus Synedrii magni veſtigia quærunt. Verùm ſi rectè ea expendantur, tantum abeſſe intelligetur, ut de iſtiuſmodi Synedrio in illis agatur, ut contrà liquidò ex iis appareat id quod nos volumus, Synedrium tale divi Moyſis & proximis ſequentibus ætatibus minimè exſtitiſſe. Nos nunc porrò diſputabimus & illa. Ante tamen conſideremus, quæ divi Moyſis autoritas tum fuerit, cum LXX Viros ipſe jam allegiſſet. Apparet ejus poſt illa nihilominus ſingularem quandam & præcipuam manſiſſe autoritatem. Idque non uno argumento conſtare poteſt. Paulò poſt allectos LXX Viros, cum jam veniſſent ad Kadesbarnea usque, juſſit Deus exploratores antè in Palæſtinam ablegare, quàm in eam penetrarent toto agmine. Tum verò non LXX Viris, ſed ſoli Moyſi, ut aliàs factum fuerat, expoſitum fuit mandatum. Initio c. XIII Numerorum de eo hæc ſunt verba: *Mitte Viros, qui conſiderent terram Canaan, quam daturus ſum filiis Iſraël, ſingulos de ſingulis tribubus; ex principibus. Fecit Moyſes, quod Domi-*

Dominus imperaverat, de deſerto Pharan mittens principes Viros. Longo poſt tempore, cum quadraginta ferè annis in deſertis Arabiæ commorati jam eſſent, ac tandem aliquando per Edomitarum regionem penetrare vellent in Palæſtinam, legati ad Regem Edomitarum miſſi ſunt non à LXX Viris, ſed à Moyſe. De eo eſt in Num. cap. XX. *Miſit interea nuncios Moyſes de Kades ad Regem Edom*. Cum deinde bellum gerendum eſſet cum Midianitis, Deus itidem ſoli Moyſi expoſuit mandatum, ut legere eſt Num. XXXI.

XXVIII. Nunc porrò conſiderabimus ea, quæ de judiciorum formâ leguntur in Deuteronomii capite XVI & XVII. Hæc enim & ipſa credunt talia eſſe, in quibus Synedrii magni veſtigia appareant. Priuſquam Hebræi in Palæſtinam penetrarunt, expoſuit ipſis Moyſes, quomodo cauſæ dijudicandæ eſſent, cum in ipſam Palæſtinam jam veniſſent. Ut rectiùs res intelligatur, adſcribam ex prædictis capitibus nonnulla. In extremo decimo ſexto hæc leguntur: *Judices & Magiſtros* (שופטים ושוטרים) *conſtituens in omnibus portis tuis, quas Dominus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas, ut judicent populum juſto judicio*. In decimo ſeptimo deinde v. 8. & ſeqq. hæc ſequuntur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*, ובאת אל הכהנים הלוים ואל

ואל השפט אשר יהיה בימים ההם ודרשת והגידו לך את דבר המשפט : ועשית על פי הדבר אשר יגידו לך מן המקום ההוא אשר יבחר יהוה ושמרת לעשות ככל אשר יורוך וגו׳ *Venieſque ad Sacerdotes Leviticì generis* (Levitas, qui ex tribu Levi ſunt oriundi) *& ad judicem, qui fuerit iſto tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem. Et facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram.* והאיש אשר יעשה בזדון לבלתי שמוע אל הכהן העומד לשרת שם את יהוה אלהיך או אל השופט וגו׳ *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Poſtrema hæc perperam ſunt verſa, & mentem ſacri ſcriptoris non exprimunt. Debent autem verti atque diſtingui hoc modo: *Quicunque ſuperbus aut contumax fuerit, & noluerit obedire Sacerdoti, qui ſtat ad miniſtrandum Domino Deo tuo, aut judici* (qui erit iſto tempore, ut in ſuperioribus) *moriatur Vir ille, & auferas malum de Iſraël.* Ex iſtis igitur omnibus apparet, in ſingulis civitatibus debuiſſe conſtitui aliquos, qui cauſas civiles dijudicarent: deinde ſi cauſa quæpiam difficilior eſſet, eam debuiſſe deferri vel ad Sacerdotes vel ad Judicem,

dicem, & ab his reſponſum juris debuiſſe referri.

XXIX. Sacerdotes in proximis ſuperioribus intelligendi ſunt iſti, qui in illo loco verſarentur, quem Deus elegiſſet, hoc eſt, in quo tabernaculum eſſet, & ſacra quoque munia obirent. Hoc ſatis intelligitur ex his: *Qui noluerit obedire Sacerdotis imperio, qui ſtat ad miniſtrandum ibi* (in ſancto) *Jehovæ Deo tuo* &c. Itemque ex iſtis, quæ præceſſerant: *Facies ſecundum verbum, quod indicabunt tibi de loco iſto, quem elegerit Jehova.* Inter eos verò primarius omnino eſt qui כהן גדול & ראש הכהנים appellari ſolet, quique ſacrum amiculum, in quo Urim & Thummim erat, geſtabat. Hinc factum videtur, ut in poſterioribus non πληθυντικῶς, ſed ἑνικῶς dicatur, *qui noluerit obedire imperio Sacerdotis*. Quæ ratio fuerit reſponſorum, quæ per Urim & Thummim dabantur, non ſatis liquet. Id verò certum eſt, ſummum Sacerdotem cum iſtud ſibi applicuit, per illud ipſum reſponſum dediſſe exquirentibus. Sed non ſemper illuſtri iſtâ ratione reſponſa videtur dediſſe ſummus Sacerdos. Apparet ex eo, quòd controverſiæ debuerunt referri ad Sacerdotes; non ad unum Sacerdotem ſummum. Nimirum cæteri Sacerdotes, qui præter ſummum fuerunt, non uſi fuerunt amiculo iſto, in quo fuit Urim & Thummim. Si igitur judicare quicquam debuerunt cæteri, neceſſe fuit judicare eos ſecundum leges ſcriptas.

XXX. Porrò in productis Deuteronomii verbis de Judice quoque eſt ſcriptum, debuiſſe nimi-

Digitized by Google

nimirum ad ipſum quoque difficiliores controverſias referri. In vulgatâ verſione verba ita ſunt expreſſa, ut Judex iſte à Sacerdotibus non intelligi poſſit diverſus eſſe. Ita enim habetur in illâ: *Ex decreto judicis morietur homo ille.* Sed in Hebræo eſt disjunctiva particula או quæ ſatis oſtendit judicem, qui ſignificatur, à Sacerdotibus diverſum eſſe. In priore autem verborum parte habetur ita: ואל השופט אשר יהיה בימים ההם *& ad judicem, qui erit iſto tempore.* In his litera ו non habet explanandi vim, ut nimirum ſignificet, judicem eſſe eundem cum Sacerdotibus. Sic enim incommoda foret ῥῆσις, *Venies ad Sacerdotes, Levitas, & ad judicem, qui erit iſto tempore:* propterea quòd de judice non ἑνικῶς, ſed πληθυντικῶς, quemadmodum de Sacerdotibus, debuiſſet dici. Deinde nec conjungendi vim habet litera ו, ut nimirum ſignificet, & ad Sacerdotes, & ad judicem debuiſſe deferri unam eandemque cauſam. Habet verò eadem litera in iſtis verbis vim disjungendi, ut idem valeat, quod particula או *aut.* Talem disjungendi vim habet item in aliis. Exempli cauſâ II. Sam. II. 19. *Non declinavit ad dextram* ועל *&* (vel) *ad ſiniſtram.* Prov. XXX. 8. ראש ועשר *paupertatem &* (aut) *divitias ne des mihi.* Nec aliter præfixum illud uſurpatur Exod. XII. 5. Exod. XXI. 15. Lev. VI. 3. Sed nec aliam vim obtinere poſſe in noſtris, ſatis apparet ex eo, quòd paucis interjectis pro præfixo ו ponitur ipſa disjunctiva particula או *aut.* Debuerunt igitur difficiliores

cauſæ deferri vel ad Sacerdotes, vel ad Judicem, qui iſto tempore futurus eſſet. Judex non poteſt alius eſſe ab iſtis heroibus, qui in libro Judicum commemorantur certis quibusdam temporibus à Deo excitati atque eximiis virtutibus inſtructi fuiſſe. Et illi quidem ſinguli exſtiterunt, ut ex dicto libro apparet. Idcirco in verbis Deuteronomii bis poſitum eſt ἑνικῶς, השופט. Sanè & illi, qui in ſingulis civitatibus cauſas dijudicarunt, שופטים *judices* dicuntur in extremo decimo ſexto capite Deuteronomii. Iſte verò, qui certis quibusdam temporibus à Deo excitatus fuit, κατ' ἐξοχὴν שופט *judex* appellatur. Sic & Carthagini ſupremos Magiſtratus *Suffetes* appellabant, tali nimirum nomine, quod ejusdem originis eſt, cujus eſt vox Hebræa. Nimirum Pœnorum linguam Hebrææ valde cognatam, ejuſque dialectum quandam fuiſſe, non uno argumento conſtare poteſt. Lege ſis elegantem diatribam de linguâ Punicâ, quam Vir ſummus, & amicus noſter Thomas Reineſius pridem edidit in publicum: itemque Samuelis Bocharti, Viri itidem ſummi opus, quod nominibus Phaleg & Canaan inſcripſit. Feciſſe verò Judices ita, ut in Deuteronomio præſcriptum erat, ex libro Judicum, & primo Samuelis liquere poteſt. De Samuele, illorum judicum poſtremo, legimus in extremo ſeptimo cap. libri I. Samuelis: *Judicabat quoque Samuel Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos, circumiens Bethel, & Galgala, & Maſpah, & judicabat Iſraëlem in ſupra dictis locis. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus.* Ex his apparet, non neceſ-

neceſſe habuiſſe eos, qui jure experiri vellent, Ramatham proficiſci, ubi Judicis domicilium fuit: ſtatis enim temporibus ipſum Judicem conceſſiſſe in certas quaſdam urbes, atque in his judicaſſe cauſas. Nec aliter videntur feciſſe cæteri Judices; quò nimirum moleſtias itinerum, quas plurimos neceſſe fuiſſet experiri, ipſe unus experiretur. Sed Judices iſtiuſmodi non quovis tempore exſtiterunt. Excitavit tales Deus certis modò temporibus, ut ex libro Judicum conſtat. Et disertè in eo ipſo libro non ſemel ſcriptum reperimus: בימים ההם אין מלך בישראל, *Illo tempore non erat Rex in Iſraël: quiſque faciebat, quod ſibi rectum videbatur.* Voce מלך autem ſignificari ibi Judicem talem, de quo diximus, nullum eſt dubium. Cum igitur non exſtiterunt tales, adeundum fuit ad ſolos Sacerdotes.

XXXI. Videamus nunc, an in verbis Deuteronomii, quæ expendenda ſumpſimus, Synedrii Magni appareat veſtigium. In iſtis verbis Judicem ſeparavimus à Sacerdotibus. Judex talis, quales Othoniel, Gideon, Samuel fuerunt, graviſſimas cauſas potuerunt ſoli judicare. Deinde eaſdem potuerunt etiam judicare Sacerdotes qui in loco ſancto ſacra munia obierunt. Si igitur Synedrii magni veſtigia ſunt in capite XVII Deuteronomii, Sacerdotes illud conſtituiſſe credendum eſt. Sed horum oportuit LXX eſſe, qui judicarent, ſi Synedrium magnum debuerunt conſtituere. Nam Synedrium illud vel LXX, vel uno ampliùs con-

 ſtitiſ-

ſtitiſſe prodiderunt Rabbini. Verùm enimvero tantum abeſt, ut tot Sacerdotes adeſſe debuerint, qui graviſſimas cauſas judicarent, ut vel ſolus ſummus Sacerdos id facere potuiſſe videatur; quemadmodum ſolus Judex potuit. Sanè, cum ſemel πληθυντικῶς dixiſſet ſacer Scriptor, *Venies ad Sacerdotes*, deinde ἑνικῶς loquitur, *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo &c.* Porrò, ſi plures fuerunt, qui judicare debuerunt, *omnes* tamen debuerunt Sacerdotes eſſe, atque adeò ex tribu Levi. Verba Moyſis ſunt: *Venies ad Sacerdotes, Levitas.* Atque inter illos primarius ſine dubio fuit Pontifex maximus. In Synedrium magnum, quod Herodis ætate fuit, non Sacerdotes modò, ſed & alii allecti fuerunt. Maymonides in hal. Sanhedrin c. 2. המצוה להיות בסנהדרין גדולה כהנים הלוים שנאמר ובאת אל הכהנים הלוים ואם לא מצאו אפילו היו כולם ישראל הרי זה מותר *Præceptum eſt ut ſint in Synedrio Magno Sacerdotes Levitæ, juxta id quod ſcriptum eſt: Et venies ad Sacerdotes Levitas*, Deut. XVII. *At ſi non inveniantur in illis, qui cooptari poſſint, ſed omnes ſint Iſraëlitæ, tamen ſatis legitimum eſt Synedrium.* Ex his Maymonidæ apparet, ipſum quoque in Deut. XVII. quæſiviſſe Synedrii Magni veſtigia; non aliter quam hodie faciunt Viri docti. Hi verò cum Maymonide & Talmudiſtis idem Synedrium credunt inſtitutum fuiſſe, cum Moyſes legere juſſus fuit LXX Viros, de quo eſt in Num. cap.

cap. XI. Componamus igitur Numerorum caput XI, & Deuteronomii XVII. In Deuteronomio præcipitur, ut graviores cauſæ ex ſingulis civitatibus referantur ad *Sacerdotes*, qui ſacra munia in loco ſancto obeunt. Hoc certiſſimum eſt, neque dubitare de eo licet. In Numeris autem, ut ſupra oſtendimus, non eſt præceptum, ut LXX Viri unà cum Moyſe graviores cauſas judicarent. Apparet itaque una diverſitas. Sed eſt & alia, nec parvi ea momenti. In Deuteronomio præceptum reperimus, ut graviores cauſæ ad *Sacerdotes* referrentur, eoſque *meros*, nec aliis permixtos. LXX autem Viri, quos Moyſes legere juſſus fuit in Num. XI, non fuerunt Sacerdotes, neque cum jam lecti eſſent, ſacerdotes fuerunt facti; ſed fuerant זקני העם ושוטריו *Seniores populi, & præfecti ſive judices ejus*, ut ſupra expoſuimus, atque adeò ſine dubio ex quibuſvis tribubus.

XXXII. Plurimum, ut apparet, eſt inter LXX Viros, quos Moyſes legit, & inter Synedrium Magnum, quod ætate Herodis fuit. Plurimum item inter iſtos judices, quorum in Deut. XVII. fit mentio, & idem Synedrium. Plurimum rurſus inter LXX Viros, quos Moyſes legit, atque illos judices, quorum in Deut. XVII fit mentio. Neque igitur eſt, quòd in componendis iſtis laboretur ampliùs. Et ſanè niſi perſuaſi fuiſſent Viri docti, in Num. XI. de Synedrii Magni inſtitutione agi: ne quidem in mentem ipſis veniſſet, in Deuteronomii cap. XVII. ejuſdem Synedrii quærere veſtigia. Cum autem eſſent perſuaſi de priore illo, ut Synedrii

ſucceſſionem oſtenderent, viſum fuit in Deut. XVII. veſtigia illa quærere. Quoniam oſtendi poteſt, collegium LXX Virorum, quod Moyſes inſtituit, non fuiſſe LXX judicum collegium, quod Synedrium magnum vocant: neque illa, quæ ſunt in Deuteronomio, magnum momentum obtinere poſſunt ad id, quod volunt probandum. Eſt autem & alius locus, in quo de Synedrio magno agi, Viri docti perſuaſum habent. Nimirum in Paralipomenon c. XIX eſt proditum, optimum Regem Joſaphatum de judiciis rectè conſtituendis multam curam ſuſcepiſſe; primò in ſingulis civitatibus conſtituiſſe judices: deinde Hieroſolymis conſtituiſſe quoſdam, qui de his diſpicerent quæ difficiliora eſſent, & ex cæteris civitatibus ad ipſos referrentur. Verba, quæ in ſacrâ hiſtoriâ ſunt, ita habent: *Conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis, per ſingula loca &c.* Alia, quæ paucis interjectis ſequuntur, hæc ſunt: *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas & Sacerdotes, & principes familiarum ex Iſraël, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus*, (ad judicium Domini, & ad controverſias) *præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationem* (inter ſanguinem & ſanguinem) *ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus* (de ſtatutis) *oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos: ſic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter,* in

Digitized by Google

in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias, filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent: habetiſque magiſtros Levitas coram vobis, confortamini & agite.

XXXIII. Iſtis igitur verbis de Synedrio magno putant proditum eſſe, quod inſtitutum ſit à Joſaphato. Nos ante omnia cogitemus, quanto intervallo Joſaphati ætas diſtet ab illo tempore, quo Moyſes pronunciavit ea, quæ de ſupremis judiciis ſunt in Deuteronomii decimo ſeptimo capite; quomodo item judicia interea temporis ſe habuerint. Scire licet, intervallum iſtud ſexcentorum ferè annorum fuiſſe. Nam inter exitum Hebræorum ex Ægypto & ædificationem templi à Salomone factam interceſſerunt CCCCLXXX anni, ut disertè ſcriptum eſt I. Reg. VI. 1. A quarto anno Salomonis, quo templum cœptum fuit ædificari, uſque ad initium, regni Joſaphati colliguntur centum circiter anni. Nam Salomon regnavit XL annis: XVII Rehabeamus: III Abia: XLI Aſſa, qui Joſaphati fuit parens. Qui igitur credunt, Synedrium magnum, hoc eſt collegium LXX judicum ſupremorum à Moyſe fuiſſe inſtitutum, ii putant quoque, iſtiuſmodi Synedrium perpetuâ cooptatione, non modò uſque ad tempora Joſaphati, ſed ad Herodis uſque ætatem duraſſe. Cogitemus autem, quomodo ſe res habuerint in Palæſtinâ intervallo ſexcentorum annorum, qui inter Moyſis ac Joſaphati ætatem interceſſerunt. Cum populus Hebræus in Palæſtinam penetraſſet, Joſua eodem pacto egit, quo Moyſes, hoc eſt, pe-

rinde ut Moyſes ad ſecretiora cum Deo colloquia admiſſus fuit; ac ut unus Moyſes ſingularem quandam ac præcipuam habuerat autoritatem, ita & Joſua. Omnem populum juſſerat Deus parêre Joſuæ, uti paruerat Moyſi, Num. XXVII. 18. Et id facturum ſe, idem populus profeſſus fuit, uti legere eſt in Joſuæ c. primo, & aliis. Moyſes in Hebræis tanquam Rex fuit, uti in Deuteronomio c. XXXIII legimus. Joſua igitur itidem tanquam Rex fuit. Judices item, qui poſt Joſuæ tempora fuerunt, Reges ſcimus appellatos eſſe. Vide libri Judicum c. XVII. 6. XVIII. 1. XIX. 1. Veri tamen nominis Reges non fuiſſe neque Moyſem neque Joſuam & Judices, ſatis conſtare poteſt. Nimirum ipſe Deus profitetur, dum Judices fuerunt, ſe ipſum Hebræorum egiſſe Regem. Vide I. Sam. VIII. hæc verba: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Cum igitur ſciamus, Joſuæ & Judicum iſtiuſmodi ſingularem & præcipuam fuiſſe autoritatem in Hebræis, haud proclive eſt credere ipſorum ætatibus Synedrium Magnum exſtitiſſe. Sanè ſi id exſtitiſſet, de hujus rebus geſtis in ſacris aliquam mentionem fuiſſe factam eſt veroſimile. Jam verò reperimus, ſi bellum gerendum eſſet cum hoſtibus, Judicum id factum fuiſſe auſpiciis; aut totum populum coiiſſe in unum, quemadmodum tum fecerunt, cum contra unam Benjamitarum tribum bellum gerendum fuit cæteris. Suprema item judicia ab ipſis adminiſtrata fuiſſe, ex ſacris literis ſatis conſtat. De Deborâ in quarto libri Judicum hæc habentur: *Sedebat ſub palmâ, quæ nomine ipſius vocabatur, inter*

inter Rama & Bethel in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filii Iſraël in judicium. Similiter de Samuele legimus in I. Sam. c. ſeptimo: *Ibat per ſingulos annos, circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & judicabat populum in ſupra dictis omnibus locis.* In ſingulis civitatibus ſine dubio judices fuerunt & præfecti, qui cauſas cognoſcerent, uti id præceptum fuerat in Deut. XVI. Si qua verò difficiliora eſſent, ea ex ſingulis civitatibus referenda alio fuerunt; vel ad Sacerdotes, qui in loco ſancto ſacra munia obibant, vel ad Judicem κατ' ἐξοχὴν ita dictum. Et habemus igitur exempla in paulò antè allegatis ſupremorum judiciorum, à Deborâ & Samuele, Judicibus, adminiſtratorum. Sanctus Samuel certis temporibus in quaſdam urbes ſe contulit, ne his, qui cauſas ad ipſum referre vellent, viarum intercapedo nimis gravis eſſet. Et ipſe unus ac ſolus judicavit; non cum quibuſdam collegis, qui una cum ipſo Synedrium LXX Virûm conſtituerent. Sic fecerunt & cæteri Judices. Qui ipſum anteceſſerat, Eli duplici nomine graviores cauſas cognoverat, & quòd Sacerdos, & quidem ſummus eſſet, & quod Judex. Non autem apparet, ipſum cum judicium adminiſtravit, LXX habuiſſe aſſeſſores ac collegas.

XXXIV. Cum Reges cœpiſſent creari, ſuprema judicia ad hos quoque pertinuerunt. In Deuteronomii capite XVII, cum de ſupremis judiciis poſita quædam eſſent, ſequitur mox de Regibus, & ad hos quoque fore aliquando ut ſuprema judicia pertineant, ſignificatur. Ipſa ſacri Codicis verba ita habent: *Cum ingreſſus*

Digitized by Google

fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & dixeris, conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum &c. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. In his Regi futuro divinæ legis lectio ſeverè injungitur ac demandatur; ut ſcilicet, ubi judicandum de cauſis eſſet, ex præſcripto divinæ legis judicaret. Cum uſu tandem veniret, ut Hebræi ſibi Regem poſtularent, factum id fuit his verbis ad Samuelem: תנה לנו מלך לשפטנו, *Da ſive conſtitue nobis Regem, qui judicet nos, ſicut univerſæ habent nationes.* Vide I. Sam. VIII. Mox deinde Samuel ab ipſo Deo facere juſſus fuit, quod petierant Hebræi. *Audi*, inquit Deus, *vocem populi in omni, quod dixerunt ad te.* Sanè & aliam ob cauſam, levem quidem illam, Regem ſibi petierant; ne ſcilicet abjectiùs de ipſis, quam de aliis gentibus, ſentiri poſſet. Quam quidem genuinam cauſam ipſis ingerit ſanctus Samuel his verbis: *Videntes, quòd Nahas, Rex filiorum Ammon veniſſet adverſum vos, dixiſtis, Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis: cum* (tamen) *Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* Vide caput XII libri Samuelis. Satis clare idem quoque apparet ex capite VII ejuſdem libri. In eo habentur verba He-

Hebræi populi, quæ is pronunciavit, cum Samueli dicto audiens eſſe non ſuſtineret, hæc puta: *Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque, ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra.* Inter alia, ut apparet, allegant judiciorum quoque adminiſtrationem. Et illorum quidem ſupremorum. Cæteroquin & in ſingulis civitatibus judices tum fuerunt. Obtinuerunt igitur, quod petierant. Et ſuprema judicia penes Reges poſt illa utique fuerunt. Quomodo tempore Davidis cauſæ ac lites ex cæteris urbibus in regiam fuerint relatæ, id optimè intelligitur ex cap. XV. libri II. Samuelis. Proditum ibi eſt de Abſolomi malis artibus; quòd ſcilicet eos, qui ad Regem ire, ac jure experiri vellent, retraxerit, ac ſibi conciliarit; ſciſcitando primùm, ex quanam veniſſent civitate, & cum reſponſum accepiſſet, judicium regium calumniando. Salomonem, Davidis filium ac ſucceſſorem, cauſas cognoviſſe, ſatis conſtat. Sic fecerunt & cæteri. Sed ut aliàs unus Rex quibuſvis graviſſimis cauſis ritè dijudicandis non ſolet par eſſe, & propterea collegium judicum inſtituere, qui ſimul juncti nomine Regis de talibus diſpiciant: ita & in Hebræis uſu veniſſe veroſimile eſt. Non omnes Reges fuerunt Davides & Salomones; ſi ſapientiam ſpectes. Si verò ſat habuiſſent ſapientiæ, non tamen ſingulorum, credo, ea patientia fuit, ut quaſlibet cauſas cognoſcendi ſibi ipſis operam ſumpſerint. Joſaphatum quidem legimus magnificum judicum collegium inſtituiſſe Hieroſolymis. Sic veroſimile eſt feciſſe

ciſſe & alios. Sed quomodo collegium iſtud ſe habuerit, nunc tandem conſiderabimus attentiùs.

XXXV. Memorat ſacer ſcriptor, Joſaphatum conſtituiſſe judices in ſingulis civitatibus: deinde Hieroſolymis inſtituiſſe collegium judicum, quod cauſas cognoſceret, quæ ex cæteris urbibus ad ipſum referrentur, difficiliores nimirum & non ſatis liquidi juris. Apparet illud conſtitiſſe tum Sacerdotibus ac Levitis, tum quoque talibus, qui ex aliis eſſent tribubus. Recolamus modò verba: *In Jeruſalem conſtituit Levitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſraël ut judicium & cauſam Domini judicarent* (ad judicium Domini & controverſias, hoc eſt, ut juxta legem, cauſas ac controverſias judicarent.) Deinde paucis interjectis hæc ſequuntur: *Amarjas autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinet, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ex his apparet, collegium iſtud duos habuiſſe moderatores, quorum ſingularis quædam ac præcipua fuerit autoritas in diverſorum generum cauſis dijudicandis. Amarias, ſummus Sacerdos moderator & præſes judicii fuit, ſi diſpiciendum eſſet de his, quæ ad Deum pertinent: Zabadias autem, Dux tribus Judæ, moderator ac præſes fuit, cum de iis judicandum fuit, quæ ad Regis officium pertinuerunt. Quidam, quòd viderent, binos moderatores ac præſides fuiſſe conſtitutos, putarunt, non unum, ſed duo judicum collegia à Joſaphato conſtituta fuiſſe. Sed falſi ſunt, noſtro quidem

dem judicio, qui ita crediderunt. Verba ſacri Scriptoris, quæ paulo antè tranſcripſimus, ſatis clarè oſtendunt, fuiſſe unum modò inſtitutum. In verſiculo VIII. cap. XIX. libri II. Paralip. conjunguntur Sacerdotes & Principes familiarum. Quibus ita junctis Rex præcepit his verbis, quæ ejuſdem cap. verſiculus X ſunt: *Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter ſanguinem & ſanguinem, ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de ſtatutis, oſtendite eis &c.* His ſatis apparet omnes controverſias comprehendi, eaſque referri debuiſſe ad iſtos, quos Rex junctos alloquitur, quique adeò unum idemque collegium conſtituerunt.

XXXVI. Quòd verò ſummus Sacerdos moderator conſtitutus fuit judicii de rebus Dei habendi; Dux tribus Juda autem moderator judicii de Regis rebus habendi, id neminem movere debet. Diſtinctionem inter cauſas Dei & cauſas Regis, licet & alibi obſervare. Nimirum I. Par. XXVI. hæc legimus: *De Hebronitis Haſabjas & fratres ejus Viri fortiſſimi mille ſeptingenti præerant Iſraëli trans Jordanem contra occidentem*, לכל מלאכת יהוה ולעבודת המלך *in cunctis operibus Domini & in miniſterium Regis.* Paucis interjectis ſequuntur iſtis ſimilia: *Præpoſuit autem eos David Rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiæ tribui Manaſſe* לכל דבר האלהים ודבר המלך *ad omnem rem Dei & ad omnem rem Regis.* Ex his apparet,

ret, & res ſive cauſas Dei, & res Regis curaſſe unos eoſdemque. Quidni igitur utrique rerum generi præeſſe potuerit unum idemque collegium judicum? Porrò quænam res Dei dicantur, quænam item Regis, diverſè conjiciunt Viri docti. Nobis convenientiſſimum videtur, res Dei dicta eſſe omnia illa, de quibus ex divinis legibus judicari potuit: res ſive negotia Regis autem, de quibus ex iiſdem judicari non potuit, quæque arbitrio Principis fuerint permiſſa. Non ſanè licuit Principi quaſvis novas leges, abrogatis veteribus, ferre. In Deuteronomio, ubi de Rege, qui futurus eſſet, præcipitur, hoc eſt, in c. XVII, inter alia Rex etiam jubetur divinas leges evolvere, & obſervare omnia, quæ ab ipſo Deo ſancitâ fuerant. Nimirum omnes iſtæ leges, quas ipſe Deus tulerat, vim habuerunt juris naturalis in Hebræorum Republicâ. Et quemadmodum hodie Princeps peccat, ſi quid ſanciat, quod juri naturali adverſatur: ita & in Hebræorum Rep. nefas fuit conſtituere quidquam, quod divinis legibus adverſaretur. Sed non omnia fuerunt liquidi juris: neque legibus divinis omnia fuerunt definita. De quibus igitur non liquere potuit ex divinis legibus, ea, ut dixi, Principis arbitrio videntur permiſſa fuiſſe, & deinde horum quoque quos Princeps ſuâ vice jus dicere juſſit. Ex quo etiam intelligitur, licuiſſe Regi Hebræorum novas leges ferre; dummodò veteribus, ab ipſo Deo latis, non adverſarentur illæ. Si enim licuit de ſingularibus conſtituere, licuit item legem ſancire, ſecundum quas aliæ conſimiles cauſæ deciderentur.

tur. In libro Eſræ quoque, cap. VII. legem Dei & legem Regis diſtingui reperimus, ac ſecundum utramque res debuiſſe geri. Verba diplomatis quod ibi habetur, hæc ſunt: *Omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo ſive in mortem, ſive in exilium* &c. Videntur ſanè hæc disjunctivè eſſe intelligenda; debuiſſe nimirum agi ex præſcripto legum divinarum, aut, ſi his de quibuſdam non eſſet definitum, ex legum regiarum præſcripto.

XXXVII. Apparuit equidem, Regem Joſaphatum inſtituiſſe Hieroſolymis magnificum judicum conſeſſum. Quem an credemus prorſus eundem fuiſſe cum Synedrio magno, de quo Rabbini prodiderunt? Et an credemus, tum demum, cum Joſaphatus regnaret, inſtitutum fuiſſe Synedrium magnum, quod poſtea perpetuâ cooptatione duraverit ad Herodis uſque tempora? Sanè Moyſis ætate id inſtitutum fuiſſe non reperimus. Neque Judicum ætatibus iſtiuſmodi Synedrium fuit, ut itidem expoſitum à nobis eſt. Cum Reges cœpiſſent exſiſtere, non negabimus, ſolitos ipſos fuiſſe concilium judicum inſtituere in urbe regiâ, ad quod graviores cauſæ ex aliis urbibus referrentur. De Joſaphato clarè id proditum eſt in libris Paralipomenωn. Tale verò collegium iſti Synedrio magno, de quo Rabbini prodiderunt, non abſimile fuit. Synedrium M. Rabbini ſcribunt, in primariâ Palæſtinæ urbe conſediſſe: & ad illud relatas fuiſſe inter alia graviſſimas quaſque cauſas quæ in ſingulis civitatibus non potuerint decidi. Sic & de concilio judicum,

quod

quod Joſaphatus inſtituit, conſtat ex ſacris; conſediſſe illud Hieroſolymis, & ad illud graviſſimas cauſas fuiſſe relatas. Tantùm illud liquere non poteſt, in concilium quod Joſaphatus inſtituit, congreſſos fuiſſe ipſos LXX aut LXXI Viros, quemadmodum in Synedrium Magnum. Neque enim hoc prodidit divinus ſcriptor. Viri docti, cum primùm cogitaſſent, Synedrium aliquod LXX judicum in Rep. Hebræâ jam tum ætate Moyſis cœpiſſe inſtitui, ut continuationem ejuſdem Synedrii in ſacris literis oſtenderent, dixerunt ejus mentionem fieri etiam in II. Paralipomenωn capite XIX; & tacitè id quoque voluerunt dictum, concilium iſtud, quod Joſaphatus inſtituit, ipſos LXX aut LXXI comprehendiſſe. De Regibus, qui Joſaphatum ſecuti fuerunt ad captivitatem Babylonicam uſque, veroſimile item eſt in urbe regiâ habuiſſe eos quendam judicum conſeſſum, ad quem ex cæteris urbibus controverſiæ fuerint relatæ. De numero autem τῶν LXX vel LXXI, qui in concilia iſtiuſmodi congreſſi fuerint, parum itidem liquere poteſt.

XXXVIII. Conſideremus etiam, quomodo poſt Babylonicam captivitatem, cum Hebræi in Palæſtinam reduces eſſent facti, judicia ſe habuerint in eâ gente. Sanè, cum templum ædificandum eſſet tempore Cyri; Zerubabel, ex regiâ ſtirpe oriundus, & Jeſua ſummus Sacerdos, præcipuâ autoritate valuerunt, ac operas ædificantium fuerunt moderati. Poſt horum verò tempora ſumma autoritas fuit penes tales, qui itidem Duces eſſent populi, aut ſummi Sacerdotes. Cum Nehemias permiſſu

Artaxerxis Longimani in Palæſtinam migraret, fuerant jam plures פַּחוֹת *Duces*; non unus modò Zerubabel, ut Ill. Scaliger aliquando contenderat. Intelligi licet ex Nehemiæ cap. V. v. 15. Nehemias verò tum & ipſe ab Artaxerxe conſtitutus fuit פֶּחָה *Dux*, *Præfectus*. Poſtremorum Perſiæ Regum temporibus non videtur aliquis exſtitiſſe in Hebræâ gente, qui ſummo Sacerdoti vel autoritate vel poteſtate æquipolleret. Cum Alexander M. indignabundus Hieroſolyma contenderet, Jaddua ſummus Sacerdos ei obviam proceſſit pontificali habitu indutus, & Alexandrum appropinquantem illicò percelluit ac placavit. Atque hujus, tum temporis præcipuam fuiſſe autoritatem inter ſuos, apparet ex eo, quòd cum de Alexandri rebus geſtis audiſſet, ipſe curam geſſit, quâ ratione cum Alexandro agendum eſſet. Adſcribam ipſa Joſephi verba, quæ ſunt in extremo libro XI. Antiquitatum: *Jaddus Pontifex poſtquam hoc audivit* (Tyrum & Gazam expugnata eſſe ab Alexandro) *ſolicitus hærebat, inops conſilii, nec inveniens, quomodo Regem deberet excipere, iratum eò, quod antea neglexiſſet imperata ejus facere.* Longo pòſt tempore, cum Ptolemæus Evergetes rerum potiretur in Ægypto, ſummum Sacerdotem eandem autoritatem habuiſſe apud ſuos, liquidò apparet ex rebus geſtis Oniæ, Simonis Juſti filii. De hoc prodidit Joſephus in libro XII. Antiq. c. IV. ipſum detrectaſſe Ptolemæo Evergetæ, Regi Ægypti tributum pendere, ut Hebræi Regibus Ægypti pendere jam antea ſoliti fuiſſent; & cum idipſum indignatus eſſet Rex Ægypti, ac Hebræis pericu-

lum inde immineret, reprehenſum fuiſſe à nobili quodam juvene, cui nomen fuerit Joſepho. Quædam ipſius Joſephi de iſtis verba hæc ſunt: Ἐλθὼν (ὁ Ἰώσηπος) εἰς τὴν πόλιν, ἐπέπληττε τῷ Ονίᾳ, μὴ προνοουμένῳ τῆς ἀσφαλείας τῶν πολιτῶν, ἀλλ' εἰς κινδύνους τὸ ἔθνος βουλομένῳ περιςῆσειν διὰ τὴν τῶν χρημάτων ἀποστέρησιν, δι' ἃ καὶ τοῦ λαοῦ τὴν προστασίαν λαβεῖν αὐτὸν ἔλεγε καὶ τῆς ἀρχιερατικῆς τιμῆς ἐπιτυχεῖν, *Veniens in urbem invectus eſt in Oniam; qui non curaret ſecuritatem publicam, ſed, modò pecuniis parcat, conjiceret in periculum populum, à quo & Reip. adminiſtrationem, & pontificalem honorem acceperat.* Paucis interjectis hæc ſequuntur: Τοῦ δὲ Ονίου μήτε ἄρχειν θέλειν ἀποκρινομένου, καὶ τὴν ἀρχιερωσύνην δ' εἰ δυνατὸν, ἑτοίμως ἔχειν ἀποθέσθαι λέγοντος, *Onia verò dicente, neque principatum ſe morari, & pontificatum etiam, modò liceat, libenter ſe depoſiturum* &c. Ex his utique ſatis apparet, ſingularem & præcipuam ſummi Pontificis fuiſſe autoritatem ac poteſtatem; adeo ut ipſi ſeorſim commiſſa fuerit tributi penſio. Dicitur habuiſſe προστασίαν τοῦ λαοῦ Pontifex iſte: & ipſe dicit ſe non cupere ἄρχειν. Quomodo igitur credemus ſe habuiſſe judicia in Palæſtinâ, inde ab inſtauratione templi uſque ad ejus profanationem ab Antiocho Epiphane factam. Sanè qui Hebræos remigrare permiſerunt in Palæſtinam, iidem ſine dubio & hoc permiſerunt, ut reducibus Hebræis in Palæſtinâ jus redderetur. Cum Artaxerxes Longimanus divum Eſram permitteret in Palæſtinam ire, idem Rex & hoc mandavit, ut Eſras Judices ac Præfectos conſtitueret in Hebræis. Vide modò caput VII. lib. Eſræ. Fuiſſe tum quoque

inſti-

inſtitutum quendam judicum conſeſſum, qui Hieroſolymis eſſet, eumque de graviſſimis cauſis, quæ ex cæteris civitatibus ad ipſum fuerint relatæ, judicaſſe, non ſanè ἀποτόμως nos negabimus. De numero tamen eorum, qui Hieroſolymis ſupremi Judices ſederunt, non perinde liquere poteſt; an puta ipſos LXX aut LXXI Viros habuerit, quot in Synedrium M. congreſſos fuiſſe Rabbini prodiderunt. Certè in ſacrâ hiſtoriâ ac in Joſepho de tali numero nihil admodum reperimus.

XXXIX. Ut tandem, quod ſentimus, apertè profiteamur, dicimus Synedrium magnum, de quo Rabbini prodiderunt, videri formam iſtam de quâ iidem prodiderunt, ſub Haſmonæis demum, & poſt profanationem templi ab Antiocho Epiphane factam, accepiſſe. Fallor an huc pertinet, quòd in Codice Sanhedrin de Haſmonæi cujuſdam δικαστηρίῳ legimus? Verba Gemaræ ejus Cod. cap. IX. ita habent: רב דימי אמר בית דינו של חשמונאי גזרו הבא על הזונה חייב על משום נשגא: *R. Dimi retulit, Senatum Haſmonæi ſanciviſſe, ut qui rem habet cum proſtibulo, reus ſit reſpectu menſtruatæ, ſervæ, paganæ, nuptæ* (ut quadruplici reatu ad pœnam obligetur.) Videmus hîc de Senatu ſive δικαστηρίῳ Haſmonæi proditum. Senatus Haſmonæi omnino videtur ita dictus eſſe, quòd ab Haſmonæo quodam eſſet inſtitutus. Quem autem putabimus Haſmonæum illum eſſe, qui dicaſterium quoddam inſtitue-

 rit?

rit? Notum eſt cum Hebræi ab Antiocho Epiphane crudeliſſimè tractarentur, Matthiam quendam, ex ordine Sacerdotali, excitaſſe ſuam gentem ad defendendum patrios ritus. Iſte Matthias in Thalmude aliiſque Judæorum ſcriptis vocatur חשמונאי *Chaſmonaï*. Vide ſis, quæ Cl. Coccejus collegit in notis ad Cod. Sanh. Fl. Joſephus Matthiam iſtum prodidit fuiſſe υἱὸν Ἰωάννε, τ̃ Συμεῶνος, τ̃ Ἀσαμωναίε, in lib. XII. Antiq. c. 9. Alibi etiam Ἀσαμωναίε υἱὸν vocat, nim. in libro I. de bello Judaico c. 1. Idem verò Joſephus, qui ſcripſit, Matthiam fuiſſe filium aut nepotem Aſamonæi, hunc & ipſum Ἀσαμωναῖον vocat. Porrò & ipſi Matthiæ poſteri השמונים ἀσαμωναῖοι dicuntur. Et ſanè ſignificatio vocis, quam vulgo tradunt Viri docti, & in Matthiam, & in hujus item poſteris apprimè competit. Credunt nimirum, eam vocem ſignificare *principes*, *præfectos*, eſſeque cognatam voci חשמנים, quæ eſt in Pſal. LXVIII. v. 32. & ſine dubio *Præfectos*, *Duces*, *Principes* ſignificat. Atque ea ſententia nobis quoque non diſplicet. Quod item de etymo vocis tradit Cl. l'Empereur, id ſatis concinnè videtur conjectum eſſe; vocem puta formatam eſſe à duabus radicibus Hebræis חשה *revereri*, & מנה *præficere*; quarum prior obſoleverit quidem; veſtigium tamen ſui, ut multa alia, in Arab. ling. habeat. Quis verò primus dictus fuerit חשמונאי *Chaſmonæus*, de eo cogitemus. Joſephi verba, quæ ſunt in lib. XII. Antiq. c. 8. videntur id ſignificare, Matthiæ avum Symeonem, iſtud habuiſſe cognomen.

Cum

Cum Symeoni primùm inditum eſſet cognomen iſtud, videtur idem poſtea ad ejus poſteros fuiſſe derivatum, quòd & ipſi res bene gererent, atque igitur vis nominis in eos quoque competeret. Quem verò credemus hunc fuiſſe, qui בית דין δικαστήριον, *conſeſſum judicum* inſtituit? Avumne Matthiæ? an verò potiùs ipſum Matthiam, aut hujus filios? Omnes iſtos השמונאי ἀσαμωναίους fuiſſe dictos, ex Joſepho & Rabbinis conſtare poteſt. Malimus tamen nos originem δικαστηρίου iſtius ad Matthiam aut ad hujus filios referre; ut hi inſtituerint, cum Antiocho fortiter reſtitiſſent, & palatam gentem ſuam coëgiſſent rurſus. Porrò δικαστήριον illud, quod Matthias, aut hujus filii inſtituerunt, eſſe ipſum Synedrium Magnum, valde veroſimile fit ex eo, quod utrumque בית דין appellatur. Synedrium M. paſſim ita appellari, ex his quoque, quæ nos ſupra exſcripſimus, ſatis apparet. Matthiæ autem δικαστήριον ita appellatum reperimus in verbis Cod. Sanhedrin, quæ paulo antè allegavimus.

XL. Si igitur credimus, Synedrium M. temporibus Haſmonæorum demum inſtitutum fuiſſe, credibile item eſt, Rabbinos de eo vera potuiſſe prodere. In illis, quæ ipſorum ævo non fuerunt proxima, qualia ſunt, quæ ad hiſtoriam ſacram V. T. pertinent, non temere ipſis credendum eſſe Viri docti ſæpè monuerunt. Ita igitur nos fecimus, cum negavimus, Synedrium M. ut ipſi volunt, à Moyſe fuiſſe inſtitutum. In his autem, quæ ævo ipſorum

proxima fuerunt, magis creduli illis ſumus. Tunc cum Hyrcanus Rex eſſet, exſtitiſſe Synedrium quoddam Hieroſolymis, quod magnam autoritatem habuerit, vel certè habere debuerit, oſtendimus ſupra ex Joſephi libro XIV. Ἀρχαιολ. cap. XVII. Coram eo Synedrio comparere tum oportuit Herodem Antipatri filium, cum is juvenili adhuc ætate eſſet, & latronem Ezechiam, inconſulto Rege Hyrcano, & Synedrio occidiſſet. Quòd item Synedrium iſtud ſatis diu ante Herodis tempora exſtiterit, & maximam habuerit autoritatem, id intelligi licuit ex eo, quòd, cum Herodes non eam, quam par fuiſſet, reverentiam exhibuiſſet Synedrio, Sameas παῤῥησίᾳ uſus, hunc in modum diſſeruit: *Nec ipſe unquam vidi quenquam, qui ad cauſam apud nos dicendam vocatus ad hunc modum comparuerit, nec vos puto poſſe proferre hujuſmodi quempiam: ſed quiſquis hactenus apud hunc conſeſſum judicandum ſe præbuit, humilis venit, &c.* Vide ea in prædicto libro ac capite Joſephi. Quomodo ætate Alexandri Jannæi, Hyrcani patris, Synedrium ſe habuerit, id ferè intelligi licet ex hiſtoriâ quadam Talmudicâ, quæ eſt in Gemarâ Cod. Sanhedrin, cap. 2. Adſcribam totam ex verſione Cl. Cocceji: *Servus Jannæi Regis homicidium commiſerat. Simeon filius Schatach hortabatur ſapientes* (Συνέδρους) *ut id animadverterent, & judicium de eo haberent. Hi mandant* (notum faciunt) *ipſi* (Regi:) Servus tuus, homicidium perpetravit. *Mittit illum. Mandant ei denuo:* Tu ipſe quoque ſiſtas te & teſtimonium accipias. Nam de heris lex ait: Veniet poſſeſſor bovis, & con-

Digitized by Google

conſiſtet juxta bovem ſuum, Exod. XXI. 29. *Venit, aſſedit: Tum Simeon filius Schetach ad illum converſus:* Rex Jannai, *inquit*, ſurge in pedes tuos, tum teſtimonium in te dicetur. Neque putes, te coram nobis ſurgere, ſed coram eo, quo jubente mundus exiſtit. Q. D. Stabuntque duo illi Viri, quibus lis eſt, &c. Deut. XIX. 17. *Tum ille*, Non ex tuo juſſu, *inquit*, ſed pro eo quod cenſebunt collegæ tui. *Converſus dextrorſum & ſiniſtrorſum, vidit omnes in ſolum oculos defixiſſe, quibus Simeon:* Vosne cogitabundi? Futurum eſt, ut cogitabundus aliquis vos ulciſcatur. *Confeſtim Gabriel illos humi afflixit, ut ita omnes animam efflarent.* Ex his apparet, tum, cum Haſmonæi ſe jam Reges appellaſſent, & regium ſumpſiſſent diadema, Synedrium aliquod exſtitiſſe, hujuſque tantam fuiſſe autoritatem, ut Rex Jannæus coram eo comparuerit ad cauſam dicendam. Hæc credo ita geſta fuerunt, cum Jannæus nondum inclementius cœpiſſet conſulere in aliquot millia hominum. Pòſt verò, cum ipſi in feſto Scenopegias ſacra munia obeunti exprobratum fuit, quod captivus olim detentus fuiſſet à fratre Ariſtobulo, & poſt hujus obitum demum è carcere dimiſſus regnum accepiſſet, quo ipſo ad ſummum ſacerdotium ineptus eſſet redditus, indignans id ipſum Jannæus, ſex circiter millia hominum trucidari juſſit, uti id ex Codice Kidduſchin & Fl. Joſephi libro XIII. Antiq. c. 21. intelligi licet. Cum deinde & bello per aliquot annos appetitus eſſet à ſuis, trucidavit L millia. Cum denique rebelles prorſus ſubegiſſet, ſibi ſuiſque

pellicibus epulantibus DCCC homines, cruci ſuffixos juſſit ſpectaculo eſſe, ut in cap. XXII. libri XIII. Antiquitatum legimus. Cum ita ſæviret Alexander Jannæus, non tamen Synedrium prorſus ſuſtuliſſe videtur, ſed id manere ampliùs permiſiſſe. Apparet ex eo, quod tempore filii ejus Hyrcani idem adhuc exſtitit, & autoritatem habuit. Veruntamen, poſtquam ſævus cœperat eſſe Alexander, autoritati Synedrii, quod ipſo adhuc ſuperſtite fuit, multum deceſſiſſe veriſimile eſt. Cum autem jam obiſſet diem ſuum, potuit idem Synedrium priſtinam ac genuinam autoritatem commodè recuperare. Tum enim Alexandra, Jannæi uxor, popularem auram captare neceſſe habuit. Joſephus in XIII Antiq. c. 24. de eo hæc habet: *Alexandra juxta mariti monita Phariſæos allocuta eſt, & omnia illorum arbitrii faciens quæ ad cadaver* (defuncti Regis Jannæi) *vel ad regnum pertinerent, ex infenſis benevolos eos ſibi reddidit.* Paucis interjectis: Τὸ μὲν οὖν ὄνομα βασιλείας εἶχεν αὐτὴ, τὴν δὲ δύναμιν οἱ Φαρισαῖοι, *Nomen regni erat penes reginam, penes Phariſæos autem potentia. Nam hi exulibus redditum, & vinctis ſolutionem procurabant.*

XLI. Cum tandem, amotis his, quibus regnum competebat, ad Herodem ἀλλόφυλον id devolutum eſſet, trucidavit Herodes omnes iſtos, qui in Synedrium M. congreſſi fuerant, exceptis Pollione & Sameâ. Vide quæ ſupra Num. XIII. ex Joſepho produximus. Accepit Herodes regnum Judææ à Senatu Romano, paucis annis poſt exceſſum Julii Cæſaris, Olympiade CLXXXIV, procurante Antonio, uti Joſe-

Joſephus prodidit in libro XIV. Antiq. cap. 24. Circa iſta igitur tempora aſſeſſores Synedrii M. trucidati fuerunt ab Herode. Ὁ γὰρ Ἡρώδης, inquit Joſephus, τὴν βασιλείαν παραλαβὼν πάντας ἀπέκτεινε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ, καὶ Ὑρκανὸν αὐτὸν χωρὶς τοῦ Σαμέου. Vide lib. XIV. c. 17. In alio loco, ut ſupra oſtendimus, prodidit idem Joſephus, vitâ donatum fuiſſe & alium quendam, cui nomen fuerit Pollioni, quique Sameæ fuiſſet præceptor. In Codice Talmud. *Bava bathra*, proditum item eſt, Herodem cum regnum occupaſſet, interfeciſſe omnes Magiſtros, excepto uno quodam, qui Baba filius Bota ibidem appellatur. Cum ita aſſeſſores Synedrii pleroſque omnes è medio ſuſtuliſſet Herodes, idem deinde alios legit, qui idem Synedrium conſtituerent. Septuaginta circiter annis poſt ea tempora, cum Salvator noſter in his terris ipſe doceret, exſtitit adhuc Synedrium. Quod tum ex aliis, tum præcipuè ex his Salvatoris noſtri verbis ſcire licet: ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. Sunt ea in cap. V. S. Matthæi. Diſtinguuntur in iſtis verbis ἡ κρίσις & τὸ συνέδριον. Utrumque iſtorum vocabulorum concilium judicum ſignificare poteſt: & in iſtis Salvatoris noſtri verbis omnino quoque ſignificat. Apparet autem, poſteriorem cœtum, quem συνέδριον appellat Salvator, majorem autoritatem habuiſſe, quam priorem. Et iſte poſterior cœtus nomine συνεδρίου κατ' ἐξοχὴν utique appellatus eſt. Quod igitur optimè confirmat ea, quæ de Synedrio M. prodita ſunt à Rabbinis. Quem cœ-

tum judicum hi Synedrium minus vocant, is à Salvatore noſtro κρίσις appellatur. Quem verò Synedrium majus iidem Rabbini vocant, hunc Salvator συνέδριον appellat κατ᾽ ἐξοχήν.

XLII. Ampliùs obſervandum eſt, quod de migrationibus Synedrii M. prodiderunt Rabbini. Propria ſedes iſtius Synedrii fuit in לשכת הגזיה *conclavi cæſi lapidis*, quod ad unum templi Hieroſolymitani latus fuit, uti jam ſupra expoſuimus. Iſtud conclave tandem neceſſe fuit relinqui, ac in alium locum, in quo conſideretur, concedere, & quidem לחניות in *tabernas*. In Gemarâ Cod. Talmudici Abodah Zara de eo ita legitur: ארבעים שנה עד לא חרב הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחניות *Quadraginta annis ante excidium templi migravit Synedrium* (ex conclavi cæſi lapidis) *& conſedit in tabernis*. Cl. Buxtorfius in Lex. Talmud. Rabb. p. 1513. ex talibus collegit, Synedrium XL annis ante excidium ſublatum fuiſſe: quod quidem nobis non liquet. Tabernæ iſtæ, in quibus conſeſſum fuit, cum conclave cæſi lapidis reliquiſſent, fuerunt in eodem monte, in quo ipſum templum, circa ſanctuarium. R. Nathan dicit, חניות *tabernas* fuiſſe מקום חוץ מלשכת הגזית כהר הבית *locum extra conclave cæſi lapidis in monte templi.* Factam prodiderunt migrationem Synedrii XL annis ante excidium templi. Atque igitur in ea tempora incidit

mi

migratio, quibus Salvator noſter in Palæſtinâ ipſe docuit. Annus excidii fuit ſeptuageſimus primus epochæ Chriſtianæ. Annus paſſionis Chriſti fuit trigeſimus quartus ejuſdem epochæ. Si igitur XL annis ante excidium templi migratio Synedrii facta fuit, eadem facta quoque fuit ante paſſionem Chriſti, & paucis quidem annis; cum nimirum ut dicebam, Chriſtus in Palæſtinâ docuit. Porrò circa eadem tempora דיני נפשות *judicia capitalia* etiam adempta fuerunt Synedrio. Maymonides hal. Sanh. c. XIV. ארבעים שנה קודם חרבן בית שני קטלו דיני נפשות מישראל אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו הסנהדרין ולא היו שם במקומן : *Quadraginta annis ante vaſtationem templi ſecundi ablata ſunt judicia capitalia ab Iſraël; quamvis ſanctuarium adhuc duraret; propterea quòd Sanhedrin migravit, & non amplius fuit in loco ſuo.* Ex iſtis igitur apparet, judicia item capitalia jam ante Chriſti paſſionem Synedrio adempta fuiſſe. Hoc planè illud eſt, quod ipſi Judæi faſſi ſunt, cum Salvatorem ad ſupplicium rapere contenderent. Dixerunt quidem, ut eſt in Evang. S. Johannis c. XVIII: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, *Nobis non licet interficere quemquam.* Quod autem proditum eſt, XL annis ante excidium urbis judicia capitalia adempta fuiſſe Synedrio, id intelligendum eſt de mero imperio, ut JCti loquantur, ſive de poteſtate mandandi, ut illud fiat, quod æquum & juſtum

ſtum eſſe judicatum fuit. Poteſtas cognoſcendi de criminibus, iiſque pœnam ſtatuendi, quam juriſdictionem vocant, Synedrio poſtea quoque manſit. Quod ex verbis Judæorum ad Pilatum ſatis intelligi licet. Ἡμεῖς, inquiunt, νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν.

XLIII. Ex tabernis, in quas ex conclavi cæſi lapidis conceſſerant, migrandum porrò aliò fuit. Maymonides in hal. Sanhedrin: וכנסת קלקלה השורה גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות. גלו וסופן לטבריא ומשם לא עמד בד״ גדול עד עתה: *Congregatio* (Synedrium M.) *pervertit lineam, migrarunt de loco in locum, & in decem loca migrarunt, & ultimus eorum fuit Tiberias, & ab illo tempore non extitit Synedrium uſque ad hæc tempora.* Decem iſtarum migrationum priores intra urbem conſtiterunt. Primò enim ex conclavi cæſi lapidis conceſſum fuit in tabernas. Ex tabernis deinde in montem ſanctuarii, hoc eſt, paulò longiùs à templo: ita tamen, ut in ipſo monte manſum fuerit. Ex monte ſanctuarii porrò in urbem conceſſum fuit, hoc eſt, in aliam urbis partem, alium ejus collem. Atque huc pertinere videntur, quæ ſupra Num. XVI. ex Joſephi Antiq. lib. XX. c. 8. produximus. Synedrium iſtud, quod Rex Agrippa coëgit; quod item Ananus, ſummus Pontifex, non potuit congredi in veterem Synedrii locum, conclave puta cæſi lapidis. Agrippa aliquot annis poſt paſſionem Chriſti Rex conſtitu-

ſtitutus fuit. Migratio Synedrii autem ex conclavi cæſi lapidis, jam ante Chriſti paſſionem facta fuerat, ut paulò ante oſtenſum eſt. Sic neque Synedrium illud, de quo in Act. V. legimus, in conclavi cæſi lapidis congreſſum fuit. Nam & ipſum coactum fuit poſt paſſionem Chriſti. Cum tandem excidium urbi immineret, cumque id factum jam eſſet, ex urbe ſanctâ neceſſe fuit migrare in alias. Primò igitur migratum fuit Uſcham; deinde Jaſnen, alioque. Poſtremò Tiberiade conſedit R. Jehuda, quem *ſanctum* vocant. De migrationibus iſtis legere eſt in Cod. *Roſch haſſchanah.* In Gemarâ Cod. Sanhedrin exſtat vetus traditio R. Jehudæ, non ſancti illius, ſed alterius cujuſdam, filium Davidis, hoc eſt, Meſſiam tum venturum, cum poteſtas Synedrii imminueretur, ac Synedrio in varia loca migrandum eſſet. Quam quidem traditionem hîc etiam legi, non præter rem fuerit. Habet autem ita: ר' יהודה אומר דור שבן דוד בא בו בית הוועד יהיה לזנות גליל יחרב והגבלן ישתומם ואנשי גבול מעיר לעיר יסובבו ולא יחוננו וחכמת הסופרים תסרח וכו' *R. Jehuda dixit, iſto tempore, quo filius Davidis venturus eſt, domus congregationis* (לשכת הגזית *conclave cæſi lapidis*) *erit lupanar, Galilæa deſolabitur, Gabalene vaſtabitur, homines limitum* (territorii terræ ſanctæ, qui in Synedrium M. congrediuntur) *migrabunt de urbe in urbem, neque obtinget illis miſeratio. Sapientia ſcribarum putebit.* Quæ in hac

hac traditione habentur, ea quoque ita fuiſſe facta, cum verus Meſſias, filius Davidis venit, ex Talmudicis ſcriptis ſcire licet. Proditum nimirum in illis eſt, Synedrium M. ex vetere ſuo conclavi migraſſe in aliud, XL. annis ante excidium templi, hoc eſt, cum verus Meſſias jam veniſſet, ac in Palæſtinâ ipſe doceret. Non multo pòſt quoque ex ſanctâ urbe migratum fuiſſe in alias, ex aliis locis Talmudicis ſcire licet. Egregiè, ut apparet, iſta R. Jehudæ traditio facit ad confundendos Judæos, & ad demonſtrandum ipſis, Meſſiam ante multa ſecula jam apparuiſſe.

XLIV. Cum Hieroſolymis non amplius conſidere licuit Synedrio magno, & Jaſnen ac in alias urbes migrandum fuit, an tum Synedrium totidem ſemper habuerit Viros, quot habuerat antea Hieroſolymis, non ſatis liquet. Aliquem autem, quem *Naſi* dicerent, tum quoque deſtinare ſoluti fuerunt, uti olim. R. Jehuda הקדוש *ſanctus*, qui in ſecundo ſeculo poſt Chriſtum natum vixit, ac נשיא quoque inter ſuos fuit, cum morti vicinus videretur, apud congregatos ad ſe Magiſtros hunc in modum diſſeruit: אל תספדוני בעיירות והשיבו ישיבה לאחר שלשים יום שמעון בני חכם גמליאל בני נשיא חנינא בר חמא ישב בראש: *Ne lugeatis me in urbibus, & convenite rurſus in Synagogam poſt triginta dies. Simeon filius meus ſit ſapiens:* (id dignitatis fuit nomen) *Gamaliel filius meus ſit Naſi*

(prin-

(princeps) *Chanina filius Chama præſideto.* Leguntur ea in Cod. Kethuboth cap. XIII. In ſeculo ampliùs tertio & quarto Judæi itidem ſuos נשיאים *principes* habuerunt in Palæſtinâ: qui & ראשי הישיבה in Rabbinorum ſcriptis appellantur. Græci verò & Latini ſcriptores, qui iisdem ætatibus vixerunt, eos appellant πατριάρχας, *Patriarchas.* Sic & Judæos, qui in Ægypto egerunt, quod Hebrææ L. imperiti eſſent, Patriarchas eos appellaſſe veriſimile eſt. Vide quæ Vir ſummus Samuel Petitus in Obſervationum ſuarum libro tertio, cap. III. de Patriarchis illis prolixè ac eruditè diſſeruit. Inter alia ibi habentur bellæ δεύτεραι φροντίδες, Judæorum Patriarcham fuiſſe unum modò, in Palæſtinâ degentem; non plures. In aliis provinciis fuerunt etiam utique, qui ſuis præeſſent: non tamen Patriarchæ, ſed alio nomine fuerunt appellati, & ad Patriarcham aliquam pecuniæ ſummam mittere ſoliti fuerunt. Id ſatis intelligi licet ex quadam Theodoſii junioris conſtitutione, quæ eſt in Codicis Theod. libro ultimo, & ita habet: *Judæorum primates, qui in utriuſque Palæſtinæ Synedriis nominantur, vel etiam in aliis provinciis degunt, quæcunque poſt exceſſum Patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſolvere. In futurum verò periculo eorundem anniverſarius canon de Synagogis omnibus Palatinis compellentibus exigatur, ad eam formam, quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine poſtulabant. Quæ tamen quanta ſit, ſolerti inquiſitione diſcutias, & quod de occidentalibus partibus*

bus Patriarchis conferri conſueverat, largitionibus noſtris inferatur. Sed plura de his vide iis in eo, quem demonſtravi, loco. Nobis nunc longioribus eſſe non libet.

XVIII.

XVIII.

VETERUM
RABBINORUM
IN EXPONENDO PENTATEUCHO
MODI TREDECIM.

Quorum explicatio lucem maximam afferet iis qui legem accuratè volunt interpretari, & ſcripta Rabbinorum facilè intelligere.

Digitized by Google

EPISTOLA AD LECTOREM BENEVOLUM.

Tranſlatio Epiſtolæ Hebraicæ Latinè, quæ hunc librum clauſit.

Singulari ſtudio à me contenderunt viri quidam ſapientes, & intelligentia præditi, viri quos familiæ nobilitas commendat, quique magiſtratus gerunt, Principes, & illuſtri loco poſiti, iique probi, & ſtudioſi, atque aſſiduè libris dediti, quorum intellectus atque oculi inſtar Solis & Lunæ lucent: quorum pedes leves ſunt inſtar cervarum: qui leonibus fortiores ſunt, & aquilis altiores ut dicant in tempore ſuo laſſo verbum, verba, inquam, Dei viventis pura ac munda: Os eorum ſtillat reſinam, galbanum, & cynnamomum: omnèque id genus pulverem aromatarii circumferunt, & adolent in holocauſtum ei qui dixit, & fuit, *effunditque ſanguinem ſuum inſtar aquarum in circuitu Jeruſalem ut eam redimeret, noſque ſervaret à beſtia mala: ſine quo nulla fuiſſet ſpes ſalutis. Ecce iſti ſunt qui petierunt à me ut onus allevarem, & perſpicuam, atque expeditam* (Periphraſis Chriſtianorum. Periphraſis Chriſti Domini.)

aliquam viam excogitarem, quæ velum, ac tenebras excuteret, ac difficultates quæ paſſim Rabbinos legentibus obviæ ſunt, ſolveret: petierunt, inquam, ut de multis conarer benè mereri educendo aquas de rupe rebellium, extinguendo ignem, atque ardorem deſiderii fixi, ac infixi in animo magnatum (qui à me ut hoc opus aggrederer poſtularunt,) *revelando ſecreta abſcondita, removendo offendiculum ab oculis eorum qui ſtudent, atque operam ſuam collocant in commentariis & libris ſapientum Iſraël: ut nimirum modus ac ratio teneatur, quam illi in ſuis commentariis ſequuntur, ſicque lex ejúſque præcepta atque ſtatuta manifeſta fiant: cùm hactenus minimé patuerint non dico mentem illorum aſſequi, ſed ne quidem illos à limine ſalutare. Non potuerint, inquam, ſatis intelligere quid ſibi vellent, aut ſentirent de lege, ejus ſecretis iiſque quæ ad illam pertinerent, ita ut hucuſque fuerit tanquam hoſpes & aliena in faſtidium, deſerta, ac derelicta, nec fuerit uſquam repertus qui Rabbinorum libros legerit in juſtitia, déque iis vère judicaverit. Imò reperias quam plurimos qui mel legis in abſynthium convertant, ut jam eam veluti pudore atque ignominia ſuffuſam cernere liceat, nec Madiantis abſimilem, ſitque illis veluti viſio omni ex parte obſcura, & tanquam literæ obſignatæ, atque inſtar belli navalis* (eis metum incutiat) *deficiatque ſplendor ejus, ac tenebræ undique cernantur, non ſecus at-*

Inutilitatem è Rabbinorum commentario.

L. intellexerit.

atque die aliquo obſcuro ac nubilo, propter locutiones eorum nimirum breves, & in quibus multa ſupplenda ſint. Interdum quoque magna & illuſtria quædam myſteria ſubobſcurè ſignificant. Interdum videas eos parabolis atque ænigmatibus gloriosiùs ſuperbire, neque verò ſemper planè loqui, ſed diſſimulare quædam, obſcuros admodum propter ſtyli ac rei multiplicem varietatem, interdum una eademque voce multa complectentes: Adeo ut qui eos vident ſtatim judicent, ac clament, videre quæſo hunc, Profectò ſtultus eſt ſtultus alliciens, nec niſi in ſtultitiis verſatus; cùm ſint nimirum eorum mores ac ſtatuta ab aliis nationibus longè diverſiſſima. Quæ cùm ita ſint, mens certè hominis minor eſt, quàm ut poſſit eorum mentem penitus aſſequi. Mihi crede ab eorum inſtituto quàm longiſſimè abeſt. Hæc cauſa eſt cur lacertum meum excuſſerim, animum confirmaverim, & accinxerim me ut currerem poſt præcepta eorum, præſertim cùm viderem voluntatem eorum ſpectare Dei gloriam, omnindque eſſe rectam, & rationi conformem. Idcircò applicui animum meum ut exædificarem legi præmunitionem ac murum, & lacum inter duos muros: ut, inquam, apponerem vectem, ac portas, munirémque arcem ejus: ut lucere eam facerem, efficerémque puram, atque mundam: ut eam perſpicuè edocerem, ejuſque honori ac decori ſervirem, quò ii qui ambulant in ſemitis ſapientiæ ad obeundum miniſterium in omne opus ſanctum comedant

Ad verb. cœnaculum parietis parvum inſtar volæ viri: hac periphraſi cerebrum Hebræis ſignificant.

dant de fructu ejus, exſugant, bibant, & decore uberum, necnon lacte & pinguedine ejus delectentur, manducent de fruſto ejus, cubent denique in ſinu ejus. Propter hoc enim Deus illam dedit, & in umbra manus ſuæ abſcondit, in tabulis lapidis perfecti, & juſti deſcripſit, palam atque in loco publico eam tradidit, ut omnium ex æquo eſſet, communis omnibus, qui ea opus haberent ut ſalutem ſuam operarentur, non quemadmodum dicunt Iſraëlitæ qui ſemper rectum pervertunt, Hebræi, inquam, qui veluti ebrii caecutiunt, & declinant poſt pravitates ſuas, Judæos dico imbecilles, pravis perditiſque moribus, paratos ſuſcitare Leviathan, quippe qui hauriant ſpiritus neſcio quos impuros, atque immundos, ſibique ſolis perſuadeant terram hanc eſſe conceſſam; oculi illis ſunt, nec tamen vident. Hæc eſt ratio propter quam in explicanda lege obſcurè loquantur, nec ideò illa facilè propagari queat. Ac certè illis probro ac vitio vertitur, quòd tam ſtultè ſeſe gerant; ſibique ipſis ignominiam ea ratione accerſant. Quamobrem ſtatui ponere obliqua in rectum, & viam Deo juvante munire: atque exordiar ab iis quæ faciliora ac magis neceſſaria videbuntur, ut aliquandò ad difficiliora me accingam. Hoc ergò tempore in primis perficiam ſi potero ut clarè & perſpicuè enarrem tredecim locos quibus lex poteſt explicari, qui quidem tibi ad adyta ac penetralia legis aditum patefaciant. Sunt enim veluti claves

Nimirum in deſerto.

Paulò aliter ad verb.

Ad verb. mittunt ad naſum ſuum fœtorem.

quæ-

quædam, & generalia præcepta perutilia & neceſſaria iis qui accedunt ad taberna-culum Domini, & palatia deliciarum ſtu-dioſè viſitant: perutilia, inquam, & ne-ceſſaria ut illi verum ſenſum aſſequi, & ea loca ſcripturæ inter ſe conciliare valeant quæ ſibi invicem videntur repugnare, dignoſ-cántque ac decernant verum à falſo, atque legitimum ab illegitimo.

Periphraſ eorum, qui ſacris litteris ſtudent.

Habes hîc, Lector benevole, tredecim illos modos, quos per immenſum Talmudis opus diſperſos R. Iſmaël magna induſtria compilavit, & in unam veluti ſummam collegit.

Digitized by Google

Rabbi Iſmaël dicit, Tredecim modis lex explicari poteſt.

Primus, *vocatur, à levi grave.*
Secundus, *à decreto æquali.*
Tertius, *ab ædificio patris ex uno Scripturæ textu, & ædificio patris ex duobus Scripturæ locis.*
Quartus, *à generali, & particulari.*
Quintus, *à particulari, & generali.*
Sextus, *generale & particulare, & generale. Non potes judicare niſi ratione particularis.*
Septimus, *à generali, quod eget particulari: & à particulari, quod eget generali.*
Octavus, *Omnis res, quæ erat in generali, & exivit è generali ad docendum, non ad docendum ſuper ſeipſam exivit, ſed ad docendum ſuper generale tota ea exivit.*
Nonus, *Et omnis res, quæ erat in generali, & exivit ad ratiocinandum rationem alteram, quæ eſt ſecundum negotium (ſeu ſubjectum) ſuum, exivit ad levius, non autem ad gravius faciendum.*
Decimus, *Et ſi ad ratiocinandum rationem alteram, quæ non eſt ſecundum ſubjectum ſuum exivit ad levius, & gravius faciendum.*
Undecimus, *Et omnis res, quæ erat in generali, & exivit ut judicetur de re nova, non potes tu eam redire facere ad illius generale, donec redire eam fecerit (ſeu revocaverit) Scriptura ad generale perſpicuè.*
Duodecimus, *Res quæ docet ex ſubjecto ſuo, & res quæ docet ex fine ſuo.*
Decimus tertius, *Duo loci Scripturæ inter ſe repugnant donec veniat tertius Scripturæ locus, & ſolvat (ſeu judicet) inter eos.*

רבי ישמעאל אומר · בשלש עשרה מדות התורה נדרשת:

א׳ מקל וחומר:

ב׳ מגזרה שוה:

ג׳ מבנין אב מכתוב אחד · ובנין אב משני כ כתובים:

ד׳ מכלל ופרט:

ה׳ מפרט וכלל:

ו׳ כלל ופרט וכלל · אי אתה דן אלא בעין חמרט:

ז׳ מכלל שהוא צריך לפרט · ימפרט שהוא צריך לכלל:

ח׳ כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד לא ללמד על עצמו יצא · אלא ללמד על הכלל כלו יצא:

ט׳ וכל דבר השיה בכלל ויצא לטען טען אחר שהוא כעניינו יצא להקל להחמיר:

י׳ ואם לטען טען אחד שלא בעניינו יצא להקל ולהחמיד

יא׳ וכל דבר השיה בכלל ויצא לידון בדבר חדש · אי אתה יכול לחחזירו לכלו עד שיחזירנו הכתוב לכללו בפרוש:

יב׳ דבר הלמד מעניינו · ודבר הלמד מסופו:

יג׳ ושני כתובים המכחישין זה את זה · עד שיבא הכתוב חטלישי ויכריע ביניהם:

Digitized by Google

TREDECIM MODORUM

QUIBUS EXPLICARI POTEST SACRA SCRIPTURA.

Explanatio latior & facilior;

Ex variis Rabbinorum libris, ac præſertim Talmud, Miſchuah, Siphra, & Jalkut deſumpta.

PRimum modum, quem in explicanda Lege RR. Obſervant, his duobus vocabulis exprimunt, קל וחומר *Kal vakomer*; verbum è verbo verteris, Leve & Grave: Dialectici exponerent locum à comparatione Minorum, vel Majorum. Nam hac formula R R. Utramque enuntiationem à Minori nimirum ad Majus; aut contrà, à Majori ad Minus complexi ſunt: ſed ab ea quæ frequentius in ſacris paginis occurrit, nomen impoſuêre. Res iſta quanquam per ſe ſatis nota; quò tamen notior fiat, hoc exemplo illuſtrari poteſt. Si lembus geſtando oneri 100. pondo ſufficit; multò magis oneraria navis eidem oneri 100. pondo geſtando ſufficiet. Aut ſic inverſa enuntiatione. Si geſtando oneri 100. pondo navis oneraria

raria non ſufficit, multò minus ſanè lembus ſufficiet. Ex ſacris paginis Rab. exempla nobis proponunt. Ac prioris quidem Enuntiationis, qua nimirum à Minori ad Majus concluditur, eſt illud, ex cap. 12. 14. Numeror. *Dixit. Dominus ad Moſem: Si pater ejus ſpuiſſet in faciem illius*, 1. Mariæ; *nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſt ea revocabitur.* Id eſt, Si ſoror tua Maria à patre reprehenſa deberet rubore ſuffundi, & per ſeptem dies fugere patris aſpectum: quantò magis illa, inquit Deus, à me objurgata, præ verecundia Majeſtatem meam, quæ ſub ſpecie nubis in Caſtris apparet, extimeſcere debet. Ejiciatur ergo ſeptem diebus extra caſtra.

Poſterioris autem, quæ à Majori ad Minus inducit, exemplum petitur, ex Geneſ. 4. 24. *Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies ſepties* Cujus loci ex R R. Interpretatione hæc eſt ſententia. Si Cain, qui fratrem per ſummum invidiæ ſcelus interfecit, iſtius facinoris pœnas non niſi poſt ſeptem generationes dedit. Ego, ait Lamech, qui Cain quidem occidit, ſed imprudens, & nihil tale cogitans, non luam pœnas niſi poſt 77. generationes.

Non celabo te inter plures *Kal vahomer* modos, quos Rab. agnoſcunt duos eſſe, qui familiam ducunt. Alterum appellant קל וחומר מפורש *Kal vahomer mephoras*, id eſt, dilucidum. Alterum verò קל וחומר מתום *Kal vahomer ſatum*, id eſt, obſcurum. Dilucidi exemplum

plum habes, apud Jerem. 12. 5. *Si cùm peditibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis?* Obſcuri autem ex Pſal. 15. 24. *Juravit affligens ſe, & non mutavit.* In Midras Samuel hic locus enarratur, quem vide. Uno verbo, ex auctore iſto ſic interpretare. Si in iis, quæ lædunt, homo juſjurandum conſervavit; quantò magis in iis, quæ non lædunt, conſervabit?

I I.

SEcundus modus גזרה שוה *Gezera ſcava* dicitur (ſignificant hæc verba decretum æquale.) Aliter etiam ab Hebræis appellatur הלכה למשה מסיני *Halaca lemoſe mi Sinai*, id eſt, Traditio Moyſis è monte Sinai. Reſpondet Argumento, quod à Pari Dialectici vocant. Elici verò è ſacris paginis hac ratione præceperunt RR.

Cùm in duobus Scripturæ locis eædem dictiones repetuntur, quas tamen ad ſententiam nihil facere, planeque ſupervacanea eſſe animadvertas, tum ajunt iſti Rab. ex his, velut ex quibuſdam ſignis & notis, conjectari te poſſe latere ibi Gezera ſcava, id eſt argumentum à pari. Exemplum proponunt ex cap. 22. Exod. v. 7. *Cùm dederit quiſpiam proximo ſuo argentum, vel vaſa, ad cuſtodiendum, & furto ablatum fuerit, è domo ipſius, ſi inventus fuerit fur, reddet duplicia: ſi non inventus fuerit fur, accedet dominus*

nus domus ad Judices , אם לא שלח ידוה SI NON MISIT MANUM SUAM *in opus ſocii ſui.* Et paulò pòſt eodem cap. verſ. 10. *Si dederit quis ad ſocium ſuum vel bovem vel aſinum, vel agnum, & omne animal ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit, vel confractum, vel alabaſtrum nemine vidente, juramentum domini erit inter ambos eos*, אם לא שלח ידו SI NON MISIT MANUM SUAM *in opus proximi ſui.*

Horum locorum ſententia, ſi attentè cogitateque expendatur, dictionibus iſtis *(ſi non miſit manum ſuam in opus proximi ſui)* planè redundat: nam ſi illæ è medio tollantur, integra nihilominus ſemper remanebit. Et hìc obſervant, quod niſi iſtæ dictiones eſſent ſuperfluæ, oratio malè cohæreret, ac ſibi ipſi repugnaret. Conſequeretur enim, ut una & eadem res à fure, neſcio quo, & ab eo homine apud quem depoſita fuerat, diceretur ablata; quòd ſanè abſurdum videtur. Igitur ſi ſuperfluæ ſunt, & redundant; indicant ex hoc textu erui poſſe argumentum à pari. Quod etiam R R. ſic eruunt; Quemadmodum boum, aſinorum, &c. animalium cuſtos, tenebatur, ut lex expreſſis verbis jubet, jurare ejuſmodi animalia vel mortua vel abacta fuiſſe; ita depoſitarius & ſi lex expreſſis verbis non præcipiat, eadem jurisjurandi pœna, ſive religione tenetur.

Monent autem iſti R R. quoties in utroque Scripturæ loco ſupervacaneæ ſunt dictiones, ita neceſſariò colligi rationem à Pari, ut doctrinam hanc nemo poſſit refutare. Quòd idcircò monent: Quia ſi contingat, ut dictiones in uno

no loco ſint ſuperfluæ, in alio verò neceſſariæ; docent ejuſmodi argumentum à Pari ex his colligi quidem, ſed poſſe refutari. Hujus generis exemplum petunt ex Levit. c. 6. 18. *Si comedendo comeſtum fuerit de carne ſacrificii pacificorum ejus in die tertia non acceptus erit, appropinquare faciens illud non reputabitur illi. Corruptum erit & anima comedens ex eo,* INIQUITATEM SUAM PORTABIT.

Et ex cap. 19. 7. *Si comedendo comeſtum fuerit in die tertio corruptum illud non acceptabitur, & comedens illud* INIQUITATEM SUAM PORTABIT; *quia ſanctitatem Domini polluit, & excidetur anima ipſa è populis ſuis.* In utroque loco eaſdem dictiones obſervant, ſed ea diſtinctione legunt: ut in priore agnoſcant illas omninò neceſſarias, in poſteriore non item. Hinc ergo à pari concludunt. Quod mortis pœna æquè intelligenda eſt in priore textu, ubi non expreſſa, ac in poſteriore ubi expreſſa. Hîc tamen ſi quis acumine ingenii præditus validis rationibus oſtendat ineptè id concludi, ille erit audiendus, & ejus rationes expendendæ.

Quærere hîc potes; ſi illæ eædem dictiones in utroque loco fuerint neceſſariæ, quid ex iis conſequetur. *Reſp.* Rab. nihil ubi fuerint ſic neceſſariæ, ex iis conſequi, concludive.

Notarunt autem duo diligenter obſervanda. Primùm enim tradunt non fieri Gezera ſcava, niſi cùm de eadem materia agitur; ut patet ex propoſitis exemplis. Unde etiam, fit ut idem feratur judicium.

Deinde ſi in foro judiciali res aliqua diſceptranda eſt, aſſerunt non aliam Gezera Scava,

id

id eſt Rationem à Pari fingere vel excogitare licere ab ea, quæ à Moſe per manus ad nos pervenit.

III.

TErtius modus vocatur אחר בנין אב מכתוב *Binian ab micatub echad*, id eſt, Ædificium patris ex uno Scripturæ textu: cujus quidem nominis ratio facilè ex iis, quæ ſequuntur, intelligetur. Nam R R. hunc modum formant ex obſervatione unius loci, ex qua ajunt colligere ſe, quemadmodum alios locos, qui in eodem ſubjecto ſeu materia verſantur, oporteat explicare. Eſt enim celebre apud eos axioma; S. Scripturam non uti repetitione; ſed ut plurimùm brevitate gaudere: ita tamen, ut ſi plures fuerint loci, ob rem de qua tractant, inter ſe affines, uni ex illis id apponat, quod omnibus debeat inſervire. Exempli gratia. In pluribus locis Moſes hanc vel illam jam igne abſumendam præcepit: nec tamen iſtud noctune an interdiu faciendum eſſet in ſingulis declaravit, ſed tantùm in uno, nempe Levit. cap. 4. v. 17. ubi ſic ſcriptum. *Et reſiduum de carne ſacrificii in* DIE *tertio igne comburetur*. Rabbini annotatâ, quæ hoc loco expreſſa eſt temporis circunſtantiâ, concludunt, quamcunque uſtionem à Moſe juſſam interdiu faciendam eſſe. Ex his aperta eſt ratio nominis iſtius, *Binian ab michatub echad*. Nam ut ſic, pingui Minerva, loquar; hic textus, *Et reſiduum de carne*, &c.

parat

Digitized by Google

parat ædificium, ad quod alii textus ſeſe recipiunt, ibique, quam interpretationis formam debeant inducere ab eo, ut à parente filii, accipiunt.

Cæterùm, ut ex uno textu modum hunc colligis, ſic ex duobus atque etiam de re diſpari tractantibus, colligere te poſſe iidem R R. contendunt: & ob eam cauſam illam appellant: בנין אב משני כתובים *Binian ab miſne chetubim*, id eſt, ædificium patris ex duobus Scripturæ locis. Sed tum in iſtis duobus locis præcipuum quoddam vocabulum requirunt, quo veluti communi vinculo illi iſti loci conjungantur. Deinde diligenter attendunt illud, quod cuique textui ſive loco peculiare eſt: poſtea ſimul componunt, conjunguntque; & ex illa conjunctione tamquam pronunciatum aliquod efficiunt, quo & utrumque locum, & cæteros, in quibus præcipuum illud vocabulum reperietur, exponunt. Tota iſta res exempli appoſitione clarior reddetur. Audias igitur ex Numeror. 5. 2. *Præcipe filiis Iſraël, emittant è caſtrametatione omnem leproſum, & omnem fluentem, & omnem immundum. Et fecerant ſic filii Iſraël.*

Et ex Levit. 24. 2. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum olivæ purum, contuſum pro luminari ad accendendum lucernam*, &c. *Statutum præceptum perpetuum erit in generationibus veſtris.*

Primùm tradunt R R. in his duobus Scripturæ locis diverſis de rebus tractari.

Deinde præcipuum illud verbum, quo velut nodo loci iſti connectuntur, jubent attendi; atque illud eſt (*Præcipe*) Hebraicè צו *tſau.*

Tertiò in priore loco, quod obſervant Peculiare, illud eſſe dicunt: *Et fecerunt ſic*: quibus verbis tempus præſens ſignificari ajunt, & eâ ipſâ horâ, qua datum eſt à Moſe præceptum, huic filios Iſraël obtemperaſſe; & è papilionibus nullâ interpoſitâ morâ leproſos & immundos ejeciſſe interpretantur.

In poſteriore verò quod annotant peculiare, illud eſſe aſſerunt, *Præceptum perpetuum erit in generationibus*; quibus verbis futurum tempus intelligunt: Dicunt enim ex ſacris paginis argui probarique non poſſe eo ipſo tempore, quo Deus mandavit, accenſum fuiſſe candelabrum. Hæc ergo duo, quorum alterum tempus præſens, alterum futurum reſpicit, ſimul conjungunt; & ex conjunctione illa iſtum modum, *Binian ab miſne chetubim*, componunt, quo docent non tantùm iſta duo præcepta, ſed & alia, quæ per præcipuum illud verbum *tſau*. Id eſt, Præcipe, data fuere, Populo Iſraëlitico propoſita fuiſſe cùm in præſens, tum in futurum tempus obſervanda.

Eadem via procedunt in aliis exemplis colligendis, dicuntque iſta, quæ fortaſſe videbuntur ſubtiliora, eorum tantùm palatum ferire; qui Hebraicæ linguæ delicatiores epulæ quantum ſapiant, probè norunt.

I V.

QUartus modus nominatur: כלל ופרט *chelal uperat*, id eſt, generale, & particulare.

culare. Hoc enim modo illud, quod genus eſſe videtur (ut utar Dialecticorum verbis) ad eas tantùm partes ſeu ſpecies, quæ in textu nominatæ ſunt, reſtringunt; nec ad alias extendi poſſe dicunt.

Exemplum ex Levit. cap. I. v. 2. obſervant: *Loquere* (inquit Deus) *ad filios Iſraël, & dices ad eos, Homo cum obtulerit ex vobis oblationem Domino de* ANIMALI, *de* BOVE *& de* PECUDE *offeretis oblationem.*

Hoc loco, nomen בהמה quod Latinè Animal vertitur, genus agnoſcunt; quod, in ſacris paginis tam de domeſticis beſtiis, quàm de feris dicatur. Bovem & Pecudem iſtius generis partes eſſe, ſive ſpecies nemo negaverit. Ergo docent RR. præceptum iſtud Moſi datum intelligendum tantùm eſſe de his ſpeciebus, quæ nominatæ fuerunt, & ad eas revocandum τὸ בהמה, id eſt Animal, Generis nomen. Unde per iſtum modum contendunt è feris ſive belluis ſylveſtribus non licuiſſe rem ſacram facere. Ut ex illis revera nullum fiebat ſacrificium.

Quod ſi objeceris immolato hœdo rem ſacram feciſſe veteres; Reſpondent RR. pecudis nomine hœdum contineri.

V.

QUintus modus ſuperiori contrarius vocatur: מפרט וכלל *miperat uclal*, id eſt, Particulare, & Generale. Fit autem, cùm

 ſpe-

ſpecies ſuum genus in oratione præcedunt. Ut autem in ſuperiore modo nominatæ poſt genus ſpecies illud circumſcribunt, & ad alias extendi non patiuntur; ita ex aduerſo nominatæ ante genus ſpecies hanc illi per hunc modum vim (ut ſic loquar) dant, atque imprimunt; ut extendatur, quàm latiſſimè poteſt extendi. Exemplum RR. ſuppeditant ex cap. 22. Exod. v, 9. *Si quis dederit ſocio ſuo* ASINUM *vel* BOVEM, *vel* AGNUM, *&* OMNE ANIMAL *ad cuſtodiendum*, &c. Hic *Aſinus*, *Bos*, *Agnus*, ſpecies ſunt; & priùs nominantur quàm *omne animal*, quod eſt genus. Unde nulla (ajunt RR.) anima quadrupes excipitur, ſed quælibet intelligitur, ſive munda illa fuerit, ſive immunda, cicur, aut fera. Senſum ergo hujuſce textus illum eſſe dicunt. Quodcunque animal dederit quis ſocio ſuo ſervandum, tenetur ille ſocius jurare ſi mortuum fuerit, vel abactum, &c. Vide locum.

At objicies, ſi ſimpliciter Scriptura dixiſſet, *omne animal*, nonne complexa fuiſſet animalia munda æquè ac immunda? Hoc ita habere reſpondent R R. ſed admonent, cùm ſimpliciter genus ponitur fieri nonnunquam, ut aliqua ſpecies excipiatur per quendam modum ex iſtis XIII. ut patebit ex ſequentibus. At verò cùm ſuum genus præcedunt ſpecies, duæ videlicet, tres, &c. ita illud potens reddunt, ejuſque jus ſic aſſerunt; ut ab eo nulla ſpecies ſubſtrahi poſſit, quæcunque tandem Regula (ſive modus) proponatur.

VI.

V I.

SExtus Modus nominatur כלל ופרט וכלל אי אתה דן אלא כעין הפרט: *Celal uperat uclal, e ata dan ela ceen haperat:* id eſt Generale & Particulare; & habet locum, cùm, quòd Generale eſt, declaratur per Particulare, & iſtud Particulare rurſus explicatur per aliud Generale. Res meridiana luce clarior tibi erit ab exemplo. Datur iſtud præceptum Deuter. 14. 26. *Pecuniam dabis in* OMNI, *quod avebit anima tua: In* BOVE, PECORE, *in* VINO, *& in* SICERA, *& in* OMNIBUS, *quæ poſtulaverit anima tua, & comedes ibi coram Domino Deo tuo, & lætaberis tu & domus tua.* Hîc, *In omni quod avebit*, &c. habes unum Generale, ut & alterum ibi (*in omnibus quæ poſtulaverit.*) Inter utrumque autem poſitum eſt, *in Bove, & Pecore, in Vino, & ſicera,* quod quidem particulare eſt. Præcipiunt igitur RR. hoc loco, & ſimilibus, duo illa generalia ad ſingulare eſſe revocanda, id eſt, ſi præter ſingulare illud, quod in textu expreſſum eſt, aliquid aliud vis addere quod ſub duobus illis Generalibus contineatur, docent neceſſum eſſe, ut quod additurus es, eâ ſit affectum qualitate, ſeu proprietate, quâ ſingulare iſtud affectum videtur. Ut, ſi præter Bovem, & Pecus, Vinum, & Siceram; vis aliam eſcam, aut potionem adjicere, animadvertere debes, ut in illa eſca aut potione, quam adjecturus es, illa qualitas deprehendatur,

quæ in bove, pecore, in vino & ſicera deprehenditur.

Hæc autem bovis & pecoris, vini & ſiceræ qualitas in eo conſiſtit, ut ſit ילד ילדות הארץ .i. filius filiorum terræ, ſeu, Res nata de rebus in terra natis. Sunt enim, aut eſſe poſſunt in rerum natura Taurus & Vacca; ex quibus bos iſte (de quo in noſtro exemplo) genitus eſt: quòd ſi non ſint, eſt illius ſaltem ſpecies: ut exiſtunt, aut exiſtere poſſunt vites, unde vinum collectum: & arbores, ex quarum fructu ſicera expreſſa.

Docent igitur RR. potuiſſe te alterius animalis, mundi nimirum (ut eſt Bos) carnem menſæ apponere, puta cervinam; Quia cervus ילד ילדות, i. filius filiorum, &c. cenſetur. Ita & apponere ceraſa, nuces, olivas, & alias pomorum baccarumque ſpecies; quarum arbores non ad bimeſtre aut trimeſtre ſpatium, ſed plures annos in terram radices agunt. Fructus enim, qui ex his colligitur, quemadmodum uva ex vite, reputatur ילד ילדות, id eſt, filius fil. &c. Hinc legumina, cucumeres, pepones removeri facilè intelligas: non enim eorum plantæ annum excedunt, ſed ſæpius unà cum ſuo partu avelluntur, aut certè paulò poſt macreſcunt, atque moriuntur.

VII.

V I I.

SEptimus Modus his concipitur verbis: לפרט ומפרט שהוא צריך לכלל מכלל שהוא צריך : id eſt, à generali præcepto, quod eget particulari, & à particulari quod eget generali. Hunc modum ut intelligas, RR. præbent tibi exemplum petitum ex c. 13. Exodi, & Deuter. cap. 15.

In Exod. legitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quidquid primùm aperit vulvam in filiis Iſraël, & in homine, & in animali.*

In Deuteronom. *Sanctificabis Domino Deo tuo omne primogenitum, quod naſcetur in bove & in pecore maſculum.*

In præcepto Generali. *Sanctifica mihi, &c.* Fœmina potuit intelligi: Ea propter in particulari appoſitâ voce hac זכר, id eſt, maſculum, dubitatio omnis ſublata eſt. Ergo Generale præceptum, ut intelligatur, eget particulari. Jam verò quia Maſculus ille, potuit intelligi is; qui poſt abortivum, aut etiam poſt filiam unam, duas, aut plures naſcebatur, opus fuit, ut dubium illud omninò removeretur aliâ nota Generali.

Idcircò in Generali dictum eſt פטר כל רחם, id eſt apertione vulvæ. Ergo particulare, ut clarè exponatur, eget ſuo generali. Ex his, ni fallor, ſatis apertus eſt iſte modus.

VIII.

OCtavus Modus his concluditur verbis: כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד· לא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד צל הכלל כלו יצא: id eſt, ut κατὰ πόδα, καὶ κατὰ λέξιν vertam; Omnis res, quæ eſt in Generali, & exivit è Generali, & exivit è generali ad docendum, non ad docendum ſuper ſeipſam exivit, ſed ad docendum ſuper generale tota exivit. Hac Regula, ne longum faciam, quod dicitur de una ſpecie, dicitur de omnibus: placeat illud ex Poëtarum Principe, *Crimine ab uno diſce omnes.* Exemplum colligunt RR. ex duobus locis. Ex cap. 22. Exod. text. 18. *Præſtigiatricem non ſines vivere:* & ex Levitic. cap. 20. 27. *Et vir ſeu mulier, cùm fuerit in eis Pitho vel divinus, morientur, & obruent eos.*

In textu Exodi ponitur: quod hîc Generale dicimus, in voce מכשפה, id eſt, Præſtigiatrice, ſub quo continentur omnes ſpecies Genethliacorum, Divinorum, Mathematicorum, & Magorum, quos è medio tolli ſive interfici lex jubet. In textu Lev. exprimitur τὸ Particulare in voce אוב, id eſt, Pytho, quod quidem Particulare è ſuo Generali velut è communi ſede egreditur, non tantùm ut divino vel Pythonem habenti mortem interminetur (nam id facit Generale præceptum) ſed ut genus pœnæ, ex qua mors conſequatur, dictet, nempe lapidationem. Ergo concludunt RR. lapidatio-

tionem illam generali præcepto accommodandam eſſe, & Deum juſſiſſe omnes, qui magicas artes tractant, lapidibus eſſe obruendos.

Agnoſcunt RR. hîc alium modum, per quem dicunt ideo particulare præceptum à Generali ſeparatim exprimi, ut & pro illo, & pro ſuo Generali concludendum aliquid Scriptura ſacra doceat. Verbi gratia: Jubet Deus; Sabbatho ne ullum fiat opus, ut habetur Exod. 35. verſu 2. Idem verſu tertio prohibet ne Judæi Sabbatho faciant ignem in habitaculis: Quid neceſſe erat (dicet aliquis) particulare iſtud præceptum dictare? Nam cùm facere ignem opus ſit; ſub Generali ſine dubio intelligebatur. Cùm ergo ſeparatim datum ſit, argumento tibi eſt & pro illo, & pro Generali aliquid concludendum. Pro illo igitur, quoniam prohibitum eſt, ne fiat ignis in habitaculis, Scriptura vult, ut concludas alicubi Sabbatho licitum fuiſſe ignem facere, ut revera Sabbatho in Templo fiebat, ex Levit. 6. Pro generali verò vult, ut concludas in Templo nullum aliud opus præter ignem Sabbatho cuiquam facere licuiſſe.

I X.

NOnus Modus his deſcribitur verbis: דבר שהיה בכלל ויצא לטען אחר שהוא כעניינו יצא להקל להחמיר: id eſt. Cùm res aliqua, quæ ſpeciei naturam induit ſub Genere contentà, ab eo ſeparatim exprimitur, idque

que ut quidpiam ſtatuat, quod ſit ejuſdem ſubjecti cum illo ſuo Genere; exprimitur ad minuendum, non autem ad augendum.

Hoc certè modo particulare præceptum nihil diſtinctum habet à generali, ſed eorum, quæ generale jubet, partem retinet, partem verò relinquit. Unde minuendi cauſa proponitur, id eſt proponitur, ut quod faciendum imperat, aliò à ſe non extendat, & ad ſuum generale non referat. Hunc modum declarant RR. Ex Levitic. 13. ubi נגע, id eſt, plaga, generale nomen eſt, quod continet omnes ſpecies Lepræ: Cùm autem Deus hujuſce נגע, id eſt plagæ, generale præceptum proponebat, id juris dabat ſummo pontifici, ut ſecundum accidentia, quæ leproſi plagæ contingerent; leproſum iſtum per quatuordecim dies poſſet includere, aut propter מחית, id eſt, vivacitatem, immundum pronuntiare: Et hæc videbatur eſſe leproſi pœna. De illa igitur pœna מכוה & שחין id eſt, aduſtio, & inflammatio, quæ erant lepræ ſpecies, & ſub נגע, id eſt, plaga, continebantur, detrahebant; Sehin quidem, quia qui ea affectus erat, ſeptem diebus includebatur; non enim legitur poſt illud temporis ſpatium à ſummo Pontifice potuiſſe includi, & licet Mehia huic accideret, non tamen immundus ab eodem Pontifice judicabatur: Hæc enim Mehia non continetur in textu.

Micna verò, quia qui ea laborabat, non poterat includi pluſquàm ſeptem diebus. At verò ſi Mehia accideret, poterat immundus pronun-

nuntiari. Et in eo diſtinguitur Micna, à Sehin, quæ in textu expreſſa eſt. Apponam totum S. Scripturæ locum, ut videas velut in appenſa Tabula modi iſtius rationem.

Leuitic. c. 13. 2. *Homo cùm fuerit in cute ejus tumor, vel inhærentia, vel candor, & fuerit in cute carnis ejus, in tactum Lepræ. Et aditur ad Aaron ſacerdotem.* 10. *Et videbit Sacerdos, & ecce tumor albus in cute, & ipſe vertit pilum album, & vivacitas carnis ejus, &c.* 4. *Et claudere faciet Sacerdos tactum ſeptem diebus.* 5. *Et claudere faciet eum ſacerdos ſeptem diebus.* 11. *Lepra inveterata ipſa in cute carnis ejus, & polluit eum ſacerdos, nec claudere faciet eum, quia immundus.* 18. *Et caro cùm fuerit in ea, in cute ejus inflatio, &c.*

X.

DEcimus Modus his pronuntiatur verbis: אם לטען טען אחר שלא כעניינו יצא להקל ולהחמיר: id eſt, Et ſi res illa ſeparatim exprimitur ad ſtatuendum aliquid aliud, quod non ſit ejuſdem rationis cum ſuo genere, ea de cauſa exprimitur, ut pro ſe aliquid, & minuat, & augeat. Modum hunc ejuſmodi exemplo enarrant R R. Ex Levitic. 13. *Homo cùm fuerit in cute carnis ejus tumor, &c. Et fuerit pilus in plaga verſus albus, &c.* Item verſu 29. *Et vir ſive mulier, cùm fuerit in eo plaga in capite vel in barba; & videbit*

חדש אי אתה יכול להחזירו לכלו׳ עד שיחזירנו הכתוב לכללו בפרוש׃ id eſt, Particulare præceptum quod continetur in Generali, & ſeparatim exprimitur, ut de nova re judicet, non poteſt revocari ad Generale, donec illud ipſa Scriptura clarè & apertè revocarit.

Exemplum hujus Modi proponitur ex Levit. cap. 7. ubi agitur de præcepto Aaſam, האשם, id eſt delicto. Quo ut patet ex verſ. 2. jubetur ſacerdos ſanguinem ſpargere ſuper altare in circuitu, & totum adipem, &c. & fibram incondere, atque illa omnia ſuffire in altari.

Item ex Levit. cap. 14. ubi ſic ſcriptum: *Et capiet Sacerdos de ſanguine Aaſam*, id eſt, delicti; *& dabit Sacerdos ſuper auris cartilaginem mundantis ſe, & ſuper pollicem manus ejus dexteræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri.*

Notabis præceptum Generale datum eſſe cap. 7. verſu ſecundo, in nomine Aaſam, id eſt, delicti: Quo in Genere ſacrificii totus victimæ ſanguis in altari ſpargendus erat, ut & adeps & fibra, & cætera quæ hîc recenſentur incendenda.

Particulare verò datur cap. 14. & ſeparatim à generali exprimitur, rem novam ut inſtituat: quia nimirum per illud jubetur Sacerdos ſanguine tingere leproſi mundantis ſe auris cartilaginem: item pollicem dextrum & manus, & pedis. Itaque ex vi alicujus modi ex iis, quos expoſuimus, argumentari potuiſſes, & dicere: cùm præceptum iſtud Particulare à ſuo Generali deflectat, non fuiſſe ſacerdotem obligatum ad alias

alias res offerendas: ut puta, ad reliquum ſanguinem per altare ſpargendum; adipem, fibram, & alia igne comburenda. Et certè valeret tuum argumentum, niſi Scriprura ad Generale reduceret, quod facit v. 13. ejuſdem capitis 14. his verbis: *Et mactabit agnum in loco, quo mactabit oblationem pro peccato, & holocauſtum in loco ſanctitatis, quia* כחטאת האשם קדש קדשים הוא: id eſt, *ſicut oblatio pro delicto ſacerdoti ſanctitas ſancti ſanctitatum eſt.* Nam nomen iſtud *Haaſam* ה demonſtrativo affectum indicat præceptum illud Generale, de quo jam mentio facta eſt; ut & repetitæ iſtæ voces: קדש קדשים הו id eſt, *ſanctitas ſanctitatum.*

Unde concludunt RR. quod cùm rem ſacram pro leproſo faceret ſacerdos, præter ea quæ nominatim præſcripta ſunt, jubebatur reliquum ſanguinem, adipem, & fibram (ut fieri ſolebat ex præcepto Generali) Deo Opt. Max. offerre & incendere. In aliis exemplis idem eſt obſervandum.

X I I.

DUodecimus Modus his declaratur verbis: דבר הלמד מעניינו ודבר הלמד מסופו id eſt, Res quædocet te quidnam de ea ſentire debeas, è materia de qua in Scriptura tractatur: item & res quæ idem te docet ex fine ſuo, id eſt ex ultimis verbis ſui tractatus. Duo habet mem-

membra ut vides, Prioris exemplum eſt petitum ex cap. 20. Exod. ubi textu 14. Deus præcipit, *Non occides, Non adulterabis, non furaberis, Non reſpondebis in ſocium tuum teſtimonium falſitatis.* Non apparet hoc loco, de quo FURE legem tulerit Scriptura. An de eo, qui ultimo capitis ſupplicio eſt afficiendus, an verò de eo qui pecunia tantùm multatur. Nam vox iſta גנב, goneb, de utroque dicitur, ut patet ex Geneſ. 22. 1. Et Deut. c. 24. 7. Hac ergo priori parte Regulæ præcipitur, ut rei ambiguæ fiat judicium, מעניינו id eſt, ex ſubjecto de quo tractatur. Quamobrem cùm hîc agatur de criminibus capitalibus, de eo FURE goneb eſt intelligendus, cujus crimen ultimo ſupplicio punitur.

Poſterioris autem exemplum ſumitur ex Levitic. 14. verſu 34. ubi ſic legitur, *Et dabo plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ*, &c. Item ex verſ. 45. *Deſtruetque domum, lapides ejus, & ligna ejus, & univerſum pulverem domus.* Id clarè ſic explicatur. Jubet Deus domum lepra affectam deſtrui: neſciebatur de qua domo præceptum eſſet intelligendum. Intelligitur ergo מסופו, id eſt ex fine iſtius rei, de qua agitur, qualis ſit illa domus, quam Deus vult deſtrui, quæ nimirum ædificata fuerit ex lapidibus, lignis & luto: itaque monent R R. huic legi obnoxiam non fuiſſe domum illam, cui una res ex tribus iſtis deeſſet, ut putà ſi fuiſſet ſimilis paſtorum mapalibus, aut Troglodytarum cavernis, aut Gedroſorum ædiculis, quarum fores erant ex belluarum maxillis, & tecta ex aſſibus.

XIII.

XIII.

DEcimus-tertius & ultimus Modus his aſſertur verbis: שני כתובים המכחישים זה את זה׳ עד שיבא הפסוק השלישי ויכריע ביניהם: id eſt, Duo loci Scripturæ inter ſe contrarii videntur, donec accedat verſus tertius, qui inter eos, excitatam velut litem dirimat.

Cùm in ſacris paginis occurrunt duo verſus, qui pugnare inter ſe videntur, noli ſtatim exiſtimare eſſe contrarios, ſed animum adverte ad ea, quæ poſtea eadem de re ſcribuntur. Nam locum aliquem tibi ſcriptura ſuppeditabit, qui litem &controverſiam dirimet. Ex eoque diſces, quemadmodum uterque locus ſit exponendus.

Tradunt enim RR. nefas eſſe exiſtimare in ſacris paginis legi reperirive quidquam quod ſibi repugnet. Hujuſcemodi exemplum ſumunt ex Numeror. cap. 7. v. ult. *Cùm veniret Moſes in tabernaculum conventus*. Et ex cap. 40. verſ. 34. Exodi, *Non potuit Moſes ingredi ad tabernaculum conventus*.

Hîc, ut vides, Moſes dicitur ingredi & non ingredi tabernaculum; quæ duo pugnare videntur. Propterea addidit Scriptura, *quia habitavit ſuper illud nubes*. Quæ verba contrarietatem dirimunt, ita ut ſit iſte ſenſus, Moſem intraſſe quidem in tabernaculum, cùm nubes illud non occuparet; at cùm occuparet, non potuiſſe intrare.

AD

Digitized by Google

AD

PHILIPPI AQUINATIS

eruditiſſimi Hebræi Modos.

מאוצרות עשרים הכלואים :
הוציא זהב וכסף או חלאים :
ליד כל על נקלה כי מלאים :
כן ממים צחחים משפיים :
נזולי ישאבו גם הפתאים :
אך אלה יקרים בין לצואים :
בדומן מצוא כתם נשיאים :
ומבור נעכר המי אלהים :
שאף אמנם הלא פלא פלאים :
זה הכבוד פליפוס דאקיאן :
שמגללי כתובי הקרואים :
וממיהם שחותים הטמאים :
מבוא ברים אפיקים כל רפואים :
ואם כנים שלמה נ־בטאים :
חכם שעל נמלו הוא כרואים :
דברי קדש עלי אפניו נשואים :

DIONYSIUS PETAVIUS è Soc. JESU amico cariſſimo S.

IDEM LATINE'

PErfacilè *gazâ de divite promitur aurum.*
Aut liquidæ puro fonte petuntur aquæ.
Non cuivis tamen aut aurum de ſtercore lectum,
Aut de cœnoſo gurgite limpha venit.
Hoc decus, hæc noſtri laus eſt non parva Philippi
Cui fax Rabbinæ ſordis utrumque tulit.

EPIGRAMMA:

Q*Uis referat d' AQUIN, quantum profeceris? ictu*
Hoc proſtrata uno num duo monſtra vides?
Hebræos etenim poſthac areſcere fontes
Quæ dicat, non eſt lingua futura procax:
Clavibus & ſi tot referantur ſacra, profani
Damnantur, per quos ſacra cuique patent.
O tua quàm MAGNOS *producent otia fructus!*
Otia ſi nobis fecerit iſta Deus.

LUDOVICUS DE MORAINVILLIER,
Doct. Theol.

EPIGRAMMA.

SCripta *Palæſtini, ſecretaque vana popelli,*
Et Regem vatem pandit Aquina *manus,*
Non Ariadnæa poterant penetrarier arte
Rabbini, implexos extricat iſte labor:
Eſt aliud majus, majorque Heroë Philippus,
Alcides terram purgat Agenoridæ.
Omne ſolum, cœli cui notum lumen, Aquinus,
Quâ vaga monſtra ruunt, luſtrat & interimit.

J. Bourdelotius.

Digitized by Google

הקדמה :

נדרוש נדרשתי מאנשים הכמים· אנשי היחס והמעלה שרים וסריסים טהורים· זריזים ושוקדים על ספריהם· שכליהם ועיניהם בשמש וכירח ר מאיים· ורגליהם קלות כאילות· מאריות גברות גבהו מנשרים· ללות יעף דבר· דברי אלהים היים· זכים וברים· ללמוד לשמור ולעשות אצי ורצים· פיהם נוטפות נטף וחלבנה קושט וקינמון· וכל אבקת רוכל רוכלים ומקטרים עולה· למי-שאמר והיה· ושפך דמו כמי שפיכה· סביבות ירושלים לפדותה· ולגואלינו מחויא בישא· שבלתו לא היתה תקומה: הן הם· שבקשו ממני להקל המשא· למצוא דרך ישכון אור להסיר מעליהם המסוה· הקושי שהרבנים כתבו ספריהם· ובזה אזכה את הרבים· להוציא מים מצור כרבים· לכבות אש התשוקה התקועה קבועה בלב נדיבים· לגלות רזין סתימין· להרים מכשול מעיני המעיינים· החוקרים בפירושי וספרי הכמי ישראל· למען יודע אופן מנהגם בביאורם· התורה מצותיה והנהגותיה· שעד עתה לא

לא יכלן קום ושאת ויִלאו למצאת פתחם
להשכיל כונתם וסברתם· על התורה
סתריה ציוריה· וצוף אמריה· עד היותה
כורה לקרא· עזובה עצובה· אין קורא
ספריהם בצדק ושופט באמונה· ולפעמים
הפכו ללענה דבשה· והפרה ובושה·
ולמרינים נשתוה· ותהי להם חזות הכל
סתומות וחתומות ומלחמות מלחים·
ואספה נגהה· ועלטה היה כיומא דעיבא·
יען מליהם קצרים· ומחסורי מחסרא·
פעם רומזים רמזים· ופעם ממשלים משלים·
וכנוי כנויים· נשתבכים בסבך בחילופי
הלופים· שונים משתנים· ובמלה כוללים
ספר ספר ספור· עד שכל רואיהם
דנים וצועקים· ראו זה משוגע הסר
משוגעים נוהג בשגעונים· להיות אופניהם
ודתיהם שונות והפוכות מכל עם ועם·
כל כך שקצור קצרה עלית קיר קטנה
בכף אי· להכיל ולבא עד תכלית
כוונתם· הרחק כמטחוי קשת לאלפי
רבבה : הוא הדבר שנערתי חצנים
והתחזקתי לרוץ אחרי מצותיהם בחזותי
חשקם לכבוד ה׳ בנויה וכוננה· בלי סיג
וצנינה·

Digitized by Google

וצנינה· נתתי את לבי לבנות לה חיל
וחומה · ומקוה בין החומותים· לשים
בריח ודלתים לבצר מעוזה· להאירה
להשאירה ברה טהורה· להבינה בנקלה
ולשיבה לצבי ולכבוד לצפירת תפארה·
כדי שדורכי במשעולי החכמה· לצבא
צבא· לכל עבודת הקדש יאכל פירותיה·
ימצו ישתו ויתענגו מזיו שדיה· מחלבה
ומשמנה· לאכול מפתה ולשכב בחיקה
כי הוא התכלית שהאלהים נתנה ובצל
ידו החביאה· ועל לוחות האבן שלמה
וצדק כתבה וברשות הרבים נתנה·
להיות לכל שוה· נפקדת לכל מאן
דצריך ייתי ויפסח. לא כאשר אומרים
הישראלים. שהישרה יעקשו העברים
העורים המטים עקלקלותם· היהודים
האומללים ונלוזים במעגלותם עתידין
עורר לויתן שואפי רוח בלהן וזעון
געיפה ואפר כנות עליהם רוח בער
ותבערה· מבעיט זיקא דשמיא וקצף רבה·
גזרו גזרה· שלהם לבדם נתנה ארץ
החיים· ועינים להם ואינם רואים· היא
הסבה שכסו וסתרו דבריה ושלא נוצרה:

 ורבה

XIX.

ANTONII THYSII

J. C.

EXERCITATIONES MISCELLANEÆ.

Digitized by Google

Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque Viris,

JOHANNI à MATHENESSE, Domino in Mathenes, Reviere, Opmeer, Souteveen, &c. ex Equeſtri ordine ad Præpotentum Ordinum Hollandiæ comitia delegato.

JACOBO CATS, Equiti, eorundem Ordinum Conſiliario & ſupremo Syndico.

JOHANNI CAMERLING, Equiti, Reipublicæ Delphenſis Syndico.

Curatoribus Academiæ Leidenſis.

GUILHELMO PAETS, J. C.

JOHANNI à GROENENDIJC,

ROBERTO à ROSSEM,

SIMONI BAERSDORP, J. C.

Curatorum Collegis, & Conſulibus Reip. Leidenſis.

JOHANNI à WEVELICHOVEN, J. C. & Civitatis ejuſdem Syndico prudentiſſimo, & Curatoribus Academiæ à Secretis.

QUadriennium jam eſt, ex quo in florentiſſimâ veſtrâ Academiâ Poëſin publice profiteor, Viri Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Quam uti Oceanum omnis elegantioris eruditionis, antiquiſſimam Philoſophiam jure meritoque vocare ſoleo, ita ſæculi hujus injuriis & contumeliis maxime expoſitam eſſe novimus. Videntur enim omnes divinam hanc ſcientiam,

tiam , & quicquid literarum, eſt in perpetuum velle exilium mittere. Atque hæc quidem certiſſima animorum peſtis cenſeri debet. Dum ad facultates ſine ulla literarum adminiculo unuſquiſque contendit. Theologi ſine linguarum artiumve fundamento, ſacra Scripturæ penetralia paſſim invadunt. Ad quæ cum nemo non ſine horrore & veneratione accedere debeat, multo minus illotis, ut loquuntur, manibus. Excelſa nimis eſt Theologia, neque majeſtas ejus illud patitur. Cum vultus tamen gravitate, magnoque ſupercilio diſputant de iis, quæ nondum intelligunt. Juriſperiti omnem antiquitatem contemnunt, nonnulli etiam juventutem ab eâ deterrent. Qui quidem ignorare videntur, ex quibus fontibus jus civile hauſtum ſit. Ego certe ne quidem Juriſconſultum dicendum exiſtimo, qui totius antiquitatis cognitionem non perceperit. Idemque docti mecum cenſebunt. Lucifugas & fungos nihil curo. Medici quoque, quo citius nos occidant, ſtudia ſua magis properant. Hippocratis & Galeni fontes rarò adeunt, quinimo cum illis linguam Græcam in univerſum negligunt. Philoſophi miſeris magis ænigmatibus ingenia cruciant, quam ut veram ſolidamque Philoſophiam ſectentur. Vanas ſibi ſpecies, velut ægrorum ſomnia, imaginantur. Quibus omnibus niſi proſpiciatur, Nobiliſſimi Ampliſſimique viri, actum eſt de Republic. literariâ, totaque in univerſum eruditione. Atque utinam non ſim verus vates, barbariem nobis incumbere video. Quapropter ego, cui literarum defenſio incumbit, quoddam earum ſpecimen vobis exhibere volui & debui. Quod ſi vobis gratum fuerit, nonnulla etiam in Juriſprudentia edituri ſumus. Cui à primis annis nos devovimus. Valete Viri Nobiliſſimi atque Ampliſſimi, & hunc primum noſtrum fœtum benigno vultu accipite. Datæ Lugd. Batav. Anno cIↃIↃcxxxix. menſe Majo.

Veſtr. Amplitt. dicatiſſimus

ANTONIUS THYSIUS F.

IN

IN
Eruditiſſimi Viri
ANTHONII THYSII
J. C. & Poëſios Profeſſoris
EXERCITATIONES
MISCELLANEAS.

NUnc ergo, Thyſi, nominis vindex tui,
Quod iſta prodit charta, quod condit manus
Sed erudita, ſparſa ſed Permeſſide,
Superaſque famam præveniſque, publicus
Æternitatis promus ac auctor tuæ.
Audere perge, quà fruuntur plurimi
Quam non merentur, fama jam debet tibi.

BOXHORNIUS.

Ad Eundem.

JAm Phœbum, vatumque Deas in vota
vocabam,
Ut canerem ſcriptis carmina digna tuis.
Non opus eſt, ajunt; dignè ſatis ipſa loquetur
Fama, cui doctum conſecrat Author opus.

ROCHUS HOFFERUS,
Zirizæus.

SERIES EXERCITATIONUM,

quæ hoc libro continentur.

EXERCITATIO I.

Quis Siris Unde dictus Nilus? Quis fluvius נחל apud Hebræos. P. Mela illuſtratus. Unde Euphrates nomen acceperit? Pag. 465

Exercit. II. *Unde Erythræum mare dictum? Quis rex Erythras? Quis Edom? Quare Eſavus Edom fuerit appellatus?* 467

Exercit. III. *Qua probatur pleraque quæ S. Scriptura nos docet, etiam gentibus nota fuiſſe.* 469

Exercit. IV. *Quod fuerit mundi initium verno an autumnali tempore? Ambroſius & Theodoretus refutantur.* 473

Exercit. V. *Quænam fuerit prima lingua? qui Phœnices apud Plinium? Quo charactere prima lingua ſcripta ſit?* 475

Exercit. VI. *Gentiles etiam Baptiſmi ſpeciem habuerunt. Unde Pontificiorum aſperſio, Purgatorium, campanarum ſonitus originem acceperit.* 477

Exercit. VII. *Quare pulchritudinem capreis comparent Orientales? Arabum mos ſponſas rapiendi. Tograï poëta Arabicus.* 479

Exercit. VIII. *De Alcorani vanitate. Quando collectus fuerit Alcoranus.* 481

Exercit. IX. *Apud Judæos fuiſſe optimam Politiam. Moſes à Strabone, & Diodoro Siculo laudatus. Figmenta gentilium de Judæis. Tacitus & Plutarchus rejecti. Quare fictum fuerit Judæos Bacchum adoraſſe? Unde Jacchus dictus ſit? Quare aſini caput coluiſſe dicantur?* 483

Digitized by Google

Exercit. X. *Magorum nomen cum Elymis idem. Eorum dignitas. Quo pacto Chriſti adventum noverint. Auguſtinus & Hieronymus rejecti.* 487

Exercit. XI. *An Characteres & verba naturalem aliquam vim habeant? Quid ſentiendum de Aſtrologicis prædictionibus?* 489

Exercit. XII. *Sepiæ atramentum quale. Epigramma antiquum enucleatur. Quid ſit μήκων & μηκώνιον apud Græcos.* 492

Exercit. XIII. *Tertulliani ex Sibyllinis oraculis teſtimonia afferuntur. Quid de hodiernis Sibyllinis oraculis ſentiendum. Unde Sibyllæ nomen. Quid de vaticiniis & oraculis credendum. Cicero & Plutarchus refutati.* 495

Exercit. XIV. *L.* IV. § *Cato de V.* O. *explicatur, L. Julianus eod. tit declaratur. Aliorum opinio refutatur.* 499

Exercit. XV. *Patres antiqui, uti & jus Canonicum, Bigamiam præcipue in Clericis reprehendunt. Unde hoc profluxerit? Germanorum continentia. Quid de Polygamiâ in Veteri Teſtamento dicendum ſit?* 501

Exercit. XVI. *Melancholici ingenioſi. Ariſtoteles & Plato conciliantur. Morbida melancholia effectus. Quid de Lycanthropia ſentiendum ſit. Lycaonis fabula explicatur.* 506

Exercit. XVII. *Poëſis ab Hebræis profluxit. Qualis fuerit ignoratur. Non fuiſſe Rythmicam oſtenditur. Orientales plurimum alluſionibus utuntur. Apollo & Bacchus præſides Poëtarum. Illi Orientales. Muſa à Moſe dicta. Uti & Muſæus. Poëſis etiam ſine fictione conſiſtit. Ejus ſubjectum τὸ πᾶν.* 510

Exercit. XVIII. *Quare Ægyptii Serpentem coluerint? Quis Apollo Pythius? Quare eum jaculatorem finxerit antiquitas? Cur Cadmus in anguem mutatus? Unde annus & ἐνιαυτὸς dictus ſit? Ægyptii ab Hebræis annum acceperunt.* 514

Exercit. XIX. *Unde ſiniſtra aves fauſtæ apud Romanos. Quomodo Latini, Græci, Judæi, Ægyptii cœli plagam aſpexerint.* 518

Exer-

Exercit. XX. *Unde Romulus dictus? Quare à lupâ nutritus fingatur? Quare Lupercalia inſtituta? Cur Romulus Quirinus dictus? Quare Manilius Romam ſub librâ conditam dixerit?* 520

Exercit. XXI. *Unde Numa religionem ſuam deduxerit? Quis Jovis, Ζεὺς, Theut & Teutates. Quare Numa Ancile & Palladium coelo delapſum conſecraverit?* 524

Exercit. XXII. *Quare menſe Februario Parentalia inſtituta? Quid de Manibus ſive defunctorum animis ſentiendum ſit. Locus difficilis de Terminalibus indicatur.* 526

Exercit. XXIII. *Quare Juno ab Horis educata dicatur? Quare frater Jovis & conjux? Eadem cum Luna & Venere. Quid ſignificent tria virginis ora Dianæ? Cur mari præſit? Locus Theophraſti explicatus.* 529

ANTHO-

Digitized by Google

ANTONII THYSII F.

EXERCITATIONES MISCELLANEÆ.

EXERCITATIO. I.

Quis Siris. Unde dictus Nilus? Quis fluvius נחל *apud Hebræos. P. Mela Illuſtratus. Unde Euphrates nomen acceperit?*

NIlum antiquis Ægyptum dictam fuiſſe teſtatur Plinius eruditionis ingens Bibliotheca lib. 5. cap. 9. Αἰγύπτιοι autem Hebræorum שיחור referre notum eſt, unde Græci Sirin ſuum effinxerunt, quod eleganter demonſtrat Dionyſius ἐν περιηγ' cum dicit,

> Ὅς δῆτοι λιβύηθεν ἐπ' ἀντολίην πολὺς
> ἕρπων,
> Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται,
> οἱ δὲ Συήνης
> Ενναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον
> ἔθεντο.

Eadem de ratione μέλας dictus, ideo nimirum quod nigro limo quotannis Ægyptum pingue-

 faci-

faciat. Unde verò Nilus nominis originem acceperit Joſephus Scaliger ingenue fatetur ſe ignorare, colligi tamen illud poteſt ex Pomponio Mela qui lib. 3. cap. 18. ita loquitur. *In horum finibus fons eſt quem Nili eſſe aliquibus credibile eſt, nuhul ab incolis dicitur, & videri poteſt non alio nomine appellari, ſed barbaro ore corruptius*, (ſive potius) *corruptum*. In quibuſdam exemplaribus Neal ſcriptum invenimus; quapropter, optime, niſi fallor, divinavimus, ſicuti Hebræi nomine τῷ נחל Nilum intellexerunt, ita & Græcos deinde ex Hebraico vocabulo τῷ Νεῖλον effinxiſſe. Quod facile fieri potuiſſe inde liquet, quoniam Græci aſpirationem in mediis vocabulis non aſſumunt. Vocabulo autem illo inſigniri Nilum, apud Hebræos ex Sacra Scriptura liquido apparet. Locus inſignis eſt Joſ. 15. v. 4. *atque inde pertranſiens in Azemona & perveniens ad torrentem Ægypti.* Fateor quidem inter autores non convenire quis ille torrens ſit. Nonnulli exiſtimant fuiſſe torrentem Bezor. Septuaginta patres vertunt ad Rinoçoluram quos ſequitur D. Hieronymus Epiſt. 129. ad Dardanum. Per torrentem autem, rivulum Nili quidam intelligunt. Sed falſo. Cum ipſa Sacra Scriptura vocem torrentis per τὸ Sichor Paral. 13. verſ. 5. & 1 Reg. 17. interpretetur. Neque novum eſt ab inundatione, & ſingulari undarum agitatione torrentem vocatum eſſe, cum & Tigris Perſarum propter celeritatem à ſagitta illorum lingua dictus, & ipſe Euphrates ab inundatione. Quod ex Arabum Linguâ doceri

ceri poteſt. فرط ſignificat autem Quibus inundare, افراط inundationem, quod quidem nomen corruptum, poſtea in Græcorum Euphratem migravit.

EXERCIT. II.

Unde Erythræum mare dictum? Quis rex Erythras? Quis Edom? Quare Eſavus Edom fuerit appellatus?

QUæſitum eſt à doctis quare mare rubrum quod Hebr. ים סוף *jam ſuph*, ſive junceum dicitur, antiqui appellaverint. Stephanus quidem qui de urbibus ſcripſit, citat Uranium ſcriptorem Punicum, qui illud mare rubrum appellari voluit, quod ex ratione montium quibus cingitur per radios ruborem excipiat. Neque hoc prorſus à natura alienum eſt, quando nimirum ſolis radii per reciprocationem in aquam terreſtrem & denſam incidunt. Impuriores enim illæ aquæ facillime hunc vel illum colorem hominibus repræſentant. Qui color itidem in nubibus ſæpe apparet. Itidem fieri certum eſt dum in denſas nubes radii ſolis incidentes, vario repercuſſu varios itidem colores nobis referunt, & quidem circuli figura propter cæli concavitatem. Mihi quidem hæc ſententia prorſus probaretur, cum & ipſum hunc colorem ex eadem cauſa in aquis extitiſſe S. Scriptura 2 Reg. c. 3. v. 22. commemoret, niſi aliam certiorem rationem eſſe exiſtima-

rem. Quid enim ſi Ethnicorum monumenta inſpiciamus? atque ex iis veram originem excutiamus? Illorum ſcripta Erythram regem, ejuſque tumulum mari propinquum fuiſſe aſſeverant. Quiſnam hic Erythras rex fuiſſe videtur? Utique Græci reſpexerunt ad ipſum Edom, qui idem eſt cum Eſavo, unde & Græcorum Idumæa dicta eſt. Cujus rei nobis fidem facit Divus Auguſtinus lib. 16. divini operis quod inſcripſit de Civit. Dei. Conſtat itidem ex doctiſſimo Hieronymo Idumæos ab Hieroſolymis circiter ſeptuaginta paſſuum millibus verſus meridiem remotos, ab Hebraicis ſemper ארום dictos eſſe. Quod ante doctiſſimum patrem etiam Joſephus memoriæ reliquit. Huc facit quod Moſes Gen. c. XXV. dicat verſ. 25. *prodiit autem prior*, nimirum Eſavus, *rufus ſimilis totus togæ villoſæ, quam ob cauſam vocatum eſt nomen ejus Eſavus.* Dicitur itaque Eſavus rubicundi vel potius rutili coloris fuiſſe, eo quod referret מְאָרְמִים, uti Exodi 25. cap. habetur, id eſt, pelles arietum rutilantium. Quicunque mente ſanus eſt videt hanc rationem prævalere. Valeant itaque fatua commenta de rubedine arenæ vel ſi quæ ſunt alia: addit enim & poſtea ſanctiſſimus legiſlator Moſes, *& dixit Eſau Jacobo, ſine me haurire de iſto edulio rufo admodum, quia ex venatione feſſus ſum. Idcirco vocavit iterum quiſque nomen ejus Edom.* Videtis hæc certiſſima eſſe ex ipſis divinis oraculis. Ab hoc itaque Eſavo Edom & Idumæa nomen acceperunt. Græci autem more ſuo nomen in ſuam linguam mutarunt: atque Erythram quendam regem effinxerunt. Unde apud

cos

eos ἐρυθραῖον & apud Latinos rubrum mare dictum eſt.

EXERCIT. III.

Qua probatur pleraque quæ S. Scriptura nos docet, etiam gentibus nota fuiſſe.

Videntur plurimis omnia illa quæ à Gentilibus hominibus profanis recitantur, fabulæque appellantur, duntaxat figmenta & affanias quaſdam complecti. Plato ſolus vetuſtiſſimæ illius Hiſtoriæ accuratus cuſtos & obſervator fuit. Quod in Timæo egregie oſtendit. Nec immerito: cum ſub illis involucris fabularum veriſſima plerunque Hiſtoria adumbretur. Triſmegiſtus docet Deum eſſe qui hæc omnia condiderit, poſt creationem mundi idem ſcribit Deum extemplo ſanctiſſimo verbo clamaſſe, ut omnia ejus opera propagarentur. Linus, Heſiodus, Ovidius cum ex Chao mundum feciſſe Deum indicant, numquid ſatis aperte mundum ex nihilo creatum voluerunt? Quod cum humanâ ratione comprehendere nequirent, Chaós aliquod prævium finxerunt, Ethnici itaque rudem & indigeſtam molem cui tenebræ inſiderent primam materiam eſſe voluerunt. de creatione hominis ex limo Ovidius quoque cecinit,

Sive recens tellus ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat ſemina cæli,

Quam ſatus Japeto mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Quantum hæc ἀνιστορησία gentilium tenebris illos obvelaverit unicuique liquet, apparent tamen ſcintillæ imo igniculi veræ Hiſtoriæ. Japeto Prometheum natum, qui filius Noachi fuit, eundemque primum hominem finxiſſe, riſum merito alicui movere poſſet. Per Prometheum itaque providentiam divinam intelligo, quæ uti ab æterno fuit, ita & hominis creationi ipſique diluvio adfuit. Quod quidem ex eo apparet, quia ipſe Deucalionem monuit de futuro diluvio, cum ſolus Deucalion & Pyrrha ſervati fuerint. Quorſum igitur Deucalionem monuiſſet ſi iiſdem aquis ipſe obrueretur? Paradiſum quod attinet numquid idem hortis Heſperidum & Elyſiis campis adumbrarunt? nunquid Edenem ejuſque fluvios & Herod. lib. 5. & Strabo 16. celebrant? nunquid aurea Heſperidum mala, & pervigil draco ſatis ſuperque vetitum fructum, & poſt ejectionem Adami ex Paradiſo, Cherubim indicant? De ſtatu quoque integritatis, cum de aureâ ætate agunt, Poëtæ accurate tractarunt. Suâ autem culpa ex illo ſtatu cecidiſſe homines Plato & ante ipſum Homerus docet.

Ὢ πόποι οἷον δήνυ θεῦς βροτοὶ αἰτιόωνται,

Ἐξ ἡμῶν γὰρ φασὶ κακ' ἔμμεναι. οἱδε
καὶ αὐτοὶ.

Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε'
ἔχουσι.

Quinimo de muliere idem Homerus ita loquitur,

Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη ἣ πάντας
ἀᾶται

Οὐλομένη. ——— ———

Idemque ſub Pandora ejuſque pixide ob oculos poſuit Heſiodus. Serpentes itidem quantas cum homine habeant inimicitias ex rerum Naturalium Scriptoribus notum eſt. Quinimo cum primi Idololatræ, mortales tanquam Deos coluerint, nunquid eleganter demonſtrare quis poſſit Saturnum ipſum Adamum, & Evam ſive חוה ipſam Iſidem Ægyptiorum referre? Saturnum à סתר, quod eſt latitare, dictum fuiſſe qui Hebraicæ Linguæ imperitus non eſt, ignorare nequit. Voluerunt itaque gentiles expreſſe indicare veſtigium latitationis Adami poſt peccatum ſuum. Qua de re loquitur volumen Moſis Gen. 3. v. 8. Vulcanum quoque cum Tubalcaino merito confundimus: cui ſi uxorem Venerem fuiſſe dicamus, eadem cum Moſis נעמה fuerit. Conferamus porro divinum legislatorem cum gentilium ſcriptis. Reliquis autem omiſſis nunquid ſatis aperte translationem Enochi ſub figmento Aſtrææ occultarunt veteres? Ovid.

Ultima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Nunquid non Noachum & Bacchi & Oenotrii nomine indigitarunt ? Eundem quoque Janum dictum , bifrontem pinxerunt , quod ante & poſt diluvium vixiſſet. Ratis ei tributa ipſam arcam denotat. Fuiſſe autem peregrinum numen Ovidius in eruditiſſimo faſtorum opere oſtendit.

Quem tamen eſſe Deum dicam te Jane Biformis ?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.

Quam accurata autem filiorum Noachi apud gentiles mentio fiat vix opus eſt indicare. Japeti , quem Japhet eſſe novimus , quis non poëtarum meminit ? Semi antiqui itidem quamvis raro meminerunt. Sed de Chamo inſignis locus eſt Catonis. *Italiæ ſplendidiſſima origo fuit , tum tempore tum origine gentis. Cæpit enim ſub principibus diis , Jano , Chameſe , Saturno.* A Chamo quoque idolum Jovis Ammonis profluxiſſe eruditi mecum ſentient. De diluvio optime Lactantius ſcribit, *factum eſſe diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe terræ malitiam conſtat inter omnes. Idem enim & Philoſophi , Poëtæ, ſcriptoreſque rerum antiquarum loquuntur : in eoque maxime cum Prophetarum ſermone conveniunt.* In eo autem errarunt quod particularia diluvia cum univerſali confuderint. Plurima alioqui cum Univerſali diluvio maximam convenientiam habent. Namque & arcæ , quam

Digitized by Google

quam κιβώτιον appellat Lucianus, & columbæ emiſſæ ſatis aperte meminerunt. Ultimo Babylonicæ turris, extructionem, digitis demonſtrant, quando Gigantes montibus concumulatis cælum oppugnaſſe referunt.

EXERCIT. IV.

Quod fuerit mundi initium verno an autumnali tempore? Ambroſius & Theodoretus refutantur.

INcidimus nuperrime forte fortuna in locum D. Ambroſii li. 1. Hexæm. c. 4. ubi rationibus probare nititur verno tempore totum hoc univerſum cum convexo ſuo conditum. Theodoretum mox invenimus idem confirmantem quæſt. 27. ſuper Exodum. Prætermiſſis autem aliis argumentis, ideo mihi ab ipſa lectione recenti vernum tempus maxime placuit, quod eo tempore Zephyris ſpirantibus & aër & terra omniaque prorſus elementa vigeant, quod generationi omniumque rerum conſervationi aptiſſimum ſit, perpendebam itidem mecum divini ſenis oraculum: Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται ὡς ἐπίπαν. Ἦρ δὲ ὑγιεινότατον καὶ ἥκιστα θανατῶδες. Sententia quidem hæc etſi primâ fronte mihi probaretur, mox tamen rejecta eſt. Primo quidem Deus Opt. Max. præcepit, cum ſervitute Ægyptiorum Hebræos liberaviſſet, ut menſem Niſan qui cadit in vernum tempus, initium anni haberent Exod. 12. Ini-

tium itaque quin aliud fuerit neceſſe eſt, aut Deus præcepiſſet illud quod ſuperfluum erat. Quod fieri nequit. Quinimo Exod. 23. cap. jubentur Hebræi ut ſolennitatem tabernaculorum, quæ incidebat in autumnum, celebrarent exitu ipſius anni. Ergo initium mox ſequebatur. Quod Achilleum mihi minimeque dubium argumentum videtur. Accedit quod veriſimile ſit Deum Opt. Maximum omnia ἐν πλειότητι condidiſſe. Sicuti enim totum hoc univerſum in perfectiſſima pulchritudine condidit, ita partes quoque ejus plantas atque arbores. Quod nullo alio tempore fieri potuit quam autumno. Vetuſtiſſimos quoque Ægyptios tempore Moſis initium anni à menſe Septembri ducere ſolitos Joſephus graviſſimus autor teſtatur. Quemquidem morem itidem Cicero & Lactantius prodiderunt. *Mercurium nimirum qui leges ac literas tradidit, appellatum ab Ægyptiis Lingua ſua Thoth, à quo apud eos primus anni menſis, noſtro reſpondens ſeptembri nomen accepit.* Quod quidem initium anni proculdubio à Judæis acceperunt. Antea enim bimeſtrem Ægyptiorum annum fuiſſe Cenſorinus ſcribit. Neque obſtat nobis quod vernum tempus omnium ſit ſaluberrimum: Autumnus autem noceat: neque enim hoc ab ipſo autumno ejuſve natura dependet, ſed à tempeſtatis inæqualitate. Quæ in principio mundi nulla fuit ſed certa omnium rerum temperies. Nulla itaque Ambroſii & Theodoreti ſententia, eorumque autoritati Hieronymum & Joſephum opponimus.

EXER-

EXERCIT. V.

Quanam fuerit prima lingua? qui Phœnices apud Plinium? Quo charactere prima Lingua ſcripta ſit?

NIhil magis admirandum quam humanum genus omnes potuiſſe ſimplices ſonos disjungere, & certo literarum charactere exhibere, neque minus mirandum omnes humanos conceptus certâ literarum conjunctione exprimi potuiſſe. Primo itaque, ut de his latius agamus, Hebræam ſive Judaicam linguam antiquiſſimam eſſe certo ſcimus. Quapropter & homines Ethnici Herodotus, Plinius, & Pomponius Mela, Phœnicum literas æternas fuiſſe teſtantur. Per Phœnices, Syros Judæoſque intelligi, qui mediocriter in antiquis ſcriptoribus verſatus eſt, ignorare non poteſt. Neque multum Phœnicum lingua antiquis temporibus ab Hebraica diſcrepavit. Dialectus tantum & modus loquendi defuit. Quod ex Plauti Pœnulo apparet: quem locum egregie enucleavit vir doctiſſ. S. Petitus. Eodem referendi ſunt verſus Chœrili Poëtæ,

Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν
ἰδέσθαι.
Γλῶσσαν μὲν Φοινίσσαν ἀπὸ στομάτων
ἀφιέντες,
Ὤκουν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι —

Quo-

Quonam autem charactere, an hodierno, an Samaritanorum, prima lingua ſcripta fuerit præclara quæſtio eſt. Et quidem Samaritanâ linguâ volumen Pentateuchi conſcriptum hodieque adhuc agnoſcimus. Eorundem literis uſos fuiſſe Judæos ex Hiſtoriis, niſi fallor, apparet. Divus quoque Hieronymus ſuo tempore Judæos & Samaritanos eodem charactere uſos teſtatur. Ipſique Samaritani idem agnoſcunt. Quinimo plurima id Hieroſolymis monumenta oſtendunt. Neque uſpiam antiquioribus temporibus hodierni Judaici characteres apparent. Quid ergo? nunquid Moſis volumen alio charactere conſcriptum fuit atque hodierno? nequaquam. Duplicem enim fuiſſe characterem neceſſario dicendum eſt. Unum ſecretiorem, quo ſacerdotes ſoli, iique qui myſteriis initiati erant utebantur, alterum publicum & ad populi uſum comparatum. Secretiorem primus Eſras publicavit, ideoque inveniſſe dicitur. Atque hic eſt ille quo hodie nos utimur. Quem quidem characterem etiam ante diluvium in uſu fuiſſe, doctiſſimus Joſephus in antiquitatibus Judaicis teſtatur. Locus itidem hac de re inſignis in Sanhedrin אמר מר זוטרא, &c. quæ verba ita Latinè ſe habent. *Dixit Magiſter Soutra, vel ſi mavis Magiſter Oubka: Initio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebræâ & linguâ ſanctâ*, & mox, *Idiotis reliquerunt Scripturam Arameam. Quinam iſti idiotæ? Reſpondet Magiſter Chaſda, Cuthæi*, id eſt, Samaritani. Quamvis autem poſtea in Sanhedrin alia ſententia proponatur, nimirum Samaritanorum linguâ primos Hebraicæ gen-

Digitized by Google

gentis characteres conſcriptos fuiſſe, illa tamen mox ex cap. Exod. 27. 10. refutatur.

EXERCIT. VI.

Gentiles etiam Baptiſmi ſpeciem habuerunt. Unde Pontificiorum aſperſio, Purgatorium, campanarum ſonitus originem acceperit.

SAcramentum Baptiſmi ideo inſtitutum eſſe, quod ſpiritualiter aqua peccata noſtra abolerentur, omnes Chriſtiani novimus. Hunc autem morem etiam in ſacris gentilium uſitatum fuiſſe Tertullianus lib. de Baptiſmo egregiè oſtendit: *Sed enim*, inquit, *nationes extraneæ ab omni intellectu Spiritalium poteſtatum, eâdem efficaciâ idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur.* Nam *& ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus aut Mithræ, ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt. Cæterum villas, domos, templa, totaſque urbes aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim, certe ludis Apollinaribus & Peluſiis tinguntur. Idque ſe in regenerationem & impuritatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt. Item penes veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* Idem autem ex infinitis locis gentilium demonſtrari poteſt. Propertius,

Ac primum pura ſomnum tibi diſcute Lympha.

Virg.

---- De-

—— Donec me flamine vivo
Abluero ————————

Id autem peculiari ritu fiebat. Salem enim ac lentem ſolebant injicere. Quod Clemens Alexandrinus ex Menandro Comico docet. Hæc aquarum aſperſio, quæ apud gentiles in uſu erat, Pontificiæ aſperſioni originem dedit. Plurima enim quæ ad ritus, ipſamque religionem pertinent, ex Ethnicorum ſacris accepiſſe illos nemo negabit, niſi qui illorum ſuperſtitioni addictus eſt. Quid enim? quando igne corpora noſtra atque animam purgari volunt, numquid ſatis aperte gentilium purgationem, quæ igne fieri ſolebat, ſequuntur? Virg. lib. VI. Æneidos de hac animarum purgatione egregie ita loquitur,

———— aliæ panduntur inanes,
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Martianus quoque Capella l. 2. nullum inter immortales recipi dicit, niſi eum vel ignis uſſerit, vel aqua abluerit, vel animæ ſimulachrum, Syri cujuſdam dogmate verberatum fuerit. Exiſtimarunt itaque antiqui gentiles ſceleratorum animas poſt mortem igne purgari. Quæ quidem perverſa opinio poſtea in dogma Pontificiorum abiit. Plura hic dici poſſent, uti de raſione comæ, quæ ab Iſidis ſacerdotibus originem accepit, aliiſque id genus. De campanarum ſonitu uni-

unicum ex vetere Theocriti Scholiaſte addituri ſumus. Is quidem, uti & hodie fit, cum quis gentilium ad plures abiiſſet, campanæ, ſive æris ſtrepitum in uſu fuiſſe docet, quia credebant illum ſonum καθαρὸν eſſe καὶ ἀπελαστικὸν μιασμάτων. In plurimis itidem ſacris hunc ſonum in uſu fuiſſe paſſim ex poëtis liquet. Quo alluſit itidem Auſonius,

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

Videris itaque totum illud à gentilium ſuperſtitione originem accepiſſe. Pergamus ad alia.

EXERCIT. VII.

Quare pulchritudinèm capreis comparent Orientales? Arabum mos ſpònſas rapiendi. Tograï poëta Arabicus.

ORientales, uti & Arabes, omnia pulchra capreis comparant, verba hæc egregius locus in Tograï قعيدة, ſunt, ولا اخل بغزلان اغازلها id eſt, *non deſinam virginum blandos ſermones inſtituere.* غزل ſignificat capream, atque hinc modus ille loquendi deſumptus eſt: cauſæ autem hæ dari poſſunt, primo quod ſit animal ὀξυδερκέστατον, adeo ut Plinius l. 28. c. 11. narret hoc animal nunquam lippire. quid vero magis ad pulchritudinem facit quam alacris & vividus viſus? Cele-

Celeritas verò etiam caprearum, denotat in officiis ſuis vigorem: quinimo totum hoc animal & colore ſæpe & odoris præſtantia omnem pulchritudinem excedit. Odorem quod attinet etiam de excrementis obſervat Alexander Aphrod. prob. l. 1. ὅτι ἡ τῶν δορκῶν κόπρος ἀρωματίζει, *quod caprearum ſtercus aromata redolet.* Huc etiam pertinet egregius locus Busbequii in Itinere Conſtantinopolitano, qui dicit ſe cum veniſſet in pagum Semianorum Jagodnam, in exequiis funebribus vidiſſe in cœmiterio erectas in palos cervorum & hinnulorum dedolatas effigies, ad ſignificandam in domeſticis officiis diligentiam. Idem autor nullas ibi nuptias fieri dicit, niſi poſt conſenſum parentum rapiant ſponſi ſponſas. Dictus Poëta Tograi eadem graphicè deſignat, pugnamque elegantiſſime depingit. Nonnulla hic adſcribam, ut elegantiam hujus auctoris oſtendam,

ذالحب حيث العدي والاسد رابضة
حول الكناس لها غاب من الاسل

quod Latine ſonat, & *Amica ubi inimici, & leones cubant, circum latibula, ubi eſt ſilva ex haſtis.* Egregia certe metaphora. Eſt verò hic autor, quandoquidem exiſtimo plures eum non legiſſe, ſententiis denſus, & facundus in deploratione ſuæ fortunæ.

Digitized by Google

EXERCIT. VIII.

De Alcorani vanitate. Quando collectus fuerit Alcoranus.

QUemadmodum inter libros Hæreticos Alcoranus præcipuus eſt, utpote qui tot regna & provincias occuparit, operæpretium fuerit, quædam ejuſdem gravia mendacia annotare. Primo quidem dicit in Suratâ, quæ inſcribitur Pœnitentia, quod Chriſtiani Deos faciunt ſuos Epiſcopos, de Judæis quod Eleazarem Deum habent: in Surata Mirjam, Mariam Dei matrem, eſſe ſororem Aaronis. Quo quid magis ἀνιςόρητον dici poſſet? Porro & in multis ſibi ipſe Muhammed contrarius eſt. In Surata Impacara aſſeverat, Judæos, Chriſtianos, Sabæos ſalvos fore, in Surata Abraham nullum niſi lege Saracenorum. Ex priori Surata videtur Hæreſis Turcica orta, quæ خرافة appellatur, id eſt, fabula. Eorum autem opinio eſt unumquemque ſervari lege ſua. Nugatur quoque admodum, cum in Venere & delitiis mundanis ultimam hominis beatitudinem ponit, illi voluptati affingit hortos, veſtes ſumptuoſas, ut liquet ex Surata Ettachaboni, id eſt, *fraudationis, vel ultimi Judicii*, verba ita ſonant

ومن جلة جناب جري من تحتها
الانهار

id eſt, & *ingredi faciet eum hortos, currunt ab iis fluvii*, &c. quo videtur Paradiſum innuere, & quidem corporalem, ut ex aliis locis patet. Ne nunc dicam de Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Saracenis, cum tamen Mahometus primus Saracenus fuerit, quam multa habentur in Alcorano quæ viam ſternunt omni nequitiæ? Notandum autem قرا quod eſt Arabibus colleſt, Alcoranum, à ligere, nomen accepiſſe. Cum enim antea paſſim in ſchedis aſſervaretur, Abubecrus, qui Muhammedi ſucceſſit, primus collegit. Quod teſtatur Elmacinus in vita Abubecri, ita autem dicit,

قال ابن جعفر الطبري رحمه الله
ان ابا بكر رضي الله عنه اول
من جمع القران من اللوحين فانه
لما اصيبوا المسلمون باليمامة خاف
ان يذهب من القران طايفة واذا
كان في صدور الرجال وفي الرقاع
بين اللوحين. وسماه مصحفا *

id eſt, *Abubecrus autem (ait Abutgafar beatæ memoriæ) primus collegit Alcoranum è tabulis. Cum enim Muſlimi, in Jamana fortunam haberent adverſam; metuit ne Alcorani quicquam periret: erat enim tantum in hominum memoriis, & in ſchedulis*

dulis inter tabulas, vocavitque eum Mushafum. Idem volumen فرقان id eſt *Furcan*, dictum, à فرق quod eſt diſtinguere. Diſtinctus enim Alcoranus eſt in centum & quatuordecim capita.

EXERCIT. IX.

Apud Judæos fuiſſe optimam Politiam. Moſes à Strabone, & Diodoro Siculo laudatus. Figmenta gentilium de Judæis. Tacitus & Plutarchus rejecti. Quare fictum fuerit Judæos Bacchum adoraſſe? Unde Jacchus dictus ſit? Quare aſini caput coluiſſe dicantur?

POlitias ſecundum humanam naturam eſſe, & ab omni principio extitiſſe certum eſt. Homo enim eſt animal Politicium καὶ ὁμιλητικὸν juxta Ariſtot. & qui talis non eſt, aut bellua eſt aut Deus. Quapropter luculentiſſimus alias ſcriptor Cicero utitur parum firmo judicio, qui homines palantes per agros neque naturali, neque civili jure deſcripto aliquando diſcurriſſe lib. 1. de Invent. ſcribit. Apud quos verò optimus Politiæ ſtatus fuerit non immeritò quæritur. Mihi quidem, quantum divina humanis, tantum Judaica Politia aliis præfulgere vedetur. Heîc enim ipſe Deus legiſlator & immediatus rex fuit, cujus adminiſter in legiſlatione Moſes fuit, qui & eo nomine ipſi quoque Joſepho aliiſque Legiſlator nuncupatur. Ipſe Strabo Ethnicus ſcriptor quantum in laudibus Moſis ver-

Digitized by Google

verſatur ? verba ejus elegantiſſima hic Græcè aſcribam, ἔφη γὰρ ἐκεῖνος (Moſes) καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσι οἱ Αἰγύπτιοι, θηρίοις εἰκάζοντες, καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον· οὐδ' οἱ Λίβυες, οὐκ εὖ δ' οὐδ' οἱ Ἕλληνες ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες. εἴη γὰρ ἓν μόνον τοῦτο Θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλατταν ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν καὶ κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν, τούτου δὲ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαῤῥήσειε νοῦν ἔχων ὁμοίαν τινὰ τῶν παρ' ἡμῖν; ἀλλ' ἐᾶν δεῖ πᾶσαν ξοανοποιΐαν, &c. *Affirmabat enim docebatque* (Moſes) *Ægyptios non rectè ſentire, qui beſtiarum ac pecorum imagines Deo tribuerunt, Afros itidem & Græcos qui Diis hominum figuram affingunt. Id verò ſolum eſſe Deum, quod nos & terram ac mare continet, quod cælum & mundum & rerum omnium naturam appellamus, cujus profectò imaginem nemo ſanæ mentis alicujus, earum rerum quæ penes nos ſunt, ſimilem audeat effingere. Proinde omni ſimulachrorum effictione repudiatâ, dignum ei templum ac delubrum conſtituendum ac ſine aliquâ figurâ colendum*, &c. Et hæc quidem diviné. Enimverò optimè Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei, ſine vero Dei cultu nullam Politiam eſſe ſtatuit, & gentium imprimis verò Romanorum quâ parte vacillent indicavit. Nec mihi prætermittendum eſt quod Diodorus Siculus memorat, Moſem fuiſſe primum legiſlatorem, eumque fuiſſe ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν καὶ τῷ βίῳ ἱκανώτατον, id eſt, *virum vaſtâ animâ & vitâ congruâ.* Hæc verò Reſp. quo divinior & auguſtior fuit, eò gentibus viſa eſt magis ridicula. Iccirco Tacitum Tertullianus graviſſimus ſcriptor in Apologetico mendaciorum loquaciſſimum vocat. Quod non univerſé de totâ Hiſtoriâ intelligendum eſt, ſive rem ſive ſtilum conſideres: enimverò uti verus eſt, ita

preſſus

preſſus ac conciſus, & nihil magis ab eo abeſt quam inanis loquacitas: ſed quod de Judæorum origine & ritibus fabulas nugaciſſimas proferat. Quem & Juſtinus & Plutarchus non ſine dedecore ſui nominis imitantur. Præter alia autem vaniſſima commenta, quis non indignatur, cum & porcos & cœlum adoraſſe eos, aſini quoque caput, ipſumque execrandum numen Bacchi coluiſſe aſſeverant? Quæ quidem Cll. Viri, Jo. Seldenus, & Petrus Cunæus, quem ſummo Academiæ damno nuperrime nobis ereptum, etiam lachrymis proſecuti ſumus, notaverunt. Cur ſues & cœlum adoraviſſe credant Judæos, partim ex eo profluxit, quod ex mandato divino propter porcorum immunditiem, & ſimul ad lepram orientalibus familiarem vitandam, iſto animali abſtinuerint, partim quod cœli nomine ipſum ſupremum numen non ſemel S. Scriptura indigitet. Et hæc quidem jam ex aliis nota ſunt. Quare Bacchum illos aſinique caput coluiſſe gentiles exiſtimaverint, nondum plenè traditum arbitror. A ſcenopegiis Judæorum Bacchi cultum profluxiſſe certiſſimum eſt. Quibus hoc addendum eſt, vitem auream templo repertam illi opinioni quoque occaſionem dediſſe. Præclare hoc Tacitus oſtendit, cum dicit, *ſed quia ſacerdotes eorum tibiâ, tympaniſque concinebant, hederâ vinciebantur, vitiſque aurea templo reperta, Liberum patrem coli domitorem orientis quidam arbitrati ſunt.* Et quidem quod ad vitem auream attinet, idem Joſephus de bello Judaico commemorat. Et hæc quidem vitis ex auro mundo confecta erat. Quod Joſephus Gorio-

nides expreſſè oſtendit. *Fecit*, inquit, *Herodes vitem de auro mundo, & poſuit in ſummitate columnarum, cujus pondus erat* 1000 *talentorum aureorum.* Hinc igitur creditum fuit illos Bacchum adorare. Aliam tamen prorſus rationem fuiſſe Theologi norunt. Credibile enim eſt in templo vitem auream poſitam fuiſſe, in memoriam inſignis illius palmitis, qui duorum humeris geſtari vix poterat. Quâ de re loquitur S. Scriptura Numer. 13. v. 23. Ita virgam Aaronis illatam fuiſſe in Tabernaculum Num. 17. cap. habetur. Quamvis hoc modo & vinea Eccleſiæ comparari potuerit. Atque ita in libris Cantic. cap. 1. v. 6. & Matth. 21. v. 33. uſurpatur. Accedebat porro illud, quod Deum שבאוה Bacchum Sabazium referre exiſtimarent: Sabbatumque in ejus honorem inſtitutum, perſuaſum ſibi haberent. Quod Plutarchus quoque 4. Sympoſ. docet, οἶμαι δὲ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν, μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι, Σάββους γὰρ καὶ νῦν πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσιν, id eſt, *arbitror autem Feſtum Sabbathorum non prorſus abſque Baccho fieri: quandoquidem & hodie plurimi Sabbos Bacchos vocare ſolent.* Hæc omnes falſiſſima eſſe novimus. Nihilominus tamen hoc fatendum, in ſacris Bacchicis quædam fuiſſe, quæ à vero & ſupremo numine acceperant Ethnici. Quid enim? nomen Jacchi numquid ſatis aperte יה *Jah* verum Dei nomen refert? Quinimo illa acclamatio, quæ in Bacchicis orgiis locum habebat, ἐλελεῦ ἐλελεῦ, nunquid Hebræorum הללויה *Haleluiah* ſatis manifeſtè repræſentat? Sed de his alibi amplior dicendi locus erit. Quare autem Tacitus dicat, aureum

reum aſini caput Judæos coluiſſe, amplioris eſt indaginis. Ad idem autem de Baccho figmentum refero. Aſino enim gaudere Bacchum antiqui autores teſtantur. In ſacris quoque Iſidis, & Deæ Syriæ, illum morem ſervatum, ut aſino ſacra publica geſtanda committerentur, novimus. Junonem quoque filio Vulcano reconciliaſſe dicitur Bacchus, cum aſino illum in cœlos devexiſſet. Quod Ariſtides in Baccho demonſtrat. καὶ μὴν καὶ τὴν Ἥραν λέγουσιν ὡς μόνος θεῶν τῷ υἱεῖ διήλλαξε, κομίσας τὸν Ἥφαιστον ἄκοντα εἰς τὸν οὐρανόν. καὶ ταῦτα τ' ἀναθεὶς ὄνῳ id eſt, *Junonem quoque ſolus deorum filio reconciliavit, invitum reducens ad cælum Vulcanum, eumque aſino impoſitum.* Hinc igitur cultus aſinini apud gentes opinio. Atque inde Chriſtianos aſinarios dixerunt.

EXERCIT. X.

Magorum nomen cum Elymis idem. Eorum dignitas. Quo pacto Chriſti adventum noverint. Auguſtinus & Hieronymus rejecti.

MAgos antiquis appellatos fuiſſe, qui Theologiæ & Philoſophiæ cognitione excellebant, notiſſimum eſt. Quos quidem Græci Philoſophos, Latini ſapientes vocarunt. Iidem enim cum Elymis, unde & tota Elymaïs dicta eſt. Elymi autem Arabibus ſapientes. Et hoc quidem modo de Magis locutus eſt Plinius lib. 25. c. 1. Pythagoram & Democritum de viri-

bus herbarum ſcripſiſſe refert, peragratis prius Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique regionibus. Magoſque ibidem conſuluiſſe. Maximæ autem omnium autoritatis Perſici fuerunt. Ex quorum numero quandoque reges electos teſtantur Herodotus & Strabo. Hinc itidem Plato in Alcibiade, σοφώτατος μαγείαν διδάσκει. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία, διδάσκει καὶ τὰ βασιλικά, id eſt, *ſapientiſſimus quiſque magiam diſcit, nihil autem aliud quam Deorum cultus eſt, diſcit & illa quæ ad regnum pertinent.* Erant autem iidem Magi in tanto apud Perſas honore, ut ſine iis nihil decerneretur, nihil ratum eſſet, quod ipſi non probaſſent. Falluntur tamen egregie, qui Magos illos, qui ſtellâ ducente Servatorem noſtrum recens natum adierunt, reges fuiſſe exiſtimant. Inter quos eſt Theophylactus. Neque enim tum illo honore fruebantur. Quod ex Strabone liquet. Quæſitum autem eſt ab antiquis patribus, quo modo ad quærendum Servatorem noſtrum excitati fuerint Magi? Divus Hieronymus ita hanc difficultatem ſolvit, commentario in Eſaiam ſeptimo, ut eos à dæmonibus monitos exiſtimet, impuroſque ſpiritus vel invitos eum patefeciſſe qui eorum regnum ſuâ poteſtate extincturus eſſet. Eodem fere modo Auguſtinus de dæmonibus retulit. Verum enimvero, ſalva tantorum virorum autoritate, duriuſculum videtur hoc dæmonibus attribuere. Potius dicendum Magos ab ipſo Deo per Spiritum Sanctum excitatos eſſe, ut ita gentium vocatio & converſio clarè ipſis Judæis demonſtraretur, tum etiam ut maximum illud nativitatis Chriſti prodigium ab ipſis ſapientibus agnoſceretur

&

& divulgaretur, atque unuſquiſque intelligeret ſupra naturam eſſe id quod ageretur; cum ex remotâ Perſide ipſi Magi magnis itineribus ad novum regem filiumque Dei adorandum properarent, illique munera regia offerrent. Novum hoc erat & inauditum, quod puero, neque in regno Perſidis nato, humili, nihilque regium præ ſe ferenti, vili tuguriolo, hunc honorem tribuendum exiſtimaverint, filiumque Dei eſſe prædicaverint. Quæ quidem omnia Judæis maximo opprobrio fuerunt, cum ii illum rejecerint, quem ipſi gentiles agnoverunt. Plura alia tum inter gentes Meſſiæ venturi ſigna apparuerunt. Inter quæ illud quoque fuit. Suetonius narrat ante natalem Auguſti prodigium Romæ factum, regem P. R. naſciturum. Quod ad Auguſtum refert: tanquam novum fuerit regem naſci, cum dictator Julius Cæſar ante eum vixiſſet. Chriſtum nimirum intelligendum eſſe apparet. Cui cujuſque religioni tota magnitudo imperii Romani ceſſit.

EXERCIT. XI.

An Characteres & verba naturalem aliquam vim habeant? Quid ſentiendum de Aſtrologicis prædictionibus?

MAgiam apud antiquos ſanctiſſimam diſciplinam fuiſſe ſuperius oſtendimus. Quod quidem nomen poſtea prorſus infame fuit, cum magicis ſuffitibus, & figuris, characteribus, &

verbis nihil non polliceantur ii qui diſciplinæ illi initiati ſunt, cum vaniſſimas Aſtrologicas & Genethliacas prædictiones oſtentent. Conantur autem eadem rationibus naturalibus fulcire. Primò itaque quæſitum eſt an characteres, & verba ullam naturalem vim habeant? Et proculdubio negandum eſt. Quomodo enim nudæ figuræ quantitate ſolâ aliquid efficere poſſint, nullus hactenus Philoſophorum docuit. Neque fieri poteſt. Accidentia enim, nullam ἐνέργειαν habere poſſunt. Sed totum hoc arti diabolicæ tribuendum eſt. Valeant itaque illa commenta ſine ope dæmonis talem vel talem ſcribendi modum huic vel illi morbo occurrere. Meminit autem hujus moris Q. Serenus Samonicus,

Inſcribes chartæ quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & ſubter repetes, ſed detrahe ſumma,
Ut magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cætera figes,
Donec in auguſtum redigatur litera conum,
His lino nexis collum redimire memento.

Idem de ſtatuis, quæ certo ſiderum concurſu conſtitui ſolent, dicendum eſt. Invocati enim dæmones has ſtatuas intrant. Tales fuiſſe Hebræorum Teraphim dubitari nequit. Arnobius huc reſpexit lib. 1. adverſus gentes, *Ægyptiorum*, inquit, *ex adytis angelorum potentium nomina & remotas furatus eſt diſciplinas.* Verba itidem nihil aliud efficere poſſe quam ut aërem feriant, nemo dubitare poteſt. Abſit itaque ut credamus tacitam aliquam cum rebus naturali-
bus

bus habere ſympathiam. Gravior autem quæſtio eſt, quid prædictionibus Aſtrologicis & Genethliacis tribuendum ſit? Et quidem aſtra omnia ſingularem in hæc inferiorem influentiam habere omnes docti fatentur. Quapropter nonnulla etiam ex cauſis naturalibus prædici poſſe nemo negare poteſt, generalia nimirum. Quæ autem ſingularia ſunt, plane inficior. Quod Aſtrologi & Genethliaci promittunt. Enimvero animam noſtram ſideribus velle ſubjicere & abſurdum & impium videtur. Huc pertinet optimus D. Chryſoſtomi locus in Oratione quintâ περὶ εἱμαρμένης: εἰ γένεσίς ἐστιν, κρίσις οὐκ ἐστιν, εἰ γένεσίς ἐστιν πίστις οὐκ ἐστιν, εἰ γένεσίς ἐστιν Θεὸς οὐκ ἐστιν, οὐκ ἐστιν ἀρετή, οὐκ ἐστιν κακία. εἰ γένεσίς ἐστιν πάντα μάτην, πάντα εἰκῆ καὶ ποιοῦμεν καὶ πάσχομεν, οὐκ ἐστιν ἔπαινος, οὐκ ἐστὶ ψόγος, οὐκ ἐστιν αἰδὼς, οὐκ ἐστιν αἰσχύνη, οὐκ εἰσὶ νόμοι, οὐκ εἰσὶ δικαστήρια, id eſt, *ſi geneſis ſive prædictio ſit, judicium non eſt, ſi geneſis ſit, fides non eſt, ſi geneſis eſt, Deus non eſt. neque virtus, neque malitia, ſi geneſis ſit, omnia fruſtra, omnia temere & agimus, & patimur, non eſt laus aliqua, non vituperatio, non eſt pudor neque verecundia, non ſunt leges, neque judicia.* Audiviſtis diſertiſſimi patris judicium. Quibus addendum eſt, ſi talem occultam potentiam in noſtra corpora conſtellationes haberent, quo modo tamen ad illam prædicendi artem pervenire quis poſſet, velim mihi Aſtrologi oſtendant. Ex nativitatis puncto velle aliquid prædicere fieri non poteſt, cum illud punctum numerari nequeat, ſtatimque nova & ſæpe contraria conſtellatio exoriatur. Neque veriſimile unicam illam conſtellationem plus poſſe, quam tot aſtrorum aſpectus.

qui

qui in vita hac contingunt. Ultimo, ſi fieri poſſet, conceptionis potius momentum conſiderandum erat. Merito itaque hæc vaniſſima deliria rejicimus. Merito hæc ars divinandi ab Imperat. Jure Civili damnata eſt. l. 4. Famil. Erciſc. l. Mathem. c. de Epiſc. audient. Egregia de his eſt conſtitutio Conſtantii Imp. l. 6. de Maleficis & Math. *Nemo aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo ariolum. Augurum & vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldæi ac Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit.* Dio Tiberium quoque Aſtrologos ultimo ſupplicio affeciſſe refert. Quos & Italia expulſos Tacitus commemorat.

EXERCIT. XII.

Sepiæ atramentum quale. Epigramma antiquum enucleatur. Quid ſit μήκων & μηκώνιον apud Græcos.

Sepiam ex mollium genere eſſe teſtatur Plin. lib. 9. c. 28. cum vero mollia omnia atramentum habeant, quod Græci θολὸν appellant, ſepiam tamen magis nigrum habere Ariſt. lib. 4. Hiſt. anim. c. 1. commemorat, quo utitur ad ſe occultandum juxta Oppianum in Ἁλιευτ.

Et

Et Perſium in Satyr. Extat de eâ Epigramma, quod ex MS. Salmaſii erutum enucleabimus.

Fœmineo geminum deſignat nomine ſexum,
Et candens piceum ſepia claudit onus,
Utilior nullus piſcis per cærula oberrat,
Cui pretium capto debuit eſſe duplum,
Præſtat carne cibos, apicum dat felle figuras,
Atque brevis ſpecies uſum ad utrumque facit,
Hanc potius doctis apponere convenit eſcam,
Quæ ſapit in morſu, & quæ probat articulos.

Legebatur in manuſcr. pentam. 3. diſtichi & *brevis ſpecie*, in quarto diſtichi pentametro, vocula, *quæ*, deerat.

Vocat autem hic ſepiam candentem Poëta, cujus loci illuſtrationi, Ariſtot. plurimum facit, ἡ δὲ σηπία δύο τὰ κύτη καὶ πολλὰ ᾠὰ ἐν τούτοις ἔχει, χαλάζαις ὅμοια λευκαῖς, id eſt, *ſepia duas quidem concavitates habet, & multa in iiſdem ova, albæ grandini ſimilia.* Sed quo pacto Poëta dicit, *apicum dat felle figuras?* cum enim antea piceum onus ipſum atramentum vocaverit, idem nunc flavum videtur innuere, cum fel ſit flavum. Dicendum igitur fellis nomine accepiſſe bilem atram, cum fel alioqui etiam nomen habeat bilis ſed flavæ. Bili verò atræ poëticè comparat, cum alioqui poſitâ bile atrâ neceſſario poni deberet illius receptaculum lien, quod contra illius piſcis naturam eſt, cum nulla mollia autore Ariſt. viſcera habeant. Comparatio verò illius bilis atræ & hujus atramenti in

eo

eo conſiſtit, quod utrumque ſit terreum, nigrum, & mali ſucci. Quocirca ſcribit Aëtius in alimento piſcem ipſum craſſum præbere ſuccum, & ægerrimè concoqui, quod idem refert Dioſcorides: meminit ejus quoque Cælius Apitius lib. 9. de re Culinar. cap. 4. Porrò uti bilis atra ſita eſt in liene, ita etiam in veſiculâ quadam ſeu folliculo atramentum ſepia gerit: folliculus ille vocatur Græcis μήκων, cujus meminit Athenæus lib. 7. ita dicens, ὁ δὲ μήκων κεῖται ἐπάνω τῆς κοιλίας οἱονεὶ κύστις, id eſt, *folliculus ille ſitus eſt ſupra ventrem tanquam veſica.* Quod etſi de polypo dicat, Oppianus tamen loquens de ſepiâ ejuſdem meminit, ita enim dicit,

Ἐστὶ τὶς ἐν μήκωνι χόλος κείνῃσι πεπηγώς.

Ab hoc mecone puerorum recens natorum ἀφόδευμα vocatur μηκώνιον, quod eſt nigrum & ſanguineum, ut teſtatur Ariſtot. Hiſt. an. lib. 7. c. 10. In fine hujus Epigramm. dicit Poëta, *& quæ probat articulos*, per articulos digitos intelligo, ut ſit ſenſus, illam eſcam convenire doctis, quæ & optime ſapit, & ſcriptioni librorum inſervit, ſic uſus eſt vocabulo articuli Ovid. lib. 2. de Ponto:

At reditus jam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, ſollicitis ſupputat articulis.

EXER-

EXERCIT. XIII.

Tertulliani ex Sibyllinis oraculis teſtimonia afferuntur. Quid de hodiernis Sibyllinis oraculis ſentiendum. Unde Sibylla nomen. Quid de vaticiniis & oraculis credendum. Cicero & Plutarchus refutati.

LOcus eſt illuſtris apud Tertull. de Pallio ubi in editione beati Rhenani legitur, *Cum inter inſulas nulla jam Delos, harene Samos, & Sibylla non mendax, Æon in Atlantico Libyam aut Aſiam adæquans quæritur nunc.* Pamelius in ſuâ editione ſecutus Adrianum Turnebum pro *Sibylle*, legit *ſi ille*, quam vocem ad Platonem refert, fultus 1. ea ratione, quod ſuperius mentio facta fuerit Platonis, deinde quod Plato in Timæo teſtetur ingentem inſulam in Atlantico mari ſubmerſam, ut & Plinius lib. 2. cap. 42. Sed Salmaſii noſtrumque manuſcpriptum conſtanter Sibyllam retinet : locus verò Sibyllæ, in Sibyllinis oraculis quæ vulgo transferuntur, hic eſt,

Ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται Δῆλος ἄδηλος.

Et alibi :

Δῆλος δ' οὐκέτι δῆλος, ἄδηλα δὲ πάντα τὰ Δήλου.

Quod

Quod Salmaſius quoque notavit & ſi aliis verſibus. In MS. autem Reverendi parentis ita totus locus legitur: *Mutat & nunc localiter habitus cum ſitus læditur: cum inter inſulas nulla jam Delos, arenæ Samos: & Sibylla non mendax autem in Atlantico Libyam aut Aſiam adæquans. Nam quæritur cum Italiæ quondam latus Adriano Tyrrhonoque quaſſantibus mediotenus interceptum reliquias Siciliam facit.* In vulgatis codicibus legitur *& Sibylla non mendax: Æon in Atlantico, &c.* Pro *Æon* emendat Cl. Salmaſius *cum in Atlantico.* Nos autem totum hunc locum ita reſtituimus. *Et Sibylla non mendax autor: In Atlantico Libyam aut Aſiam adæquans* (ſc. inſula) *nunc quæritur: cum Italiæ, &c.* Alibi quoque idem Tertullianus ex Sibyllinis oraculis citat hæc verba, *decima genitura hominum, ex quo cataclyſmus prioribus accidit, regnavit Saturnus & Titan & Jamſetus* (id eſt, Japetus,) *terræ & cæli fortiſſimi filii*, &c. quod in Sibyllinis oraculis ita extat,

Καὶ τότε δὴ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώ-
πων,
Ἐξ ὅπερ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ'
ἄνδρας,
Καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τίταν Ἰαπε-
τός τε
Γαίης τέκνα φέριστα, καὶ οὐρανοῦ, ἐξεκά-
λεσσαν
Ἄνθρωποι γαίης τε καὶ οὐρανοῦ οὔνομα θέντες.

Porrò

Porrò uti in Sibyllinis oraculis, quæ hodie extant multa Sibyllam non redolent & fortaſſe à Chriſtianis contexta ſunt, ita quædam tamen quæ ex iis citant antiqui patres hic inveniuntur, quæ tamen ipſa an etiam γνήσια ſint Sibyllæ, dubitare licet, hoc ſaltem videre liceat habita fuiſſe pro Sibyllinis veris, quandoquidem iis patres utuntur ad refellendas gentes. Unde vero Sibyllarum nomen promanaverit Græci admodum nugantur. Ego certè vocem eſſe Orientalem, non dubito, & deflexam eſſe à סבל i. e. *portare*. Ita & Heliogabalus quaſi portator Dei dictus. Habebant autem incolam Pythium, unde & Græcis ideo ἐγγαστρίμυθοι vocantur. Talis erat quoque ſpecies vatum, qui Euryclitæ appellati fuere, in quibus fatidicus ſpiritus inerat, ita dicti ab Eurycle, cujus meminit Ariſtophanes in Comœdia, cui titulus Σφῆκες, & Plato in Sophiſtâ. Apparet autem Orientalem vocem eſſe, quod antiquiſſima Sambethe appellata fuerit, à Saba, unde Bacchus quoque oriundus fuit, & plures εὐθυζιασμένοι. Hinc etiam Bacchantium clamor, εὐοῖ σαβοῖ, ὕης ἄττης, καὶ ἄττης ὕης, ut teſtatur Strabo: adde quod Pauſanias in Phocicis dicat, ὑπὸ τῶν Λιβύων λέγουσιν ὀνομασθῆναι, & poſtea, ut teſtatur Hermeas Philoſophus in ſcholiis in Phædrum, omnes mulieres τὸν μαντικὸν ἑλοῦσαι βίον dictæ fuere Sibyllæ.

Sibyllam igitur ἐγγαστρίμυθον fuiſſe credidit antiquitas, & inde nomen accepit. Quamvis pauciores tales fuerint, quam vulgo creditum eſt. Plurimas enim melancholicas vel furore correptas fuiſſe exiſtimo. Pleraque etiam quæ

de vatibus & oraculis dicuntur melancholiæ adſcribimus. Impoſtura quoque hic maxime locum habuit. Ideoque cum minus creduli eſſe homines inciperent, oracula & vates defecerunt. De Ethnicis vatibus loquor. Divinos enim ex inſtinctu Dei Prophetas certiſſima oracula effudiſſe ex eorum ſcriptis apparet. Reliqua vaticinia aut impoſturæ, ut dixi, aut melancholiæ adſcribo. Impoſturæ autem quæſtus occaſionem dedit. Non nego tamen dæmonem aliquando ſe immiſcuiſſe. Sed dicat quis, maximi ſcriptores Cicero & Plutarchus refragantur. Cicero hanc *vim quandam*, ut ipſe inquit, *diffundere Deos longe lateque voluit, quam cum terræ cavernis includant, tum hominum naturæ implicent. Nam terræ*, inquit, *vis Pythiam Delphis incitabat, natura Sibyllam.* Prius Plutarchus quoque docet, quando oracula telluris vaporibus adſcribit. Sed velim mihi oſtendant, quo pacto res inanima & rationis expers, qualis eſt terra, præſentium aut futurorum cognitionem habere poſſit. Introduxerunt igitur gentiles tales præcipue mulierculas, quæ furorem arte ſimulare norant, vel quæ atra bile laborarent. Quæ quidem intemperies quantos ſæpe motus agitet alibi oſtendemus.

EXERC.

EXERCIT. XIV.

L. IV. *§. Cato de V. O. explicatur. L. Julianus eod. tit. declaratur. Aliorum opinio refutatur.*

DIfficillimam interpretationem eſſe L. IV. §. Cato D. de Verbor. Obligationib. omnibus Juriſperitis conſtat. In quâ interpretandâ maxima ingenia laborarunt. Ita autem loquitur Juriſconſultus Paulus lib. XII. ad Sabinum: *Cato libro quintodecimo ſcribit, pœnâ certæ pecuniæ promiſsâ, ſi quid aliter factum ſit: mortuo promiſſore ſi ex pluribus hæredibus ejus, unus contra quam cautum ſit, fecerit: aut ab omnibus hæredibus pœnam committi pro portione hæreditariâ, aut ab uno tantum pro portione ſuâ ab omnibus, ſi id factum, de quo cautum eſt, individuum ſit, veluti iter fieri vel non fieri, quia quod in partes dividi non poteſt, ab omnibus quodammodo factum videretur.* Ultima hæc verba mihi ſummam difficultatem fecerunt. Neque enim ſatis percipere poteram quo pacto plurimæ alias leges, quæ ſpecietenus contrariæ videbantur, explicandæ eſſent. Intelligebam quidem in facto individuo, niſi in ſolidum peccari non poſſe. Non tamen illud ſequi videbatur, omnes meruiſſe pœnam, ſi unus peccatum aliquod commiſiſſet. Atque illud maximi Juriſconſulti Paulus & Ulpianus me docuerunt. Optimum argumentum ex Paulo, qui hujus itidem legis auctor eſt, peti poteſt. Qui quidem contra hanc legem l. ſupra iter

5. Apud Ferocem. ff. de Aq. Pl. arc loqui videtur. Clarius autem Ulpianus J. C. l. 5. §. 5. ff. de Operis novi nuntiat loquitur, cum dicit, *ſi plurium res ſit in quâ opus novum fiat, & uni nuntietur, rectè facta denuntiatio eſt, omnibuſque dominis videtur denunciatum. Sed ſi unus ædificaverit poſt novi operis nuntiationem, alii qui non ædificaverint non tenebuntur. Neque enim debet nocere factum alterius qui nihil fecit.* Quomodo igitur peccaſſe dicuntur, ſinguli, ſi factum alterius non noceat? ſi non peccaverint, quomodo tenebuntur? Non itaque omnes tenentur, quia uno peccante ipſi etiam peccaſſe videantur. Neque etiam peccaſſe dicendi ſunt. Hoc tantum iis nocet quod conditio ſtipulationis hæreditariæ non extiterit. Sufficit enim aliter factum eſſe, etſi alii peccati autores non ſint. Promiſſionem enim tamen tranſgreſſi ſunt, quamvis unius facto. Damnum tamen illud, quod ab uno factum eſt, reſarciri debere planè ſentio. Quod ex Juriſconſultorum quoque libris oſtendi poſſet, niſi brevitatem potiſſimam haberemus; ſed dicat aliquis, imo in totum etiam illi in pœnam incidunt, qui non peccarunt, neque actione ullâ experiri poſſunt, quod L. Julianus in pr. de V. O. oſtendere videtur. Ita enim Scævola loquitur, *Julianus ſcripſit: ſi neque per te, neque per hæredem tuum Titium fieret, quo minus mihi ire liceat: ſtipuler non ſolum Titium teneri ſi prohibeat, ſed etiam cohæredes ejus.* Sed dicendum eſt in tali cauſâ, nomine unius hæredis omnes tacite teneri. Quod ſi omnes peccaverint, nullum dubium eſt omnes in pœnam incidere. Si unus, etiam alii contra eum agere

poterunt. Quod ſuperius admonuimus. Nonnulli ſubtilem & difficilem hanc materiam ita interpretantur, ut velint defunctum & omnes hæredes pro uno cenſeri, atque ita dicunt quod ab uno factum eſt, ab omnibus factum videri. Quod abſurdum & ineptum eſt. In facto enim individuo unaquæque perſona defuncti vices obtinet. Atque ita in ſolidum tenetur. Cæteri tamen etiam in ſolidum actionem habent, contra delinquentem, uti aliquoties admonuimus.

EXERCIT. XV.

Patres antiqui, uti & jus Canonicum Bigamiam præcipue in Clericis reprehendunt. Unde hoc profluxerit? Germanorum continentia. Quid de Polygamia in Veteri Teſtamento dicendum ſit?

Bigamiam antiquos patres omnino improbaſſe, præſertim in clericis, ex eorum ſcriptis liquido apparet. Quod Athenagoras in Apolog. ſuâ ad Cæſares, & Tertullianus libro de Monogamia, non tamen ſine exceſſu Montani dogmatis, & Hieronymus Apologiâ contra Jovinianum ſatis ſuperque teſtantur. Idemque Jus Canonicum mox ſecutum eſt. Uti ex Tit. de Bigamis ordinandis conſtat. *Super eo*, inquit Pontifex, *quod tua fraternitas requiſivit, reſpondemus, quod ordinatores eorum, poteſtate & officio ordinandi, & ordinati, ſi ad ſacros or-*

dines fuerint promoti, eis ideo ſunt privandi, quia in bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros ordines promoveri, vel in eis, ſi promoti fuerint, permanere. In ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, ut ordinandi poteſtate & officio non privetur. Idem dicendum voluit Innocentius tertius *Cap. Nuper*, in iis matrimoniis quæ jure non conſiſtunt. Eandemque ſententiam poſtea approbavit Gregorius X. in ſexto Decretalium. Quamvis autem Canoniſtæ locum Apoſtoli contra ejus menten interpretentur, cum ad Polygamiam Judæorum reſpiciat, ab ~~antiquorum tamen Romanorum inſtituto~~ totum hoc profluxit. Romanis enim inhoneſtum erat ad ſecundas provolare nuptias. Quapropter merito juxta Romanorum conſuetudinem Virg. lib. IV. Æneidos Didonem introducit loquentem;

Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi
Conjugis, & ſparſos fraternâ cæde Penates,
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantis
Impulit, agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Sed mihi vel tellus opto prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi noctemque profundam:
Ante pudor quam te violem, aut tua jura reſolvam.
Ille meos primus, qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

Egregius itidem huc locus facit Valerii Max. cum. lib. IV. c. 1. ita loquitur : *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. Exiſtimabant enim eum præcipue matronæ ſyncera fide incorruptum eſſe animum, qui depoſitæ virginitatis cubile pudicum egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam, quaſi illegitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.* Etſi autem hæc teſtimonia de fœminis loquantur, idem tamen etiam de viris dicendum. Quibus non admodum honeſtum erat ad ſecunda vota properare. Præcipue ſacerdotibus. Unde maximus ſcriptor Plutarchus docet, nefas apud Romanos habitum Flaminem ab uxore divertere, mortua autem uxore ſacerdotio ſe debuiſſe abdicare : cum enim Flaminem caſtum eſſe oporteret, etiam omnem ſuſpicionem abeſſe volebant. Demoſthenes quoque κατὰ Νεαίρας refert ſacrificulum Athenienſium non potuiſſe viduam ducere. In aliis itidem gentibus ſecundas nuptias in uſu non fuiſſe ex antiquis autoribus conſtat. De Germanis id Tacitus affirmat. *Sic*, inquit, *unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam.* Procopius quoque libro 3. de bello Gothorum Erulis infamem eſſe mulierem docuit, niſi mortuo marito, ad ſepulchrum mortem ſibi conſciſceret. Quod uti durum & horrendum, ita egregiè demonſtrat ſecundas nuptias prorſus illicitas fuiſſe. Atque hæc quidem dicta ſunt, non ut Digamiam reprehenderemus (licitam enim eſſe etiam iis qui ſacris initiati ſunt ex S. Scripturâ liquet) ſed ut demonſtraremus antiquos patres & Jus Canonicum ita

religioſè de eâ ſenſiſſe, quod antiquis non fuerit honeſtum ad ſecundas nuptias properare. Et hactenus quidem de Bigamia. Nobilis itidem quæſtio ſe offert, quid de Polygamia, quæ in Veteri Teſtamento conſueta fuit, dicendum, & nunquid adulterium ſit. Non eſſe dicendum adulterium certiſſimum eſt. Quod ex 1 Reg. 15. 5. apparet. David illo loco nullum aliud grave peccatum commiſiſſe dicitur, quam in negotio Uriæ. At ſi Polygamia fuerit adulterium, graviſſimum itidem hoc peccatum fuerit. Quid igitur de Polygamiâ ſentiendum? Reverendi parentis mei ſententia nobis admodum arridet. Is enim in matrimonio diſtinguit τὸ εἶναι & τὸ εὖ εἶναι. Ad eſſentiam matrimonii pertinet, ut certa ſit uxor, liberique. Si enim hæc incerta eſſent, & confuſio ſeminis eſſet, & maritalis atque patria poteſtas tolleretur. Illud autem in Polygamia locum non habet. Τὸ εὖ εἶναι hic tantum deſideratur. Quapropter matrimonium quidem eſt, ſed non in tantâ perfectione, quâ debebat. Multo igitur minus dicendum eſt hoc fuiſſe adulterium, in Veteri Teſtamento. De novo nullum dubium eſt. Veriſſima hæc & ſimpliciſſima, aut egregiè fallor, hujus quæſtionis interpretatio eſt, omnibuſque eruditis placebit. Aliter hæc explicat celeberrimus vir Conſtantinus L'Empereur. Exiſtimat enim Deum quædam præcipere quia in ſe juſta ſunt, neque mutari poſſunt, quædam certo reſpectu, quia Deus ita voluit, eaque locum habere quamdiu legiſlatori placet. Potuit itaque Davidi aliiſque Patriarchis licita eſſe Polygamia ſingulari Dei beneficio. Ingenioſa hæc

eſt

eſt veri eruditiſſimi ſententia. Simpliciorem tamen & potiorem eſſe priorem ſententiam ipſe pro candore ſuo non negabit, uti enim in omnibus ſcientiis & linguis principatum tenet, ita & aliorum ſæpe judicio ſubmittere ſe ſolet. Non potui non pro affectu, quo illum proſequor, hoc Epigrammate in nobiliſſimi viri honorem concludere. Neque hoc, ut credo lectori ingratum erit.

Græcia cum Latio noſtram migravit in urbem,
Hîc poſuit ſedem docta Minerva ſuam,
Hîc ſibi Parnaſſum, fontiſque Libethridos undas,
Condidit Aônii præſes Apollo chori:
Quemque vides montem, mediâ qui cingitur urbe,
Hic ſacra Parnaßi culmina fronte refert,
Quemque vides Rhenum leni ſtrepitare ſuſurro,
Pegaſis hæc noſtris vatibus unda fuit:
Tu quoque tot gentes, unam deducere in urbem
Imperio poteras, Cæſare nate, tuo:
Feſtinavit Arabs, miſit ſua dona Sabæus,
Et ſtupuit vultum gens recutita tuum,
Ac procul à patriâ nimium Babylona ſuperbam
Pene ſub Arctoo vidimus eſſe polo,
Venit & Ægyptus nimio fervore peruſta,
Quæque Dagon coluit turba profana Deum.
Vidit ut hæc Pallas, ſecumque ut ſingula volvit,
Hæſit in aſpectu virgo patrîma tuo,
Hæſit, virgineumque alte bibit ipſa ruborem,
Ingenio victam dum pudet eſſe tuo:

Hæſit; & , ô, dixit, quid nunc mihi numina proſunt?
Et genus ad magnum poſſe referre Jovem?
Ingenium noſtrum concluditur Hellade tantum,
Hujus ad Eôos fama pererrat agros:
Ingemuit, ſceptrumque ſuum, quod forte gerebat,
Tradidit heu nimio victa pudore tibi.
Ingenio ſuperare homines, vir maxime, multum eſt,
Divinum eſt ipſam vincere poſſe Deam.

EXERCIT. XVI.

Melancholici ingenioſi. Ariſtoteles & Plato conciliantur. Morbidæ melancholiæ effectus. Quid de Lycanthropia ſentiendum ſit. Lycaonis fabula explicatur.

ARiſtoteles Problematum Sect. XXX. commemorat omnes qui ingenio claruerunt, vel in ſcientiis vel in republicâ adminiſtranda inſignes fuere, melancholicos fuiſſe. Plato in libro de Scientiâ, cholericis totum hoc tribuit, eoſque qui ſunt natura graves, quales ſunt melancholici, tardos & obliviosos eſſe docet. Quæ verba quomodo concilianda ſint aliquando mecum expendi. In eam denique ſententiam perveni, ut exiſtimem Platonem non ſimpliciter de cholericis hæc ſcribere (ii enim ſunt quidem ſubiti in inventionibus, ſed leves quoque & oblivioſi) ſed quatenus cum melancholia cholera temperata eſt. Quæ & Ariſt. ſententia fuit, ὅσοις γὰρ πολλὴ καὶ ψυχρὰ ἐνυπάρ-

χει

Digitized by Google

χει νωθροὶ καὶ μωροί, ut maximus Philoſophus loquitur. Et hæc quidem de ſanâ melancholia intelligenda ſunt. Morbida alioqui varios effectus habet in corpore humano. Imaginantur enim ſibi multa quæ nec in rerum natura ſunt, nec eſſe poſſunt. Quod fieri ex vaporibus, qui in cerebrum aſcendunt, & mirum in modum perturbant phantaſiam, certiſſimum eſt ex Medicorum libris. Nonnunquam ſi augeatur in phreneſin deſinit. Unde tradit Crinitus lib. 3. de honeſtâ diſcipl. cap. 9. in Galliâ Lugdunenſi multas fœminas, ſe in puteos conjeciſſe, idemque in Salentinis contigiſſe à Neæra quadâm. Eodem tempore Petrus Leonius Philoſophus, mox etiam Laurentianus Florentinus, etiam ſcriptis notus, utpote qui Venetiis ediderit lib. de Elocutione, idem fatum habuerunt. Aliquando in comitialem morbum mutatur, in quo quidem morbo ſæpe homines quaſi ἐκστατικοὺς eſſe ſcribit Hippocrat in libr. de Morbo ſacro, quam Ariſt. ἱερὴν νόσον καὶ θεῖον &c appellat, Galenus verò ὀλιγοχρόνιον μανίαν Quæſitum porrò eſt quid ſentiendum de Lycanthropia? Paſſim enim etiam doctiſſimorum virorum opinio increbuit, homines nonnunquam in lupos mutari. Inter quos Caſpar Peucerus, qui in Livoniâ hoc quotidianum eſſe ſcribit. Herodoti hâc de re inſignis locus eſt, λέγεται ὑπὸ Σκυθέων καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Σκυθικῇ κατοικημένων, ὡς ἔτεος ἑκάστου ἅπαξ τῶν Νευρῶν ἕκαστος λύκος γίνεται ὀλίγας ἡμέρας, καὶ αὖθις ὀπίσω εἰς τὠυτὸ καθίσταται: ἐμὲ μὲν νυν ταῦτα λέγοντες οὐ πείθουσι: λέγουσι δὲ οὐδὲν ἧσσον, καὶ ὀμνύουσι δὲ λέγοντες, id eſt, *refertur à Scythis, & Græcis qui in Scythiâ habitant, omnes quotannis*

nis Neuros in lupos mutari, atque iterum ad priſtinum redire habitum: Quod tamen quamvis dicant, mihi tamen non perſuadent. Nihilominus tamen etiam cum juramento affirmant. Merito ſe nullam iis fidem adhibere dixit Herodotus. Dicendum enim eſt Lycanthropiam ſpeciem eſſe melancholiæ ex Medicorum libris. Quod & Galenus & Aëtius teſtantur. Quinimo & verba Aëtii, qui illa ex Galeno deſumpſit, Herodoti verbis reſpondent, cum quotannis Lycanthropiam illam fieri commemorat: verba Aëtii ex lib. 6. c. 11. hæc ſunt: οἱ τῇ λεγομένῃ κυανθρώπῳ ἤτοι λυκανθρώπῳ νόσῳ κατεχόμενοι κατὰ τὸν φεβρουάριον μῆνα νυκτὸς ἐξίασι τὰ πάντα μιμούμενοι λύκους, ἢ κύνας. καὶ μέχρις ἡμέρας τὰ μνήματα μάλιστα διανοίγουσι, id eſt, *Et quidem qui Lycanthropia aut Cyanthropiâ laborant, Februario menſe, nocte egrediuntur, atque in omnibus lupos imitantur aut canes, & uſque ad diluculum ſepulchra & monumenta aperiunt.* Melancholiam itaque hanc eſſe non dubito. Diabolum tamen etiam ſuas artes immiſcere credendum eſt. Ita intelligendum eſſe id quod Ovid. de Lycaone dixit, omnes, ut credo, mecum fatebuntur. Morbus nimirum originem fabulæ dedit. Et ſi alii ad mores hanc fabulam traducant. Verba ingenioſiſſimi Poëtæ hic apponam ex lib. 1. Metamorphoſ.

Territus ipſe fugit, nactuſque ſilentia ruris,
Exululat, fruſtraque loqui conatus ab ipſo
Colligit os rabiem, ſolitaque cupidine cædis
Utitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet.

In

In villos abeunt veſtes, in crura lacerti,
Fit lupus ——— ———

Neque melancholia Lycanthropiam ſolam inducit, ſed & alias quaſque imaginationes. Galenus *lib.* 3. *de Locis Affectis* ſcribit quendam ſe teſtam eſſe imaginatum eſſe, ne autem collideretur ſibi quam maximè metuiſſe. Egregio de hâc re teſtimonio Tralliani Medici concludemus qui *lib.* 1. *c.* 17. ita loquitur, ἴσμεν δὲ καὶ ἄλλας μυρίας εἰδότα τὸν τοιοῦτον χυμὸν ἐπιφέρειν ξενάς τε καὶ πολυτρόπους φαντασίας. καὶ ὅτι οἱ μὲν ἐνόμιζον εἶναι κέραμον αὐτοὺς, ἄλλοι δὲ βύρσαν, ἕτεροι δὲ ἀλεκτρυόνα, καὶ μιμεῖσθαι θέλειν τὴν ἐκείνου φωνήν. καθάπερ οἱ ἄλλοι ἀηδόνα τὸ ὄρνεον ἐνόμισαν εἶναι, καὶ κλαίειν ὅτι τὸν Ἴτον ἀπώλεσαν. ἕτεροι δὲ ὅτι τὸν οὐρανὸν βαστάζουσιν, ὡς Ἄτλας. καὶ δεδιέναι φασὶ μὴ καταπέσῃ, καὶ οὐ μόνον ἐκεῖνον, ἀλλὰ καὶ πάντας ὁμοῦ συντρίβειν, id eſt, *novimus ejuſmodi humorem, etiam alias novas & infinitas imaginationes inducere poſſe. Nonnulli enim ſe vas fictile eſſe, alii corium, alii gallum gallinaceum exiſtimarunt, ita ut ejus vocem imitarentur. Quemadmodum alii luſciniam eſſe crediderunt, & mortem Itios deplorarunt. Nonnulli ſe tanquam Atlantem cœlum humeris portare exiſtimant, & metuunt ne in ſe cadat, & ſimul ſe alioſque omnes conterat.* Ex his aliiſque locis certiſſimò apparet quid de Lycanthropia ſentiendum ſit.

EX-

EXERCIT. XVII.

Poëſis ab Hebræis profluxit. Qualis fuerit ignoratur. Non fuiſſe Rythmicam oſtenditur. Orientales plurimum alluſionibus utuntur. Apollo & Bacchus præſides Poëtarum. Illi Orientales. Muſa à Moſe dicta. Uti & Muſæus. Poëſis etiam ſine fictione conſiſtit. Ejus ſubjectum τὸ πᾶν.

ANtiquiſſimam eſſe Poëſin & ante ſolutam orationem extitiſſe notiſſimum. Ab Hebræis quoque & orientalibus profluxiſſe, ſicuti & omnes alias diſciplinas, certiſſimum arbitror. Uti ſatis ſuperque liquet ex S. Scripturâ. Cujus nonnulla ſcripta verſibus ex ſtilo apparet. Id Auguſtinus quoque etſi linguæ Hebrææ ignarus ſatis ſuperque demonſtrat. *Quibus*, inquit, *numeris conſiſtant verſus Davidici, non ſcripſi, quia neſcio, neque enim Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros interpretes exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate, amplius quam ſcientiarum ratio ſinebat, digredi cogeretur. Certis tamen conſtare numeris credo illis, qui illam linguam probe callent: amavit enim vir ille ſanctus Muſicam piam, & ad ea ſtudia nos magis ipſe quam ullus autor alius accendit.* Ne autem aliis teſtimoniis moleſtus ſim, ego exiſtimo certiſſimum eſſe Davidis aliorumque ſcripta, ſine dubio verſus eſſe. Qua-

les autem ſint nemo hactenus eruditorum, ut opinor, ſolide oſtendit. Neque enim ita ſolicite pedes quærendos exiſtimo, ut nonnulli faciunt. Quamvis autem & D. Hieronymus pedum mentionem fecit, nunquam tamen demonſtravit. Rythmicos fuiſſe verſus qui dicunt, antiquorum Orientalium, velim ſciant ante ætatem Aben-Eſræ in nullis Judæorum ſcriptis imo ne quidem in ipſo Thalmude illam Poëſin apparere. Proprium quidem ſemper fuit Orientalibus ὁμοιοπτώτοις in ipſâ proſa certare. Quot occurrant nominum alluſiones in ſpurciſſimo illo Alcorano, illi norunt qui eum evolverunt. Nemo tamen Alcoranum verſibus deſcriptum dicat. Idem ex Proverbiis Ali Imperatoris luculente apparet. Ut igitur ad propoſitum revertar, ab Hebræis origo Poëſios petenda eſt. Quod inde quoque liquet, quia ad Apollinem & Bacchum Orientalium deos eam referunt. Quos quidem deos Cadmus in Bœotiam primus induxiſſe videtur. At quales dii? antiquiſſimi. Apollinem Cretenſibus Ἀβέλιον dictum doctiſſimus Heſychius docet. Apellinem quoque veteres dixiſſe teſtis eſt Feſtus. Quem quidem cum Belo eundem eſſe exiſtimamus. Muſas eidem affinxerunt. Quod an non ab ipſo Moſe ſcientiarum principe deduxerint, viri docti viderint. Mihi certe non diſplicet. Et Muſæi antiquiſſimi Poëtæ nomen eodem forte referri debet. Quod admirandi ingenii juvenis M. Zuerius Boxhornius nos docuit. Eodem autem Colophonii antiqui Poëtæ verſus facit,

Οὐ μὴν ὧδ᾽ υἱὸς Μήνης, ἀγέραστον ἔθηκεν
Μουσαῖος, χαρίτων ἤρανος Ἀντιόπην.

Muſæum dicit Poëta Lunæ filium, quod antiquiſſimus fuerit. Ita Arcades ante Lunam natos veteres dixerunt. Hic igitur antiquiſſimus Moſes Muſæus eſt. Bacchi quoque cultum, qui Poëtarum præſes eſt, Orientalem eſſe, omnes, ut opinor, norunt. Cætera quæ de Parnaſſo, Helicone, quæ vocabula Hebraïca ſunt, aliiſque ejus generis dici poterant, incomparabiles viri Iſaacus Caſaubonus & Daniel Heinſius annotarunt. Ab Hebræis itaque Poëſin oriundam eſſe nemo dubitare poteſt. Qui quidem res ſerias & divinas iis adumbrarunt. Quos mox Hymnographi Græci ſecuti ſunt, mox etiam Philoſophi. Cadit igitur illorum ſententia qui exiſtimant, Poëtam non eſſe dicendum, qui res veras & quidem ſeriò tractat. Quod uti falſiſſimum eſt, ita à multis tamen receptum eſt. Putant enim & fictionem & carmen Poëma efficere. Cum antiquiſſimus modus Poëſios ut ſimpliciſſimus, ita etiam abſque fictione fuerit. Niſi velimus ſummos Poëtas Empedoclem, Parmenidem, Lucretium, Aratum, Manilium, Poëtarum numero excludere, qui tamen de natura egregiè diſſeruerunt. Uti igitur Poëſis pictura quædam loquens, ita & pictura tacita quædam Poëſis eſſe eleganter dicitur.

citur. At vero Pictura nunquid ſi res veras adumbret, pictura non erit? Nemo ſanæ mentis dixerit. Idem de Poëſi dicendum. Ejus enim materia eſt τὸ πᾶν, i. e. univerſum, ſive verum ſit, ſive fictum. Neque enim fictionem à Poëſi ſeparamus, ſed veram tantum Poëſin etiam poſſe conſiſtere ſine fictione contendimus. Sed dicat aliquis, nos igitur omnes artes atque ſcientias Poëſi velle ſubjicere. Veriſſimum eſt, neque aliter ſubſiſtere poteſt. Quis enim illa depingere poſſit quæ ignorat? At quoties de divini numinis poteſtate, de cæleſtibus rebus & æternis, de natura, de regionibus, de legibus ex profeſſo tractant? Quid ergo an univerſam Cyclopædiam cerebro ſuo comprehendere Poëta debet? Res certe infinita atque immenſa videtur: neque humanum ingenium id aſſequi poteſt. Neque hoc nego. Sed omnium ſcientiarum fontes tenere poteſt, atque ex iis præclariſſima quæque decerpere. Quod niſi agat, prorſus jejuna erit Poëſis, & verba vacuas effundet in auras. Quæ quidem omnium ſcientiarum cognitio uti in omnibus antiquis Poëtis eſt, ita præcipuè in principe Poëtarum Homero. Qui quantus fuerit in rebus naturalibus, & in Ethicis, ejus ſcripta abundè teſtantur. Quantus Geographus, Strabo paſſim docebit, qui in Geographiâ ſuâ quaſi commentarium in eum ſcripſiſſe videtur. Quantus Anatomicus, ex Medicorum libris innoteſcit. Noſtram hanc opinionem, etiam Ammonius & Averroës maximi ſcriptores adſtruunt, cum & Poëſin Philoſophiam eſſe aſſeverant. Quorum tamen ſententiam lib. 2. de Natura

Logicæ acutiſſimus Zabarella non videtur intellexiſſe.

EXERCIT. XVIII.

Quare Ægyptii Serpentem coluerint? Quis Apollo Pythius? Quare eum jaculatorem finxerit antiquitas? Cur Cadmus in anguem mutatus? unde annus & ἐνίαυτος dictus ſit? Ægyptii ab Hebræis annum acceperunt.

QUæſitum eſt quare Ægyptii ſerpentem coluerint? Et quidem talem qualem nobis depingit Claudianus,

Perpetuumque virens ſquammis, caudamque reducto
Ore vorans, tacito relegens exordia viſu.

Ridicula enim plurimis videtur relligio, ſerpentem colere. Quod animal maxime noxium hominibus eſſe novimus. Ego vero eos ipſum Apollinem ſive ſolem eo ſigno deſignaſſe non vane arbitror. Innuebant autem eum, quando in ſua veſtigia reverteretur. Non ſecus enim atque ſerpens circulum & gyrum ſuum conficit, ita Solem per Zodiacum circulum ſuum conficere exiſtimabant. Serpentes itidem acutiſſimi viſus eſſe, maxime dracones, is qui naturæ non imperitus eſt non ignorat. Quod & Soli aſſcribunt merito antiqui. Atque

que ex hâc interpretatione nobilis itidem quæſtio ſolvitur, quare Pythium, Apollinem veteres dixerint? Multas hic vaniſſimas nugas Mythologi comminiſcuntur. At vero Python Hebr. פתן, id eſt, Serpens eſt. Quo Apollinem deſignabant. Ex linguarum autem ignorantia plurima illos neſciviſſe nemo dubitat. Ignorantia autem in fabulas aniles abiit. Quod ex èo itidem liquet. Fingunt Apollinem jaculatorem. Hoc itidem ex imperitia commentum profluxit. Apollinem cum Belo eundem non ignoramus. Audiebant itaque vocem τȣ̃ Βήλȣ, & cum βέλος Græcis ſagittam denotet, eandem ei attribuerunt. Hæc veriſſima ſunt, etſi alii ad naturales rationes confugiant. Ad ſtabiliendam ſententiam noſtram facit inſignis locus Ovidii, quando lib. 4. Metamorphoſis Cadmum in anguem mutatum fabulatur. Cadmus enim nihil aliud quam Orientem Solem denotat. Hunc autem Cadmum eundem cum Sole eſſe ex Harmonia ejuſdem uxore patet. Uti igitur Cadmi uxor Harmonia, ita & circa Apollinis ſimulachrum lyram effingebant, quæ cæleſtis harmoniæ imaginem referebat. Neque mirum Solem per ſerpentis anfractum denotaſſe veteres, cum & Servius Grammaticus annum ita dici tanquam annulum velit, quod in ſe nimirum revertatur. Quod & Virgilius omnis antiquitatis promus condus egregiè expreſſit, ubi inquit,

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Ἐνιαυτὸν quoque Græci quaſi ἐν ἑαυτῷ dixerunt.

Quod Plato in Cratylo obſervavit. Quapropter Theon Alexandrinus huc alludens ἐνιαυτὸν dici ait, quum ab eodem temporis puncto in idem Sol revertitur. Pan quoque loco ſymboli ideo incurvum baculum habebat. Quo annum in ſe recurrentem innuebant. Porro variis annis antiquos uſos fuiſſe certò liquet. Primos autem Ægyptios annum obſervaſſe Macrobius & Herodotus affirmant. Ex quibus Herodotus etiam duodecim menſibus definiviſſe refert. Quod an verum ſit ſuperius vidimus, cum menſe Septembri conditum mundum aſſereremus. Antea enim & annum bimeſtrem apud Ægyptios fuiſſe certiſſimum eſt. Ab Hebræis itaque origo anni petenda eſt. Ægyptiorum autem antea bimeſtrem vel trimeſtrem fuiſſe annum ex Cenſorino, maxime autem ex Pomponio Mela oſtendi poteſt. Is lib. I. c. 9. loquitur: *Ægyptii vetuſtiſſimi hominum, ut prædicant, trecentos & triginta reges ante Amaſin, & ſupra tredecim millium annorum ætates, certis annalibus referunt.* Quæ quidem falſiſſima eſſe, niſi ad annos bimeſtres vel trimeſtres referatur, omnes intelligimus. Atque ita intelligendus Homerus cum de Neſtore loquitur,

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Γενεὰν

Γενεὰν autem Ovidius centum annis definit, cum de Neſtore ita loquitur.

—— —— vixi
Annos bis centum, jam tertia vivitur ætas.

totum itaque hoc ad annorum exiguum ſpatium referimus, niſi Herodoto ſuffragemur, qui tres geneas centum annis circumſcripſit. Cui tamen noſtrum calculum non addimus. Genea enim proprie eſt Latinorum ſæculum, quod eſt centum annorum. Sed ad rem. Ægyptii igitur annum ſuum ab Hebræis acceperunt. Quo tempore maximus ſcriptor Joſephus teſtatur Antiquit. Judaic. lib. 1. c. 9. Abrahami nimirum. Ejus verba hic adſcribam. Τήν τε Ἀριθμητικὴν (*Abrahamus*) αὐτοῖς (ſc. *Ægyptiis*) χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ Ἀστρονομίαν παραδίδωσι. πρὸ γὰρ τῆς Ἀβράμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς, id eſt, *Et numerorum ſcientiam* Abrahamus *& ſiderum benigne illis communicavit, nam ante Abrahami adventum Ægyptii earum rerum prorſus rudes erant,* Si igitur nulla fuit apud eos ſiderum cognitio, multo minus annum ad cœleſtem motum conſtituere potuerunt. Ab Ægyptiis poſtea ad Græcos, à Græcis ad Latinos profluxit.

EXERCIT. XIX.

Unde ſiniſtra aves fauſtæ apud Romanos. Quomodo Latini, Græci, Judæi, Ægyptii cœli plagam aſpexerint.

DExtrum pro fauſto, ſiniſtrum pro infauſto haberi ipſa rerum natura docet. Nobilis autem eſt quæſtio, quam movet in Quæſtio nibus Romanis Plutarchus quare in auſpiciis aves ſiniſtræ pro fauſtis habeantur apud Romanos, contra quam apud Græcos. Dicendum autem eſt alio modo Græcos, alio Latinos cœli plagas conſideraſſe. Livius libro primo teſtatur Latinos Auſtralem plagam dextram, Septentrionalem ſiniſtram feciſſe. Quod Judæi quoque obſervarunt, qui cum oculos ad Orientem converterent, quem קדם appellant, Auſtrum pro dextrâ, Septentrionem pro ſiniſtra habent. Unde etiam iidem cum Orientem verſus reſpicerent, eum פנים, id eſt, *faciem*, Occidentem אחור, id eſt, *poſterius*, Auſtrum ימין, id eſt, *dextram*, Septentrionem צפון ab *occultando* dixerunt. Atque hinc profluxit mos ille tam apud Judæos quam Chriſtianos ad ortum Solis in precibus ſe conferre. Tertullianus in Apologetico: *deinde ſuſpicio Solem nos adorare, quod inolucrit ad Orientis regionem precari, Sed & plerique veſtrum affectatione aliquando & cœleſtia adorandi, ad Solis ortum labia vibra-*

vibratis. Sed hæc notiſſima ſunt. Proferimus autem tantum ad illuſtrandam hanc materiam. Videndus tamen Auguſtin. libr. 2. de Sermone Domini, ubi antiquiſſimi hujus moris rationem reddit. Latini igitur in cœleſtis plagæ intuitu idem obſervarunt quod Judæi, Græci autem contrarium modum tenuerunt. Reſpectus illos optime docuit Cleomedes, qui Occidentem anticam partem eſſe voluit, poſticam Orientem. Quem morem cum Græci obſervarent, neceſſario borealem plagam dextram, auſtralem ſiniſtram habuerunt. Sed multo melius Latini atque Judæi. Quamvis Ægyptios cum Græcis convenire Plutarchus in libr. de Iſide & Oſiride ſcripſit: Αἰγύπτιοι, inquit, οἴονται τὰ μὲν ἑῷα τοῦ κόσμου πρόσωπον εἶναι, τὰ δὲ πρὸς βοῤῥᾶν δεξιὰ, τὰ δὲ πρὸς νότον ἀριστερὰ, id eſt, *Ægyptii putant orientem ſolis mundi eſſe frontem. Sed aquilonares dextras, auſtrales verò ſiniſtras.* Idem Plato adſtruit. Ariſtoteles autem Orientem eſſe dextram, Occidentem eſſe ſiniſtram voluit. Quod Mathematicis demonſtrationibus oſtendere conatur. Idem antiquus Hymnographus in Hymno in ſolem voluit,

Δεξιὲ μὲν γενέτωρ ἠοῦς, εὐώνυμε νυκτὸς,

Chalcidius quoque Timæi Platonici interpres id aſſeruit. Idem etiam Homerus voluit, cum dicit,

Εἴτ' ἐπιδέξια ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπαριστερὰ τοίγε, ποτὶ ψόφον ἠερόεντα.

Aquilo igitur Latinis ſiniſter, Græcis dexter erat. Auſpicia itaque contrarias habebant appellationes. Fauſtæ enim illæ aves erant quæ alte ſubvolarent. Quod verſus aquilonem fieri oportebat, iis quibus maxime omnium ſublimis ille vertex eſt. Atque hæc ſimpliciſſima hujus moris interpretatio eſt. Neque hic Plutarchus, neque Varro lib. 5. Epiſtolicarum Quæſtionum nobis ſatisfaciunt. Quamvis ejus ſententiam ſequatur doctiſſimus Boxhornius in Animadv. ad Plutarchi quæſtiones.

EXERCIT. XX.

Unde Romulus dictus? Quare à lupâ nutritus fingatur? Quare Lupercalia inſtituta? Cur Romulus Quirinus dictus? Quare Manilius Romam ſub librâ conditam dixerit?

Romulum à robore dictum urbemque Romam potius dicendum, quam ut à ruma ſive uberibus cum Plutarcho & Auguſtino derivemus. Romulus enim idem quod fortis, quia Martem patrem habuiſſe credebatur. Propria autem Marti fortitudo. Et hæc quidem certa ſunt. Quare autem uberibus lupæ nutritum voluit antiquitas? Hic nemo adhuc eruditorum mihi ſatisfecit. Fabula autem ex fabula petenda eſt. Ad Martem quidem genus propter bellicam fortitudinem refert Romulus. Marti autem lupum ſacrum eſſe ob rapacitatem ex Poëtis notum eſt. Virgil. lib. 9. Æneid.

Qua-

Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à ſtabulis rapuit lupus.

Atque hinc in honorem Martis Lupercalia feſta inſtituta ſunt, à Romulo nimirum & Remo. Huc pertinet locus Valerii Max. lib. 2. quamvis veram ejuſdem feſti cauſam aſſequi non potuerit: ita autem dicit: *Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus, cum lætitiâ exultantes, quod his Numitor avus rex Albanorum, eo loco ubi educati erant, urbem condere permiſerat ſub monte Palatino, hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Evander Argivus conſecraverat ſacrificio facto, cæſiſque capris, epularum hilaritate ac vino largiore provecti, diviſa paſtorali turba, cincti pellibus immolatarum hoſtiarum jocantes, cujus hilaritatis memoria annua circuitu feriarum repetitur.* In memoriam autem Lupæ conſecrata fuiſſe Lupercalia ex Ovidio noſtro liquet. Ita enim dicit,

Illa loco nomen fecit, locus ipſe Lupercal,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Lupa autem Marti ſacra. In ejus igitur honorem inſtituta fuerunt hæc feſta. Mars autem in tanto apud Romanos honore, quod Romani à Trojanis originem ducerent, Mars autem Trojanis faveret, ſicuti & Venus. Quapropter primus menſis Martius, ſecundus Aprilis dictus eſt. Cum autem Romulus Martis putaretur filius, Quirinus idem cognomento Martis dictus

Digitized by Google

eſt. Nomina autem mortalium, cum in deorum numerum referrentur, mutabantur, quo certior eſſet divinitatis perſuaſio. Quod Lactantius lib. 1. de Falſâ Religione, c. 21. diſerte oſtendit, *nam & Romulus*, inquit, *poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Leda Nemeſis, & Circe Marica, & Ino poſtquam ſe præcipitavit, Leucothea, materque Matuta: & Melicertes filius ejus Palæmon.* Porro Romulum & Remum urbem condidiſſe ipſis Palilibus conſtans fama eſt. Atque is dies incidebat in undecimum Kalendas Majas. Quod Plutarchus in Romulo oſtendit. De Natali quoque urbis lib. 2. de Divinatione ita loquitur M. Tullius: *L. quidem Taruntius Firmanus familiaris noſter imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque, in jugo cum eſſet Luna, natam eſſe dicebat, nec ejus fata canere dubitabat.* Et hæc quidem conſtans antiquorum opinio eſt. Manilius ſolus in Libra, id eſt, menſe Septembri conditam Romam aſſeverat, cum lib. 4. Aſtron. ita dicit,

Heſperiam ſua libra tenet, quâ condita Roma
Et propriis frenat pendentem nutibus orbem,
Orbis & imperium retinet: diſcrimina rerum,
Lancibus & poſitas gentes tollitque premitque,
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Romulum & Remum menſe Thoth Ægyptiorum, id eſt, noſtro Septembri, natos fuiſſe etiam

etiam Plutarchus commemorat. Romam autem conditam menſe Pharmuthi, id eſt, Aprili. Quid ergo? nunquid Manilius erravit? an potius dicendum eſt voluiſſe natalem urbis à nativitate Romuli arceſſere? Ita certe videtur. Quinimo eruditiſſimus Petitus nativitatem Romuli cum natali urbis confundit. Quod tamen non approbo. Quid ſi Manilius voluerit conditam eſſe Romam, cum Luna in Libra conſtituta eſſet? Quo tempore eam conditam ita Solinus teſtatur. *Ibi Romulus manſitavit, qui auſpicato murorum fundamenta jecit, duodeviginti natus annos, undecimo Kalendas Majas, horam poſt ſecundam ante tertiam, ſicut L. Taruntius prodidit Mathematicorum nobiliſſimus, Jove in Piſcibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Lunâ in Librâ conſtitutis.* Idemque Cicero voluit, cum in jugo, id eſt, Librâ Lunam eſſe dixit, quando Roma conderetur. Quibus rationibus etiam addi poteſt Clariſſimi Viri M. Zuerii Boxhornii ſententia, qui Librâ ipſam juſtitiam denotari voluit, eo quod ad ſummum rerum faſtigium per juſtitiam Roma evecta ſit.

EXERCIT. XXI.

Unde Numa religionem ſuam deduxerit? Quis Jovis, Ζεῦς, Theut & Teutates. Quare Numa Ancile & Palladium cœlo delapſum conſecraverit?

NUmam Pompilium religionem ſuam ex Curibus Sabinis Romam deduxiſſe ex Hiſtoriis notum eſt. Hetruſci autem & Sabini Orientis coloni ſunt. Atque inde factum, ut & Jovis & Jani & Veſtæ antiquiſſima apud eos religio fuerit. Quales autem Dii Orientales? Jovis nomen à vero Jehova eruditi recte deducunt. Qui ut omnium Deorum maximus cenſetur, ita in omni pene gentium religione (auſim dicere) apparet. Nullibi autem clarius quam in Romanâ. Quam aperte enim Jovis vocabulum Jehovam referat omnes vident. Apud Græcos aliaſque gentes plane tanquam ſub nebulis apparet. Origenes lib. 6. contra Celſum & Jao & Jeuo dictum affirmat. Græci hinc ſuum Ζεὺς & Δεὺς deformarunt: ζ enim & ι mutabiles literæ ſunt, ita Græci ζεύγνυμι, Latini *jungo*, ζυγὸν, *jugum* dixerunt. Idemque ex aliis plurimis vocabulis liquet. Atque hinc Ægyptiorum Teut & Germanorum quoque Teutates profluxit. Et hæc quidem certa ſunt. Ideo autem hæc ita deformata ſunt vocabula, quod raro vel nunquam nomen Jehovæ exprimeretur. Itaque ex ſcriptione habere debebant. Deinde nomen illud Jehovæ difficillime pote-

poterant Græci exprimere. Itaque per contractionem Ζεὺς dixerunt. Latini autem vel potius Hetruſci, ex quibus Latini oriundi, vocem pene incorruptam ſervarunt. Erant enim Hetruſci antiquorum in religione vocabulorum obſervantiſſimi. Neque immerito. Facillime enim amiſſis vocabulis religio cecidiſſet. Amiſſâ autem religione Politiam cadere aut mutari neceſſe erat. Quod Politici norunt. Hæc cum ita ſint, merito Jovem Deorum hominumque patrem appellavit antiquitas. Numa itaque ex Oriente hæc numina petivit, uti & Janum, quem Noachum eſſe alibi diximus. Veſtam quoque ex Chaldaica origine eſſe ipſum nomen ſatis indicat. Idem autem Numa, Ancilia atque Palladium, ſecreta quædam imperii pignora, conſecravit. Quæ quidem de cœlo decidiſſe dicuntur, quod belli & pacis artibus Reſp. conſervetur: Ancile enim bellicum inſtrumentum. Iſidor. lib. 18. Orig. c. 12. *Ancile vocatur ſcutum breve & rotundum.* Illo igitur bellum deſignabat. Palladium à ſapientia dictum. Unde & cœlo lapſum dicitur. Omnis enim ſapientia merito ad Deum refertur.

EXER-

Digitized by Google

EXERCIT. XXII.

Quare menſe Februario Parentalia inſtituta? Quid de Manibus ſive defunctorum animis ſentiendum ſit. Locus difficilis de Terminalibus indicatur.

FEbruario menſe februationes ſive expurgationes inſtitutas fuiſſe antiqui autores teſtantur. Unde καθάρσιον eum appellavit Plutarchus. Parentationes quoque & inferiæ locum tum habuerunt, unde ingenioſiſſimus Poëta Ovidius,

At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras.

Per avitas umbras Manes intellexit. Quia autem defunctorum ſepulchris aqua, lac, vinum, ſanguis, & unguentum inferebatur, inde Parentationes illæ inferiæ dictæ ſunt, à Græcis autem proprie χοαὶ appellantur. Plutoni autem, ut notum, pro Manibus ſacra fiebant. Sed quare menſe Februario hæc Feſta inſtituta ſunt? Primo quidem dicendum eſt hybernum tempus, quando longæ ſunt noctes, voluiſſe antiquos eligere. Sacrificia autem illa, quæ inferis fiunt, de nocte fieri ſolebant. Virg. lib. 6.

Tum regi Stygio nocturnas inchoat aras.

At-

Atque ex hac cauſa dorſum & poſticæ partes Plutoni ab Artemidoro lib 1. Oneirocrit. adſcribuntur, cum ait, νῶτα καὶ τὰ ὀπίσθια πάντα Πλούτωνος αὐτὰ καλοῦσιν ἴδια. Erebum quoque & Acherontem *veſperam & poſterius* denotare viri eruditi annotarunt. Vel dicendum eſt eos fine potius anni, quam alio menſe ſacra illa facere voluiſſe. Quo magis auſpicato annus inciperet. Unde & Brutus mutato anno ultimum anni menſem Decembrem potius elegit. Quod Cicero lib. 1. de LL. teſtatur. *Brutum* inquit, *majorum inſtitutum temere neglexiſſe, mihi non ſit veriſimile, doctum hominem ſane, cujus fuit Accius perfamiliaris; ſed menſem credo extremum anni, ut veteres Februarium, ſic hic Decembrem ſequebatur.* Manibus igitur & umbris hæc feſta inſtituta, quos errare circa ſepulchra exiſtimabant, & niſi id feciſſent, inde aëris intemperiem, tempeſtates, & peſtem excitari. Quæ quidem ſtulta & credula antiquitas ſibi perſuaſit: nullos enim eſſe manes, nulla ſpectra, ſive defunctorum animas errantes, qui mentis benè ſanæ eſt ſtatuet. Idque antiqui patres affirmant. Quorum hic teſtimonia non compilabo. Idemque Sacra Scriptura nos docet. Cum beatam vitam & infernum animas petere aſſerit. Nunquid igitur tot gentilium & Eccleſiaſticorum ſcripta teſtimonia nihili & nauci eſſe exiſtimabimus? Nihil minus, Neque enim tantæ ſum audaciæ, ut maximos viros mendacii arguere velim. Hoc tantum dico, illa ſpectra non fuiſſe veras defunctorum animas. Id me docuit doctiſſimus Tertullianus in fine libri de Anima. Qui ſpiritus malos hoc dolo uti aſſerit,

ſerit, ut ſe animas mortuorum fingant. Idemque aſſerit Chryſoſtomus Homil. 19. in 8. caput Matth. quando illam movet quæſtionem cur dæmoniaci in ſepulchris verſati fuerint. Aſtuti enim dæmones opinionem illam gentilium confirmare voluerunt. Nonnunquam tamen ſingulari Dei miraculo id factum non nego. Ita Moſes & Helias Chriſto apparuerunt. Generaliter igitur vel dolo dæmonis tribuendum eſt, vel vanis imaginationibus, vel impoſturæ, vel naturalium rerum imperitiæ. Porro ſine etiam veteris anni Terminalia inſtituta fuerunt. Ea quidem menſe Februario fuere, quod anni terminus eſſet. Quamvis & Terminis, ſive lapidibus quibus agri ſeparabantur ſacra fecerint. Difficultas autem hic maxima ſe offert (obiter enim hoc admonendum eſt) quare in Quæſtionibus Romanis Plutarchus *cauſam* inquirat, cur nullum animal Termino immolaretur, idemque Dionyſius Halicarnaſſæus aſſerat lib. 2. cum paſſim luculenta ſint Ovidii teſtimonia, quæ contrarium affirment: ita Faſtorum lib. 2. loquitur:

Eſt via quæ populum Laurentes ducat in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci,
Illic lanigeri pecoris tibi Termine fibris,
Sacra videt fieri ſextus ab urbe lapis.

Ego quidem, niſi tempora diſtinguamus, quid potiſſimum dicendum ſit, ignoro.

EXER-

EXERCIT. XXIII.

Quare Juno ab Horis educata dicatur? Quare ſoror Jovis & conjux? Eadem cum Luna & Venere. Quid ſignificent tria virginis ora Dianæ? Cur mari præſit? Locus Theophraſti explicatus.

JUnonem ſacros habuiſſe menſes, quod eandem cum Luna exiſtimarent, Plutarchus nos docet. Unde & Calendas Junonis curæ committit Poëta Ovidius, cum dicit,

Vendicat Auſonias Junonis cura Calendas.

Hinc itidem liquet quare ab Horis educatam Junonem putaverit antiquitas. Hora enim ſpatium temporis, vel ipſum tempus denotat. In genere enim antiquis Hora tempus. Quod tum ex aliis, tum ex Hippocrate lib. 3. Aphoriſm. 1. doceri poteſt: Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τἄλλα κατὰ λόγον οὕτως, id eſt, *Mutationes defectioneſque horarum*, *id eſt*, temporum, *maximè pariunt morbos*, *& quæ in ſingula anni tempora incidunt inſignes mutationes frigoris aut æſtus*, *cunctaque alia ſic pro ſuâ naturâ.* Diſtinctione autem temporis, quam hodie horam vocamus, antiquiſſimi uſi non ſunt. Juno igitur ab horâ, id eſt, tempore educata. Eadem Jovis ſoror & conjux dicitur, quod Jupiter, quem Solem eſſe docet Plutarchus, &

Luna præcipua cœli luminaria ſint. Quapropter Ethnicis Jupiter rex & dominus cœli, Juno domina & regina cœli dicta eſt. Nuptiis præeſſe fingitur, quod humoribus dominetur: ſicuti & partui. Quinimo cum Venere ideo ſæpe confunditur. Eademque ratione Veneri & Lunæ duplicem ſexum attribuerunt. Juno igitur, Luna, Venus eædem. Quare autem, Lunæ tria ora tribuerunt antiqui? Nunquid dicendum tres φάσεις illos reſpexiſſe? Novam nimirum Lunam, corniculantem, & plenam. Hecaten inferorum deam eandem voluerunt, cum lateret. Niſi hoc ad tenebras nocturnas referendum ſit. Mari quoque præeſſe fingitur, quod ſcilicet naturæ ſuæ proprietate humidis & frigidis prædominatur. Quod & in fluxu & refluxu maris apparet. Et hinc acceſſiones Epilepticas Lunæ mutationibus commoveri medici notant. Hujus Epitheta concumulavit Hymnographus antiquus,

Εἰνοδίαν, Ἑκάτην κλήζω, τριοδῖτιν, ἐραννήν,
Οὐρανίαν, χθονίαν τε, καὶ εἰναλίαν, κροκόπεπλον.

Quamvis & μυριώνυμα dicta ſit. Inter varia cognomina εἰνοδίαν dictam & liquet ex hoc verſu, & notum eſt. Ab hac voce Epilepſiam ἐνόδια Theophraſto dictam non-nemo opinatur. Locus maximi autoris eſt in libro de ſudoribus: ὅτι δὲ κινήσεις, inquit, καὶ οἱ πόνοι ποιοῦσιν ἐνίοις τὰ τοιαῦτα, φανερὸν καὶ ἐκ τῶν ἐνοδίων καλουμένων, id eſt,

ac certe motus atque labores talia in quibuſdam promovere, ex iis quæ Enodia appellantur conſtare poteſt. Per εἰνόδια hic Epilepſiam eruditus vir intellexit. Sed male. Quamvis Hippocratis autoritas idem confirmare videatur, vel quiſquis ejus libri autor eſt, qui de morbo ſacro inſcribitur; immitti enim morbum illum tum ab aliis dæmonibus, tum maxime à Luna, quæ εἰνοδίη dicitur, antiquos exiſtimaſſe commemorat. Quod quidem uti verum eſt, ita hic tamen per εἰνόδια longe aliud intellexit Theophraſtus, quoslibet nimirum morbos, qui in itinere fieri ſolent. Humores enim tum potiſſimum moventur, atque varia ſymptomata producere ſolent. De quibus hic loquitur diſertiſſimus autor.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

ABh Beth Dijn quomodo electus in ſynedrio magno. *Pag.* 344
Abrahami ſinus qualis locus in cœlo ſit. 137
Academici omnes animam ad vitam corpoream reverti crediderunt. 186
Acheronta qualem fluvium Veteres Græci in inferno ſic vocant. 178
Adamum, Davidem & Meſſiam eandem animam habuiſſe volunt Rabbini. 81
. . . unde hoc conjiciant. 81
. . . an Origenes ejuſdem fuerit opinionis. 81
Ægyptiorum ſacra cui Deorum præcipue litabant. 38
Ænigmata Philoſophiæ ornamentum vocabant veteres Græci. 71
Ἀγόραζον quid apud veteres Græcos ſignificare ſoleat. 64
Ἀΐδης Græcorum an idem quod ſheol Hebræorum. 13
Αἰῶνας τ' Αἰῶνων an ſemper æternitatem ſignificat. 172
. . . quare ſæpius in plurali in Novo Teſtamento occurrit. 318
Alcorani vanitas plurimis exemplis demonſtratur. 481

.. in

. . . in Venere & deliciis ultimam hominis felicitatem ponit. 481
. . . unde hoc nomen acceperit. 482
. . . quis eum primus collegerit. 482
Alecto una e furiis gentilium quare vocetur. 174
Amor Deus qualis fuerit apud Gentiles. 40
. . . quare promiſſe barbatus a veteribus pingebatur. 40
אמוראים undenam Rabbini fuerint dicti. 67
Ἀνακυκλήσις quid dicebatur apud veteres Philoſophos. 28
Angelos quomodo tertium mundum vocabant Rabbini. 21
. . . Angeli Diaboli quales apud illos dicuntur. 96
. . . Angelorum opus circa animas pie defunctorum. 98
. . . eos etiam corporea munia obiiſſe volunt Rabbini. 207
. . . quales transformat Deus, quales non ſecundum Rabbinos. 208
. . . Angeli corruptores quot numero ſunt. 209
Animas in sheol intrare, quorum corpora nondum erant ſepulta, nolebant Hebræi. 16
. . . idem etiam imitati ſunt Græci. 16
. . . de anima Habelis quid ſomnient Rabbini. 17
. . . earum immortalitatem inter Græcos primus docuit Pythagoras. 75
. . . earum originem undenam deducebant veteres Gentiles. 76
. . . eæ quomodo ſecundum veteres Græcos in orbem inferiorem delapſæ. 77
. . . quomodo eà definiatur ab Origene. 81

. . . eam quando mori voluerint Pythagorici. 85
. . . animas piorum in veteri Paradiſo eſſe volunt Rabbini. 111
. . . ævum eæ egerunt in Goph priuſquam in corpora deſcenderent. 112
. . . animæ piorum poſthanc vitam ubinam degant. 128
. . . quid Muhamedani de eorum ſtatu poſt hanc vitam dicant. 132
. . . animas mortuorum omnia futura noſce opinantur veteres Philoſophi. 159
. . . animæ impiorum an cum corpore peribunt ſecundum Judæos. 169
. . . animas malorum penitus aboleri credunt Maimonides & alii. 181
. . . animabus impiorum in Gehenna quare carneam craſſitiem attribuit Origenes. 185
Antiochus Epiphanes quomodo templum profanare inſtituit. 402
Antiochias ſedecim fundavit Seleucus. 293
Antrum Nympharum apud Homerum quare duas habebat januas. 78
. . . Trophonii qualis locus fuerit apud veteres Græcos. 159
Appetitus corporeus pro vitioſo paſſim occurrit apud Rabbinos. 33
Aquam frigidiſſimam etiam pœnam gehennæ ſtatuunt Rabbini. 174
Aquilo ſcaturigo animarum quomodo à Cabaliſtis dicatur. 18
Aravoth quale cœlum apud veteres Rabbinos. 627
Archelaus quo tempore viennam fuerit relegatus.

tus. 267
Ἀρειμάνιος mali, tenebrarum & mortis præſes apud Perſas. 35
. . . undenam ita fuerit a veteribus dictus. 36
. . . nihil aliud fuit quam materia ſive Chaos. 36
Aſmodæus Rex Diabolorum apud veteres Rabbinos. 95
Aſperſio apud Pontificios undenam habeat originem. 478
Aſini aureum caput adorare Judæos undenam Gentiles crediderint. 487
Aſtra quomodo in hæc inferiora influentiam habeant. 491
Aſtræa ſub figmento gentiles translationem Enochi occultarunt. 471
Aſtrologos ultimo ſupplicio quare Tiberius affecerit. 492
Aſtrologicis prædictionibus quid tribuendum. 491
Averroës quomodo proprium ejus fuerit nomen. 51
Avicula mira in inſulis Moluccis. 334
Aurea ætas Gentilium fuit ſtatus integritatis Adami. 470
Auroræ vocabulo quare in ſcriptura veniat reſurrectio. 24
Aza & Azael principes rebellium Angelorum apud Rabbinos. 205

B.

Babylonica Monarchia quando fuerit extincta. 278
Babylonicæ turris ſtructuram quomodo Gentiles deſignarunt. 472
Bacchus Gentilium fuit Moſis Noachus. 472
. . . eum coluiſſe Judæos quare Gentiles olim crediderunt. 485
. . . Bacchum Sabazium qualem Gentiles crediderunt. 485
Baptiſmus qualis fuerit inter ſacra Gentilium. 477
Barbam tangere ſolebant etiam ſupplices apud veteres. 70
Βασιλέα Græci Perſarum Regem per excellentiam appellabant. 308
Beatorum locum quare cum horto Edenis comparabant veteres. 320
Bellum duplex apud Judæos arbitrarium & præcepti. 305
Beth vocare ſolebant Hebræi Scholam, factionem, clientelam, ſectam. 154
Bigamia quare ab antiquis patribus fuerit improbata. 501
. . . an non fuerit licita. 503
Bona a Deo deducebant veteres Philoſophi mala a matre Sylva. 33
בור vel באר quid ſignificet apud Hebræos Bor, qui Borſippæ in ſummo honore erat, qualis fuerit. 36
Borſippa urbs undenam ita fuerit dicta. 36

C.

C.

CAdmus quos Deos primus in Bœotiam inducit. 511
Campanarum ſonum ſuper mortuos undenam originem habeat. 478
Campi lugentes quales fuerint apud veteres Græcos. 158
. . . ubinam eas ſtatuebant. 160
Capitolia judicia quo tempore Judæis fuerint ademta. 266
. . . quid tum illis circa crimina reliquum fuerit. 267
Capreis quare comparent Orientales omnia pulchra. 479
. . . earum optimus odor apud illas nationes. 480
Captivitas Babylonica quouſque duraverit. 230
Cardinem plagæ ſeptentrionalis Deus non conſummavit ſecundum Rabbinos. 77
. . . quare id ab eo non factum. 77
Carolus Francorum Rex an fuerit Imperator Romanus. 304
Cerberus veterum Poëtarum mors eſt. 10
. . . quare dicebatur triceps. 10
. . . quomodo in vincula petebatur, & quid hac re ſignificabant Gentiles. 10
Ceres Gentilium naturam ſignificat. 38
. . . eadem fuit quæ Iſis. 65
. . . ejus myſtæ quare fabis abſtinebant. 66
. . . etiam ab avibus domeſticis & a piſcibus. 66
. . . ejus ſacra quare tanto cum ſilentio percepta. 72

Chaos eſt idem quod ſheol Hebræorum. 25
. . . ei quare æternitatem adſcripſerunt veteres Græci. 30
Character literarum duplex fuit apud antiquos Judæos. 476
Characteres & verba Magica an ullam naturalem vim habeant. 490
Chiliaſtæ à quibus dogmata ſua hauſerint. 115
Cholerici an omnes ingenioſi. 508
Chriſtus an in infernum deſcendit. 94
. . . quare à Synedrio magno fuerit judicatus. 345
Chriſtianos undenam aſinarios dixerunt Gentiles. 487
Circumciſioni qualem vim tribuebant veteres Judæi. 158
Cleopatra quamdiu regnaverit. 291
. . . ejus mors. 291
Cælos quot Deus creavit. 127
. . . cælum animarum & Paradiſus an diſtinguantur. 138
. . . quomodo illud deſcribunt Veteres Rabbini. 180
. . . ejus ſtatum in virtute conſummata ſtatuunt Judæi, Græci, & Muhammedanorum factio Perſica. 182
. . . tertium quare vocetur cælum Beatorum. 306
. . . illud adoraſſe Judæos quare Gentiles crediderunt. 485
Cætus tres Iſraëlitarum numerabant veteres Rabbini. 100
Collegia trium virorum apud Judæos quid Judæi judicabant. 350
Con-

Conclavia varia templo Hieroſolumitano addita. 342
. . . hagazith ſive cæſi lapidis quale. 342
. . . in eo Synedrium magnum ſedebat. 342
Conſcientiæ ſtimulus etiam pæna gehennæ. 184
Conſtantinus Magnus primus ſedem ſuam in novum locum tranſtulit. 299
. . . quando id factum. 299
. . . imperium ſuum quare in tres partes diviſerit. 299
. . . an tamen manſerint omnes imperatores Romani. 300
Convivium cæleſtis Paradiſi quale futurum ſomniant Rabbini. 140
Corpora qualia reſurrectura ſecundum Judæos. 114
. . . in mundo futuro quomodo non admittant Rabbini. 117
Creatio mundi quomodo fuerit facta. 47
. . . an ex nihilo fuerit facta. 48
. . . an ſcholaſtici id primum confinxerint. 48
. . . quomodo eam Ethnici deſcripſerint. 469
Cyrus Monarchiæ ſecundæ ſive Perſicæ primus condita. 278

D.

DÆmones ubinam verſentur ſecundum Græcos. 211
. . . eorum corpora qualia. 211
Davidis ſcripta ſine dubio verſus ſunt. 510
. . . qua-

. . . quales autem ſint adhuc incertum. 511
Depoſitarius apud Hebræos quare juris jurandi religione tenebatur. 430
Deucalion & Pyrrha Ethnicorum fuerunt Noachus & ejus uxor. 470
Deus quomodo præſederit in Hebræorum Republica. 362
. . . quare Rex Iſraëlis dici voluit. 363
Dies expiationis in hoc & in futuro ſeculo expiabat ſecundum Judæos. 156
. . . præferebat ſecundum eos ſpeciem ultimi judicii. 156
Diis inferis quare olim melle litatum. 86
Diluvio qui perierunt non reſurrecturos credebant Judæi. 177
Domus quare שאול adſcribatur. 59
. . . quomodo idem à Græcis fuerit imitatum. 60
Duces Iſraëlis poſt captivitatem Babylonicam an ſemper fuerint è tribu Juda. 262

E.

EDen etiam Hebræi locum Beatorum vocare ſolent. 321
. . . quomodo tamen adhuc diſtinguant illum a loco Beatorum. 322
. . . ex quonam horum expulſus fuit Adam an etiam ex loco Beatorum. 322
. . . ex quonam forum expulſus fuit Adam an etiam ex loco Beatorum. 322
. . . in

. . . in quo Adam collocatur an ſignificaverit locum an regionem. 327
. . . ubinam ille locus fuerit ſitus. 328
. . . quare tale nomen in initio acceperit. 335
. . . pro quo ille hortus ſumitur in ſcriptura. 105
. . . pro quo apud Rabbinos. 105
Elementa quatuor undenam & quomodo primo nata. 43
Eleuſinia quem in finem habita à Gentilibus. 39
Elymais undenam olim ſic fuerit dicta. 487
Elyſium ſuum ubinam inſtituerent Græci incerti fuerunt. 141
. . . undenam hæc vox habeat originem ſuam. 145
. . . epulæ ejus campi quales. 148
Enochus in cælo ſecundum Rabbinos ſummo cancellariatu fungitur. 130
. . . quale nomen jam ibi habeat. 130
. . . ubinam proprie ſit diſputant alii. 130
Epiſtolæ ſeptem Apoſtolicæ quare ſuccinctæ & obſcuræ dictæ ab Hieronymo. 6
Epulis mulier ad ſepulcrum mariti mortem ſibi conſciſcebat. 503
Erythras Rex quiſnam fuerit apud Veteres 468
Eſau quare Edom fuerit dictus. 468
Eſſeni v. Heſſeni.
Euryclitæ quales vates inter Veteres fuerint. 497

F.

FAbæ eſum quare Pythagoras ſuis vetuit. 64
. . . etiam Ægyptii à fabis abſtinebant. 65
. . . & Sacerdotes ab eorum aſpectu. 65
. . . immundæ quare cenſebantur apud multos Gentiles. 66
. . . an etiam Judæi iis abſtinuerint. 67
. . . qua de cauſa id ab iis factum. 68
. . . Pythagoras quare potius vita ſpoliari voluit quam eas comedere. 68
. . . eam nec tangere nec nominare Diali flamini licebat, & quare. 73
. . . eas ad mortuos pertinere putabant veteres. 73
. . . quibus ſacris arcebantur. 74
. . . ſemini apprime conferunt. 88
Fabulas Philoſophiæ ornamentum vocabant Veteres Græci. 71
. . eæ apud Veteres plerumque veras hiſtorias adumbrabant. 469
Familia matris apud Hebræos non erat familia. 233
Flamen Romanus ab uxore divertere non poterat. 503
. . . mortua uxore quare ſe ſacerdotio obdicare debebat. 503
Fæmora quid apud Veteres Latinos ſignificabat. 259
Fretum Herculeum quomodo cœlum vocabant Veteres Græci. 192
Furari quale interdici præcepto octavo volunt Rabbini. 147
Furiæ Græcorum quales dicebantur. 97

G.

G.

GAbinius quique judicum collegia inſtituit inter Judæos. 358
Gaudiorum mundi futuri rationem reddere non valemus. 122
Gehennam eſſe inter res quas Deus ante mundum hunc conditum fecit volunt Rabbini. 8
. . . quomodo inſeptem manſiones dividant. 81
. . . erat ea apud Rabbinos etiam ſpecies purgatorii. 154
. . . quot menſium pænam ibi perdurare debebant. 155
. . . quare pæna illa per menſes & non per annum numeretur. 156
. . . Gehenna inferior ſive locus damnatorum qualis apud Rabbinos. 165
. . . qualis ille locus in proprio ſignificatu fuerit. 166
. . . pænarum diverſitas in ea ſecundum Rabbinos. 168
. . . ſecundum Muhamedanos. 168
. . . Talmudicorum an ſit æterna. 171
. . . Judæi hanc non tam ad cruciatum, quam ad emendationem comparari ſtatuunt. 172
. . . qualem deſcribunt Muhamedani. 179
. . . quare ab Hebræis & Græcis ſubter terram & aquam dicatur. 205
Gehennale ſupplicium an fuerit perpetuum ſecundum Rabbinos. 101
. . . in quo id conſtituunt Judæi, Græci & Muhamedanorum factio Perſica. 182

Geniorum corpora unde conflant Rabbini. 207
. . . qualia iis Græci corpora tribuant. 210
Gemara Judæorum quo tempore fuerit ſcripta. 351
Generalitatis nomen quare materia Philoſophorum accepit. 53
Generationem per ſcarabeum deſcribebant Ægyptii. 34
. . . generatio an fiat ex non ente. 49
Geneſin librum ubi Moſes conſcripſerit. 330
Genethliacis prædictionibus quid tribuendum. 291
Genua tantum an tetigerint ſupplices apud veteres. 70
Germanis olim ſecundæ nuptiæ infames erant. 503
Goph Rabbinorum, in quo animal antequam in corpora intrarent, degerunt, ubinam *ſit.* 111
Græci ſcientiam an olim ab Hebræis didicerint. 7
. . . eorum Religio num Judaiſmus depravatus. 7
. . . an id a Cabaliſtis hauſerint. 7
. . . ſtabiliri rempublicam non poſſe *putant* ſine perſuaſione de ſtatu poſt hanc vitam. 9
. . . eorum ſacra cui Deorum præcipue litarunt. 38
Græca lingua quando uti cæperunt in Judæa.

H.

H.

HAbelis anima in quoſnam ſecundum Rabbinos trans migraverit. 82
Halelujah quomodo in Bacchicis orgiis dictum. 486
Haſmonæus qualis Synedrium primus inſtituerit. 486
. . . quid ea vox proprie ſignificat. 407
. . . quis primus ita fuerit dictus. 407
Hebræi an ſub Chaldæis & Perſis aliquam poteſtatem habuerint & qualem.
. . . eorum Reſpublica V. Reſpublica.
Hebreæ voces ſignificationes contrarias aliquando obtinent.
Hebraica lingua eſt antiquiſſima. 475
Heraclides Ponticus an Ariſtoteli coætaneus. 35
Herodes quare totum Synedrium uno excepto trucidat. 409
. . . quiſnam ille fuerit, & quare ei pepercerit. 409
. . . alios iterum ad Synedrium conſtituendum legit, & quales. 409
Heroum notio undenam primum apud Græcos in uſu venerit. 10
. . . eos ad inferos deducere undenam didicerint. 10
. . . quales illi olim erant apud Græcos & ex quibus genit. 10
Heſperidum aurea mala nihil aliud ſunt quam fructus vetitus Paradiſi. 470

Heſſenos judæorum Pythagoras præcipue imitatus eſt. 72
Homerus Ægypti fuit inſtitutus. 79
Horizontem generationis & corruptionis quo uſque pertingere volunt Veteres Philoſophi. 57
Horti penſiles quales apud Babylonios olim fuere. 310
. . . animarum quales apud Veteres Hebræos. 321
. . . ſapientiæ quales apud eoſdem. 321
חקק quid apud Hebræos proprie ſignificare ſoleat. 257

I.

JAnæus Rex ejuſque crudelia geſta inter Judæos. 407
Janua quare à Rabbinis sheol adſcribatur. 59
. . . quomodo id à Græcis fuerit imitatum. 60
Janus bifrons Gentilium fuit Noachus. 472
Idumæa Græcorum undenam ſic fuerit dicta. 468
Ignem qualem pœnam gehennæ ſtatuerunt Rabbini. 174
Imperatores Conſtantinopolitani quomodo etiam Imperatores Imperii Romani dicti. 300
Imperium primum è quatuor Monarchiis quale. 273
. . . aliquod quam proprie dicitur deſinere. 278
Infernum & quid de eo ſentiebant Veteres Græci & Latini. 7
. . . in

. . . in quot loca veteres illud diſtribuebant. 158
Intelligentias influere in res alias aliquas volebant Judæi. 21
Interpres Hieroſolumitanus Cabaliſticis ubique ſcatet. 32
Jovis ſub poteſtate erat ſuperior univerſi pars apud Veteres. 37
. . . Ammonis idolum à Chamo Noachi filio profluxit. 472
Iram gravioribus pœnis Judæi non credebant obnoxiam. 355
Iſis Ægyptiorum fuit natura dicta. 38
. . . ejus ſimulacrum quid apud Græcos obumbrabat. 71
. . . an Eva apud Ægyptios non ſic fuerit dicta. 471
Juda an aliquando in ſcriptura indigitet univerſos Judæos. 236
Judæa quomodo in Provinciæ formam redacta à Romanis. 266
Judæos omnes partem habere in mundo futuro credebant Rabbini. 157
. . . an nomen illud omnes decem tribus ſignificat. 240
. . . an illi unquam ita fuerint vocati. 240
. . . proſelyti è Gentiliſmo oriundi an etiam ita appellati. 241
Judices extraordinarii Iſraëlis quales fuere. 385
. . . ſtatis temporibus in certas quaſdam urbes Iſraëlis confederunt. 385
. . . an tales uſque ad Reges ſemper fuerint in Iſraële. 387
. . . quomodo vocati fuerint etiam Reges. 392

. . . quomodo debebant diſtinguere inter cauſas Dei & inter cauſas Regis. 397
Judicium extremum quando ſecundum Judæos futurum. 113
. . . Judicia quomodo poſt captivitatem Babylonicam ſe habuerint in Iſraële. 400
. . . capitalia quando Judæis fuerint oblata. 411
. . . quomodo hoc fuerit factum. 412
Juno cur ab Horis dicatur educata. 529
. . . quare Jovis ſoror & conjux. 529
. . . eadem cum Luna & Venere. 530

K.

KErith ſive exciſio inſcriptura multi Rabbinorum de annihilatione interpretantur. 169
Κύκλησις quid dicebatur apud veteres Philoſophos. 28
Κύριον in unaquaque Republica in quo conſiſtat. 362

L.

LAboroſarchodus quomodo in S. literis appelletur. 273
Laodicæas ſex fundavit ſeleucus è ſucceſſoribus Alexandri. 293
Leges quas Deus tulerat vim habuerunt juris naturalis in Iſraële. 398
. . . iis an omnia in republica Hebræorum fuerint definita. 398
Legumen Hebræi quare lugentium cibum vocarunt. 74
Limia fluvius qualis, & quare ſtatuebatur in orco. 15
. . . Le-

. . . Lethes idem ſignificat, & quomodo exponendum & ſcribendum. 15
Locum nullum à terra uſque ad cœlum vacare dicunt Rabbini. 209
. . . quomodo repletus ſit & quibus. 209
Lucifer rebellium Angelorum princeps. 195
Ludi ſacri varii generis apud Gentiles. 38
Lycanthropia an ſit, & quid de ea ſentiendum. 507
. . . an non ſit ſpecies aliqua melancholiæ. 508

M.

MAcedonica ſive tertia Monarchia quando inceperit V. Monarchia.
. . . an cum Alexandro magno extincta. 283
. . . poſt ejus mortem in quot regna diſtincta fuerit. 388
. . . quænam ea regna fuerunt. 388
. . . quomodo hoc prædictum à Daniele. 388
Magi quinam apud Antiquos appellati fuere. 487
. . . Maximæ auctoritatis ſemper Perſici fuerunt. 488
. . . ſine iis nihil decernebatur apud Veteres. 488
. . . qui ſervatorem noſtrum Jeſum adierunt an fuerint Reges. 488
. . . quomodo hi ad id faciendum fuerint excitati. 488
. . . poſtea nomen Magorum quare infame fuerit factum. 489
Magnetis ante inventum quomodo navigarunt Veteres. 144

Digitized by Google

Mahad eſt vox Arabica, ejuſque multiplex uſus. 23
Majeſtas qualem poteſtatem deſignare ſoleat. 247
Malum materiæ indomabilitati adſcribebant Veteres Græci. 33
Manes ejuſque hæreſis undenam originem habeat. 40
. . . ejus dualitas principiorum aduſque & Sinam hodie adhuc recognoſci poteſt. 40
Manum etiam tangere ſolebant ſupplices apud Veteres. 70
Mare rubrum quare ſic fuerit dictum. 461
Marmim Reges in inſulis Moluccis, quo argumento immortalitatem animæ credere cœperunt. 334
Mathatias Machabæus an quoad matrem è tribu Juda fuit. 233
Materiam primam quomodo Hebræi vocare ſoleant. 20
. . . ei æternitatem adſcripſerunt Veteres Græci. 30
. . , Deum tantum increatione eam adornaſſe volunt. 33
. . . Deo in æternitate eam coæqualem faciebant. 46
. . . quare eam Dei ſororem appellabant. 46
. . . etiam uxorem. 46
. . . eam omnium ſenſibilium matrem volebat Plato. 51
. . . etiam ſuſceptricem; & quare. 51
. . . in quo loco hæc omnia fieri volebant. 55
Medicum optimum ad gehennam delegabant Judæi. 158
Medi-

Mediocres inter perfecte juſtos & injuſtos quales vocabant Judæi. 152
. . . eorum locus poſt mortem. 153
Melancholiæ an adſcribenda pleraque quæ de vatibus & oraculis dicuntur. 498
. . . Melancholia morbida quales effectus habeat in corpore humano. 507
Melancholici omnes an ſint ingenio clari an vero oblivioſi. 506
. . . de qua melancholia hæc ſint intelligenda. 507
Melas quare Nilus dictus apud veteres Græcos. 465
Mentis, ſive, Dei miniſter quiſnam dicebatur apud Gentiles. 40
. . . mentes ſanæ ſecundum Gentiles ſtatim in Elyſium campum admittebantur. 173
. . . ſanabiles autem poſt luſtrationem Tartaream. 173
. . . quando vero inſanabiles. 173
Μέροι quid ſignificabat apud veteres Græcos. 259
Meſſiam habuiſſe animam Adami & Davidis volunt Rabbini. 81
. . . unde hoc ſe poſſe conjicere putant. 81
. . . an Origenes fuerit ejuſdem opinionis. 81
. . . quando venturum credunt Judæi. 112 413
. . . ejus ſeculum & præſens in quo ſecundum Judæos differant. 113
. . . moriturum & filium ejus ſucceſſurum ſtatuunt Rabbini. 118
. . . an hoc ſit nomen proprium, & an non debeat in alias linguis verti. 233
Metempſichoſis qualis fiebat ſecundum veteres Cabaliſtas. 79

. . . quid omnes Rabbini de eo ſomniarunt. 82
. . . quomodo veteres Græci eam intellexerint. 83
מחוקק quid apud Hebræos proprie ſignificare ſoleat. 257
Mishnam Judæorum in quo pretio habere debeamus. 161
. . . a quibus & quo tempore fuerit conſcripta. 161 351
. . . vim juris communis apud illos obtinet. 351
Monarchiæ quatuor undenam illa denominatio originem habeat. 270
. . . quid vulgo ita vocetur. 270
. . . quænam ſint illæ quatuor Monarchiæ. 271
. . . quamdiu unaquæque illarum duravit. 271
. . . quænam fuerit prima. 275
. . . Monarchia Babylonica quando fuerit extincta. 278
. . . Perſica quando inceperit. 279
. . . quando deſierit. 281
. . . Macedonica quando inceperit. 282
. . . quamdiu duraverit. 282
. . . Romana quando proprie initium habuerit. 291
. . . quarta an etiam a Daniele prædicta. 293
. . . quarta uſque ad finem mundi duratura eſt. 296
. . . an tempore Gothorum & Vandalorum non fuerit extincta. 301
. . . Romana quomodo hodie adhuc durare dicenda eſt. 305
. . . an ita etiam politia Judæorum ſit appellanda. 364

Mortem penes materiam volebant veteres Græci. 34
Mors ſecunda quare vocetur in Scriptura damnatio æterna. 308
Mortui quomodo ne eſſe quidem in Scriptura dicuntur. 24
. . . eorum peccata per mortem expiata credebant Judæi. 157
Moſis anima ubinam a Deo fuerit recondita. 126
. . . ejus nomen quale nunc in cœlo eſt. 130
. . . ejus laus apud Gentiles. 483
Muhamed in Corano plurima habet ex ſcriptis Talmudicis. 322
. . . quale cœlum ille ſuis propoſuerit. 323
Mundum quibus rationibus æternum aliqui voluerunt. 48
. . . mundus futurus ſecundum Judæos non habebit corpora. 115
. . . quare ei tentorii formam tribuerunt veteres. 206
. . . is quo tempore anni fuerit conditus. 473
Murmurantes in deſerto contra Moſem quot numero fuerunt. 381
Muſæ an non a Moſe hoc nomen acceperint. 511
Myllias Crotoniata mori maluit, quam Dionyſio cauſas exponere propter quas Pythagorici fabis abſtinerent. 68

N.

NAbonnedus quomodo in S. literis appelletur. 273
. . . Babyloniæ Rex, quomodo ad Monarchiam pervenerit. 277
Nabopollaſſari Babyloniæ Regis potentia. 274

Nabuchodonoſorus an primam e quatuor Monarchiis fundavit. 273
. . . ejus ſucceſſores quinam fuere. 273
Naſi v. Princeps Synedrii magni.
. . . quomodo in Synedrio magno eligebatur. 349
Nativitatis ex puncto an aliquid prædicere poſſint Aſtrologi. 493
Naturam quid veteres Philoſophi vocare ſolebant. 26
נבא apud Hebræos non ſemper ſignificat futura prædicere. 374
Neceſſitatem quid veteres Philoſophi vocare ſolebant. 31
Nilus quare Antiquis Ægyptus fuerit dictus. 465
. . . undenam hoc nomen Nili acceperit. 466
Nomen univerſitati τ̃ κόσμου quis primus fecerit. 30
Numa a Pythagora in Religione inſtitutus fuit. 75
. . . quales libri in ejus ſepulcro fuerint reperti. 75

O.

OEnotrius Gentilium fuit Noachus Moſis. 472
Opinionibus popularibus veriſſima ſæpe ſuperſtruuntur argumenta. 213
Oracula Gentilium & quid de iis ſentiendum. 498
. . . quando defecerunt. 498
Orchæ vel Orcha urbs non eſt Ur Chaldæorum Abrahami patria. 36
Ordo apud Hebræos in gravioribus cauſis dijudi-

dicandis. 347
Ordines Angelorum cœleſtes quomodo deſcribunt aliqui patres. 208
Orientalibus in more poſitum erat taciturnitatem a diſcipulis exigere. 72
. . . nihil aliud tradere ſuis debebant. 72
Origenis ſententia circa creaturas rationales poſt hanc vitam. 162
. . . purgatorium primus orbi Chriſtiano obtrudere voluit. 162
. . . quale ab eo fuerit excogitatum. 162
Ὡρωμάσδης ſive Hormizd omnis boni, lucis & vitæ præſes apud Perſas. 35
. . . undenam illud nomen acceperit. 36
. . . erat ſolis indigitamentum. 36

P.

Παλιγγενεσία quid dicebatur apud veteres Philoſophos. 29
Pandora: ejuſque pixis quid ſignificabat apud veteres Ethnicos. 471
Papa Romanus non ſemper Romæ ſedere poteſt. 306
Paradiſum eſſe inter res, quas Deus ante mundum hunc conditum fecit, volunt Judæi. 8
. . . in ſeptem manſiones dividunt Rabbini. 91
. . . quare ſecundum Rabbinos nemo vivus ingredi poteſt. 104
. . . quomodo tamen decem viri eouſque penetrarunt. 104
. . . quid literaliter ſignificet. 105
. . . terreſtrem & cœleſtem habebant Rabbini pro animabus. 108
. . . in inferiore ſanctorum animæ reſurrectionem

nem corporum præſtolantur. 111
. . . terreſtris Paradiſus an futurus locus beatitudinis. 119
. . . ſic vocatur locus beatorum animarum poſt mortem. 306
. . . an ſit ea vox Græca vel Perſica. 307
. . . quid apud Perſas ſignificat. 308
. . . ea voce quando ſemper uſi ſunt ſcriptores Græci. 310
. . . plurimas habet ſignificationes. 315
. . . qua occaſione locus Beatorum ita fuerit dictus. 317
. . . Paradiſi terreſtris deſcriptio. 325
. . . quare hortus Eden ſic fuerit vocatus. 325
. . . an fuerit extra hunc mundum. 325
. . . quomodo adumbrarunt veteres Gentiles. 470
Patriarchæ quare ita vocati fuerint apud Hebræos. 415
Patrum ſententia de creatione muudi qualis. 48
Peccata adverſus præcepta jubentia quomodo remitti credebant Judæi. 156
. . . adverſus præcepta vetantia quomodo deleri volebant. 157
Pecuniaria judicia a quibus judicata apud Hebræos. 350
Pedem etiam tangere ſolebant ſupplices apud veteres. 70
Perire neque naſci nihil volebant veteres Philoſophi quod antea etiam non fuerat. 27
Perſarum ſacra cui Deorum præcipue litarunt. 38
Perſica Monarchia fuit ſecunda. 279
. . . quando inceperit, & cum quo. 279

. . . quando deſiit, & in quo. 281
Phanes Deus qualis dictus apud Gentiles. 40
Phœnicem Paradiſi inquilinum faciebant veteres. 142
Phœnicum literas æternas eſſe credebant Gentiles. 474
. . . quinam per hos Phœnices ſint intelligendi. 475
Phraſin unam mox per aliam explicare ſolemne eſt Sacræ Scripturæ. 260
Piſon fluvius an ſit Ganges Indiæ. 233
. . . an vero Nilus Ægypti. 233
Planetæ ſex primarii quomodo ſolem ambiunt. 213
Plato quomodo mundum Dei opus vocat. 50
Plutonis ſub poteſtate quomodo erat infima mundi pars. 36
Pœnitentiæ etiam eſt locus poſt mortem ſecundum Rabbinos. 189
Pœnorum lingua an fuit dialectus Hebrææ. 386
Poëma an fictio & carmen id efficiat. 512
Poëſis admodum antiqua eſt. 510
. . . an etiam ante ſolutam orationem extitit. 510
. . . a quibuſnam Gentibus primo profluxerit. 510
Poëtæ quare tam ſæpe mentiantur apud veteres. 11
. . . an non etiam ſit dicendus, qui res ſerias & veras tractat. 512
Politiæ optimus ſtatus apud quoſnam olim fuerit. 483
. . . an Politia ab initio inter homines fuerit. 483
. . . ſi

. . . ſine Religione an conſiſtere non poſſit. 484
Polygamia an ſit adulterium dicendum ſub Veteri Teſtamento. 504
. . . an ſub Novo Teſtamento non ſit adulterium. 504
. . . an Patriarchis ſub Veteri Teſtamento à Deo fuerit Permiſſa. 504
Pontifices Maximi quando ſupremam poteſtatem inter Hebræos habuerint. 230
Pontificii quam plurima ex Gentilium ſacris acceperunt. 478
Pori cum Penia rem habentis fabula explicatur. 183
Portæ quomodo ſheol adſcribantur. 59
. . . quomodo idem à Græcis fuit imitatum. 60
Poteſtas ſumma an ſemper ſit penes populum etiamſi regem habeat, nec ne. 243
Princeps Synedrii magni è qua tribu debuerit eſſe. 262
. . . ejus requiſitæ qualitates. 262
Prometheus Gentilium an ſit divina providentia. 470
Prophetæ ſecundum Rabbinos de ævo Meſſiæ tantum cecinerunt. 196
. . . quare non de ævo futuro. 196
Prophetare apud Judæos an ſemper ſignificet futura prædicere. 374
Proſerpina quare à Plutone dicatur accepiſſe dotale Chaos. 52
Pſeudo-propheta judicatus fuit in Synedrio magno. 345
Purgatorium quale Judæi ſtatuere volebant. 153
. . . hoc

. . . hoc à quo tempore inter illos innotuerit. 161
. . . inter Chriſtianos quis primus de eo locutus fuerit. 162
. . . Pontificiorum an aliquid commune habeat cum illo Origenis. 163
. . . Platonis an idem cum illo judæorum ſit. 163
. . . quid Muhamedani in Corano de eo ſentiant. 164
. . . quid Arabes in ſuis libris de eo dicant. 164
. . . Chriſtianorum nihil aliud eſt quam Cabalicorum & Academicorum dimidiata opinio. 189
. . . Pontificiorum quomodo acceperit incrementa. 478
Pythagoras quare diſcipulis ſuis eſum fabarum vetuit. 64
. . . an in Ægypto dogmata ſua didicerit. 65
. . . an ibi fuerit circumciſus. 65
. . . an non Græcorum ſcita Ægyptiacis miſcuit. 66
. . . eundem docendi morem ſervavit ac Judæi. 67
. . . an non Philoſophiam ſuam à Judæis ad Græcos tranſtulerit. 67
. . . quare à Tyranno mortem fuerit paſſus. 68
. . . an ipſe aliquid unquam literis mandaverit. 73
. . . Silentio diuturno præparabat Philoſophiæ candidatos. 73
Pythagorici nolebant arcana Religionis ſuæ omnibus exponi. 71
R.

R.

RAbbini dicto ſuo diſcipulorum fidem adſtringebant. 67
. . . ſcripta ſua aliquoties accommodant ad Chriſtianorum quibus cum vivunt, libros. 164
. . . iis quare admodum circumſpecte fides adhibenda. 351
. . . quando iis aliquid, quando autem nihil tribuendum. 380
Rabbinorum tredecim modi in exponendo pentateucho. 424. & 427
Raſao comæ apud Pontificios undenam originem habeat.
רגלים quid ſignificare ſolebat apud Hebræos. 259
Regio ſublunaris tota à *Philoſophis vocatur* materia. 57
Regibus male functis officio longe duriſſimam in gehenna ſortem tribuunt Judæi. 102
. . . Reges an ex poſteris Judæ continue extiterunt uſque ad adventum Chriſti. 227
. . . Rex ultimus de tribu Judæ quiſnam fuerit inter Judæos. 229
. . . quiſnam primus poſt captivitatem Babylonicam. 233
. . . ex qua tribu fuerint. 233
. . . an unquam ex ſententia Synedrii magni fuerit conſtitutus. 346
. . . an etiam in Synedrio magno fuerit cooptatus. 359
. . . an ſolus in Iſraële judicaverit populum. 395
. . . an

. . . an ei in Iſraële licuerit novas leges ferre. 398
Regnum Dei & Cælorum etiam apud Rabbinos dicitur ſtatus ſummæ felicitatis. 105
. . . Cælorum quare nullibi in Evangeliis quam apud Matthæum occurrit. 194
. . . quid ibi ſignificat. 194
. . . aliquod quando proprie dicetur extingui. 298
. . . ejus diverſis temporibus partitiones variæ. 299
Repugnantias eſſe in ſcriptura negant Rabbini. 448
. . . quibus modis eas conciliare ſoleant. 448
Rerum omnium quæ ſupra in cælis ſunt exemplar infra eſt ſecundum Rabbinos. 206
. . . Res Dei in Judicio quænam dicebantur. 398
. . . quænam Regis. 398
Reſpublica Hebræorum qualis fuerit poſtquam ex Ægypto exierant. 362
Reſurrectionem qualem credant Rabbini. 113
Romanorum ſacra in Gentiliſmo cui Deorum præcipue litarunt. 58
. . . ei aliquando Conſtantinopolitanis Imperatoribus fuere ſubjecti. 303
. . . iis in honeſtum ob antiquo fuit ad ſecundas evolare nuptias. 502
Romana eſt quarta Monarchia. 291
. . . quando proprie dici poteſt incepiſſe. 291
. . . quouſque limites ejus ſeſe extenderunt. 297
. . . etiam variarum nationum homines tenuerunt illud imperium. 297
. . . quamdiu illa Monarchia ſit duratura. 299

S.

שאול quam varias ſignificationes habet apud Rabbinos. 12
. . . ita dicitur & Paradyſus & Gehenna apud Rabbinos. 91
Sabbatum Judæorum undenam originem habere gentiles dixerint. 486
Sacerdotes Ægyptiorum fabas aſpicere ne quidem ſuſtinebant. 65
. . . inter Iſraëlitas quomodo judicarunt populum. 384
. . . quomodo à Synedrio magno circa vitia corporis judicati. 384
. . . Athenienſium non poterant viduam ducere. 503
Sacerdos ſummus quando regnare cæperit in Iſraële. 401
Sal Sodomiticum quale olim dicebatur. 177
. . . Sale ac lente utebantur olim Gentiles in baptiſmo. 478
Samael eſt idem Diabolus ac Aſmodæus apud Veteres Rabbinos. 96
. . . quare per eminentiam Satanas ſic dicatur. 210
Samaritanorum characteres an ſint antiqui Judæorum. 376
Samuel ipſe an à pythoniſſa Endorenſi ſit productus. 92
. . . ſolus an judicaverit Iſraëlem. 392
Satanas quis Rabbinis dicatur. 209
Satrapa an non ſit vox Perſica. 312
Saturnus Gentilium an non ſit Adamus Noachi. 471

שבט variæque ejus ſignificationes in S. literis. 224
. . . quare etiam tribus ſic dicatur. 225
Sceptrum an etiam de Republica recte dici poſſit. 243
. . . an vero ſit talis poteſtas quam ſemper unus habet. 247
. . . an ſignificare poſſit plures perſonas. 250
. . . qua de cuſa etiam tale Sacerdotes Gentilium habebant. 251
. . . per id jurabant reges & ad juramentum adigebantur. 251
Scilonem eſſe Meſſiam etiam ipſi Judæi conſentiunt. 222
. . . idque per Cabalam è vocibus ipſis eliciunt. 223
. . . vocis hujus etymon. 223
Scholaſtici an primum confinxerunt creationem mundi ex nihilo. 48
Scripturam volunt Rabbini non uti repetitione. 432
Seder Olam quale chronicum Judæorum. 263
. . . an ei fides adhibenda in rebus dubiis. 263
Seleucias novem fundavit Seleucus unus ex Alexandri ducibus. 293
Seniores Iſraëlis quales fuerint ſub Veteri Teſtamento. 369
Sephiroth Rabbinorum ὑποστάσεις Græcorum quid ſignificant. 194
Sepiæ atramentum quale fuerit apud Veteres. 492
Septentrio habebatur regio Mali à Cabaliſtis. 77
Sibyllæ an unquam fuerint in rerum natura. 497
. . . un-

. . . undenam hoc nomen promanaverit. 497
Silentio diuturno præparabat Pythagoras Philoſophiæ ſuæ candidatos. 73
Silicernia legumine inſtituendi undenam ille mos provenerit. 74
Sinus Abrahami V. Abrahami.
Sirim quare Nilum vocarunt Antiqui. 465
Smerdis Perſarum Rex in S. literis eſt Artaxaſta. 281
Sodomitas non reſurrecturos credebant Rabbini. 176
Solem quare Arcades materiæ dominum vocabant. 54
. . . quare eum in ipſo noſtri verticis centro collocarunt Veteres Itali. 54
. . . quare Chaldæi & alii Philoſophi eum ignem vocarunt. 55
Sponſas quare ſponſi poſt conſenſum parentum rapere ſolebant apud Orientales. 479
Statuæ magicæ an per Dæmones ſolummodo vim ſuam exerceant. 490
Stola linea quando etiam cantoribus in templo Hieroſolumitano conceſſa, & à quo. 360
Stridor dentium in Evangelio undenam habeat originem. 175
Sues adoraſſe Judæos quare gentiles crediderunt. 485
Suffetes quare Carthaginenſes ſupremos Magiſtratus appellabant. 386
Summam rerum quomodo Hebræi diſpertiri ſoleant. 20
Summus Sacerdos in Synedrio magno judicabatur. 345
. . . ejus

. . . ejus ſucceſſio an ex autoritate Synedrii magni pependit. 346
שוטרים quales fuerint inter Hebræos tempore Moyſis. 372
Supervacaneæ dictiones in Scriptura quomodo ſint intelligendæ. 430
Synedrii Magni præſes an ſemper fuerit è tribu Juda. 262
. . . in quot loca reſedit poſtquam è templo receſſit. 266
. . . ubinam ultimo loco. 266
. . . Synedrium quid Græci vocare ſoleant. 339
. . . qua occaſione Hebræi ea voce uſi fuerint. 339
. . . an ea vox ſit Hebræa. 340
. . . triplex talis fuit conceſſus, trium, viginti trium & Septuaginta unius virorum. 341
. . . quomodo judices ſedebant in Synedrio magno. 344
. . . quas cauſas in illo particulariter judicarent. 344
. . . parvum dictum erat Synedrium viginti trium virorum. 347
. . . ubinam hoc Hieroſolumis congregatum. 347
. . . magnum quando primum reliquerit conclave lapideum. 351
. . . in Novo Teſtamento nominatum quale intelligendum. 353
. . . Magnum an inſtitutum tempore Moyſis. 360
. . . magnum an tantum ex ſacerdotibus debuerit conſtare. 388

. . . magnum an primum à Joſaphato fuerit inſtitutum. 391
. . . an vero demum ſub Haſmonæis. 403
. . . ſaltem diu ante Herodis tempora extitit. 406
. . . ſedes ejus propria ubinam. 410
. . . magnum quando in tabernis conſedit. 410
. . . an quadraginta annis ante excidium urbis fuerit ſublatum. 419
. . . quoties de loco in locum migraverit. 412
. . . ubinam deſiit. 412

T.

Tabernæ in quibus Synedrium magnum in monte templi conſedit ubinam fuerint. 410
Tacitam ſive Muſam ſive Deam adoravit Numa. 75
Taciturnitatem in Religione quare Pythagoras tantopere docuerit. 72
Tacitus cæcutit circa Religionem Judæorum. 484
Talmudis auctores quo tempore vixerunt. 351
. . . Talmud Hieroſolumitanum primo poſtea Babylonicum conſcriptum eſt. 351
Τάρταρος vox an ullibi in profanis Auctoribus occurrat. 6
. . . an etiam in S. Scriptura. 6
. . . an apud 70 Interpretes. 6
Tartara ad ſiniſtram quare collocabant veteres Græci. 95
. . . eum Græci non tam ad cruciatum quam ad emendationem profligatiſſimorum comparari ſtatuunt. 172

. . . ei ſummam caloris & frigoris vehementiam adſcribebant. 178
. . . Tartarus Platonis qualis fuerit. 187
. . . ea vox undenam habeat originem. 190
. . . quomodo eum locum definit Stephanus. 200
Ταρταρȣν verbum undenam derivetur. 199
Tenebras quare mortem vocare ſolebant Veteres. 15
. . . extremas quare Tartarum vocabant Græci. 198
Teraphim Hebræorum quales imagines fuerint. 490
Terram in aquis natare credebant Veteres Rabbini. 194
Theophraſtus explicatus. 531
Timycha Milliæ uxor, quare linguam præmordit. 68
Titanes fabuloſi Græcorum Angelis reſpondent. 200
Tograi Poeta celebris apud Orientales. 480
Tophet quare locum damnatorum vocabant Veteres Rabbini. 166
. . . qualis locus proprie apud Judæos fuerit. 166
Tranſmigrationis opinionem Abrahamo Patriarchæ adſcribunt Judæi. 80
. . . quoties illam fieri volebant. 82
. . . Iſraëlis quo uſque diſtinctæ manſerunt.
. . . decem poſt captivitatem Salmanaſſaris annunquam in Palæſtinam reverſi ſint. 238
. . . an omnes decem tribus Salmanaſſarus deportaverit. 239
. . . an unquam appellationem ſortiti ſunt à Juda. 240
Tribus Judæorum ad idololatriam deficiens in quo Synedrio judicabatur. 345
Trinitas quomodo exiſtat. 207
Trophonii antrum V. antrum.
Turcæ credunt unumquemque ſervari lege ſua. 481
Tyrannis longe diriſſimam in gehenna ſortem tribuit Plato. 102

V.

Velo quare obnubebant Ægyptii & Græci Philoſophiæ ſuæ dogmata. 75
Venus Gentilium fuit Naëma Moiſis. 471

Verno

Digitized by Google

Verno tempore an mundus fuerit creatus. 473
Veſtem qualem animabus dabant veteres Rabbini. 108
Vita functorum ſtatum Græci è Judæis exſcripſerunt. 7
... in hac tamen deſcribenda Judæi quam maxime inſaniunt. 7
Vitia ſacerdotum judicabat Synedrium magnum. 345
Vitis ex auro puro fuit in Templo Hieroſolumitano. 285
... cui rei hoc occaſionem dedit. 285
Umbras quare Græci & Latini mortuos vocare ſolebant 15
Unicolora quare omnia dicebantur in orco. 15
Univerſi partem ſuperiorem ſub Jove ſtatuebant Græci. 37
... interiorem ſub Plutone. 37
... mediam alterius ſub Jove & Plutone. 37
Vocabula propria uſurpare ſiquæ velis; ea vertere non ſemper eſt neceſſe. 227
Urbs quot cives habere debebat ut Synedrio digna eſſet. 348
Urim & Thummim quomodo per ea reſponſum non ſatis liquet. 384
Uſtionem omnem à Moſe præceptam interdiu faciendam, ex quibus Rabbini concludunt. 432
Vulcanus Gentilium fuit Tubalcain Moſis. 471

Z.

ZEmach David liber Hebræorum, an tuto fides ei adhiberi poſſit. 264
Zeus quare Græcis Deus Opifex dicitur. 34
Zoharis liber quo tempore fuerit conſcriptus. 163
Zorobabel ſalathiel filius an fuerit Rex in Iſraële. 231
... ejus poſteri an ipſi ſucceſſerint in poteſtate. 261, 262
... an ex Regia ſtirpe fuerit oriundus. 400
... an ſolus dux & judex fuerit in Iſraële. 401

F I N I S.

1-7-3

Google